UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1675. usque ad annum 1681

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1780**

**VD18 90119207**

urn:nbn:de:hbz:466:1-67305

Visual Library

Nr. 578.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# CLAUDII FLEURII
ABBATIS
# HISTORIA ECCLESIASTICA
A
R. P. ALEXANDRO
A S. JOANNE DE CRUCE DEFINITORE PROVINCIALI
EX PROVINCIA BAVARICA CARMELITARUM
DISCALCEATORUM, OLIM S. THEOLOGIÆ
AC SS. CANONUM LECTORE
CONTINUATA.

---

CONTINUATIONIS
TOMUS
QUADRAGESIMUS,
SEU IN ORDINE
*TOMUS LXIV.*

Ab anno Christi 1675. usque ad annum 1681.

Colleg. Universitat. Paderborn. Bibl.




*AUGUSTÆ VINDELICORUM,*
Impensis Officinæ Librariæ JOSEPHI WOLFF.
MDCCLXXX.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# CONSPECTUS LIBRORUM.

## LIBER CCVII.

§. 1. *Initium graviſſimæ contentionis ob Regaliam in Galliis exortæ.* Pag. 1.

§. 2. *Alectenſis Epiſcopi epiſtola ad Cleri Gallicani comitia, necnon ad Archiepiſcopum Pariſienſem data.* 4

§. 3. *Ejusdem Epiſcopi literæ ad Cardinalem Bonzium.* 9

§. 4. *Mandatum Epiſcopi Alectenſis contra Clericos obtentu Regaliæ Beneficia occupantes.* 11

§. 5. *Novi articuli Calvinianæ ſectæ a Genevenſibus procuſi.* 15

§. 6. *Propoſitiones ex libro Patris Lamy depromptæ, atque ab Andegavenſi Univerſitate cenſuris notatæ.* 17

§. 7. *Proteſtantium Hungarorum rebellio contra Cæſarem.* 20

§. 8. *Vario Marte a Cæſareis, Gallisque ubique pugnatum.* 22

§. 9. *Fürſtenbergii liberatio inter pacis articulos propoſita.* 25

§. 10. *Seditioſi tumultus in Gallia repreſſi.* 27

§. 11. *Jubilæum Romæ ſolemni pompa celebratum.* 29

§. 12. *Novemdecim Martyrum Gorcomenſium Beatificatio.* 30

§. 13. *Ven. Joannes a Cruce primus Carmelita Diſcalceatus, & Franciſcus Solanus Ord. FF. Minorum Beatorum Albo ab eodem Pontifice inſerti.* 31

§. 14. *Ejusdem ſummi Pontificis Conſtitutiones Apoſtolicæ.* 33

§. 15. *Quædam Sacrarum Congregationum deciſiones.* 34

§. 16. *Diſſidia inter Principum Oratores & Cardinalem Patronum compoſita.* 36

§. 17. *Novi Cardinales a Clemente X. Papa inaugurati.* 37

§. 18. *Franciſci Mariæ Brancacii Cardinalis obitus.* 38

§. 19. *Cæſaris Raſponi Cardinalis extrema.* 39

§. 20. *Caroli II. novi Hiſpaniarum Regis fata.* 40

§. 21. *Principum atque Illuſtrium obitus.* 42

§. 22. *Synodi Monaſterienſis Decreta.* 45

§. 23.

§. 23. *Novi tumultus in Anglia.* 46
§. 24. *Gravis moleſtia per aliquem Apoſtatam Catholicis irrogata.* 49
§. 25. *Quorumdam Scriptorum religione Catholicorum opera, & obitus.* 53
§. 26. *Deceſſus & Lucubrationes Scriptorum Acatholicorum.* 55
§. 27. *Nova Carteſii doctrina Regis juſſu eliminata.* 57
§. 28. *Andegavenſis Epiſcopi edictum contra formulæ juramentum.* 60
§. 29. *Hoc Epiſcopi edictum a Regio Senatu irritatum.* 63
§. 30. *Quædam Propoſitiones ab Univerſitate Andegavenſi proſcriptæ.* 67
§. 31. *Alectenſis Epiſcopi literæ circa Regalium extenſionem.* 72
§. 32. *Ejusdem Epiſcopi epiſtola ad Bonzium Cardinalem.* 79
§. 33. *Alectenſis rationes Ludovico Regi expoſitæ.* 91
§. 34. *Excommunicationis comminatio Gaſtoni ab Alectenſi Epiſcopo intentata.* 103
§. 35. *Bellum in Belgio & ad Rhenum continuatum.* 110
§. 36. *Incaſſum pax a ſummo Pontifice & Cæſare agitata.* 112
§. 37. *Clementis X. ſummi Pontificis obitus.* 114
§. 38. *Ejusdem Pontificis geſta in Pontificatu.* 115

§. 39. *Benedictus Odeschalchus Cardinalis in Papam electus, atque Innocentius XI. nominatus.* 117

§. 40. *Hujus Pontificis gesta ante Pontificatum.* 122

§. 41. *Friderici Sfortiæ Cardinalis obitus.* 126

§. 42. *Caroli Bonelli Cardinalis decessus.* 127

§. 43. *Ludovicus Guilielmus Moncada Cardinalis mortuus.* 128

§. 44. *Innocentii XI. summi Pontificis Constitutiones.* 129

§. 45. *Diversæ Sacrarum Congregationum decisiones.* 130

§. 46. *Quorumdam Principum, atque Illustrium obitus.* 131

§. 47. *Scriptorum religione Catholicorum lucubrationes & mors.* 134

§. 48. *Acatholicorum Scriptorum lucubrationes & obitus.* 140

§. 49. *Salubria summi Pontificis edicta pro morum correctione.* 143

§. 50. *Continuata Protestantium rebellium Seditio in Hungaria.* 147

§. 51. *Holsatiæ, & Hassiæ Principes ad fidem Catholicam reversi.* 152

§. 52. *Indecens quædam Consuetudo in Galliis abolita.* 153

§. 53. *Mariæ Stuartæ connubium Jacobo Stuarto Eboracensi Duci & Catholicis infaustum.* 154

§. 54. *Initia conjurationis contra Angliæ Regem confictæ, & nequissime Catholicis imputatæ.* 157

§. 55. *Confictæ hujus conjurationis capita.* 161

§. 57.

§. 56. *Andegavensis Episcopi querelæ ad Papam circa corruptam morum doctrinam, & Jansenianæ hæresis convitium.* 166

§. 57. *Gallici belli continuatio.* 174

§. 58. *Tumultus in Hispania.* 179

§. 59. *Francisci Caulet Apamiensis Episcopi oppositio contra Regaliæ jus rexens invectum.* 182

§. 60 *Epistola ejusdem Episcopi ad Regem.* 184

§. 61. *Rationes ab Archiepiscopi Tolosani sententia appellandi ab Apamiensi Episcopo allatæ.* 189

§. 62. *Nicolai Pavillonii Alectensis Episcopi epistola ad Innocentium XI. Papam.* 191

§. 63. *Innocentii XI. Pontificis responsum ad Alectensis Episcopi literas.* 195

§. 64. *Archiepiscopi Narbonensis sententia contra Alectensis Episcopi mandatum.* 196

§. 65. *Alectensis literæ ad Innocentium XI. Papam & Ludovicum Franciæ Regem.* 200

§. 66. *Nicolaus Pavillonius Alectensis Episcopus vita functus.* 205

§. 67. *Bernardi Gustavi Marchionis Durlacensis Cardinalis obitus.* 207

§. 68. *Julii Gabrielii Cardinalis decessus.* 209

§. 69. *Paschalis de Aragonia Cardinalis extrema.* 211

§. 70. *Synodi Tornacensis decreta.* 212

§. 71. *Diversæ Sacrarum Congregationum decisiones.* 213

§. 72. *Scriptorum Ecclesiasticorum decessus & opera.* 214

§. 73. *Scriptorum Acatholicorum lucubrationes & obitus.* 217

§. 74. *Calvinianæ Pseudo-Synodi contra Pajonii deliria.* 219
§. 75. *Dantiscanorum furor in Catholicos.* 222
§. 76. *Patrum Oratorii decretum contra Jansenii & Cartesii placita.* 225
§. 77. *Innocentii XI. decreta pro restauranda Ecclesiæ disciplina, tollendisque morum corruptelis.* 230
§. 78. *Varia dissidia Romæ composita.* 241
§. 79. *Franciæ Episcoporum querelæ ad Papam de turbata Clementis IX. Pace.* 244
§. 80. *Apamiensis Episcopus cunctis Ecclesiæ suæ proventibus spoliatus.* 253
§. 81. *Oppositionis rationes ab eodem Episcopo allatæ.* 264
§. 82. *Ejusdem Episcopi literæ ad Aquitaniæ Præfectum.* 270
§. 83. *Innocentius XI. Papa Franciæ Regem a proposito avertere intentus.* 273
§. 84. *Epistola Apamiensis Episcopi ad Innocentium XI. Papam.* 284
§. 85. *Quidam Gerberoni libellus ab Episcopis proscriptus.* 300
§. 86. *Patriarchatus Constantinopolitanus frequenti vicissitudine turbatus.* 301
§. 87. *Colloquium Benigni Bossuetii Condomiensis Episcopi cum Claudio Charentoniano Prædicante.* 303
§. 88. *Funestus confictæ conjurationis Anglicæ Successus.* 306
§. 89. *Iniquissimum hujus causæ Judicium.* 311
§. 90. *Severa edicta & Supplicia contra Catholicos.* 319
§. 91. *Ariana hæresis a Sandio innovata.* 321

§. 92. *Hungaria denuo a rebellibus Calviniſtis infeſtata.* 329
§. 93. *Noviomagenſis pax.* 332
§. 94. *Illuſtrium funera.* 336
§. 95. *Trevirenſis Synodi decreta.* 338
§. 96. *Tornacenſis Synodi decreta.* 339
§. 97. *Diœceſanæ Synodi Monaſterienſis ſtatuta.* 340
§. 98. *Innocentii XI. Conſtitutiones Apoſtolicæ.* 341
§. 99. *Diverſæ Sacrarum Congregationum deciſiones.* 342
§. 100. *Sigismundi Chiſii Cardinalis obitus.* 344
§. 101. *Bonacurſius Bonacurſi Cardinalis mortuus.* 345
§. 102. *Nerii Corſini Cardinalis deceſſus.* 346
§. 103. *Quorumdam Scriptorum religione Catholicorum lucubrationes & fata.* 348
§. 104. *Scriptorum Acatholicorum opera atque extrema.* 350
§. 105. *Innocentii XI. Papæ decretum contra quotidianam Communionem.* 352
§. 106. *Varii libri a Sacra Indicis Congregatione damnati.* 360
§. 107. *Innocentii XI. Papæ ſtudium in extirpandis noxiis doctrinis.* 362
§. 108. *Apamienſis Epiſcopus graviter vexatus.* 366
§. 109. *Innocentii XI. literæ ad Archiepiſcopum Toloſanum.* 367

§. 110. *Apamienſis Epiſcopi querelæ ad Ludovicum XIV. Franciæ Regem.* 371

§. 111. *Ejusdem Epiſcopi literæ ad Pariſienſem Archiepiſcopum.* 379

§. 112. *Literæ Apamienſis Epiſcopi ad P. de la Chaiſe Regis Confeſſarium.* 383

§. 113. *Innocentii XI. Papæ epiſtola ad Franciæ Regem circa Urbaniſtas Moniales.* 391

§. 114. *Innocentii XI. epiſtola ad Epiſcopum Apamienſem.* 401

§. 115. *Excuſatio Apamienſis Epiſcopi ob ſuam oppoſitionem contra Parlamenti Sententiam.* 403

§. 116. *Innocentii XI. epiſtolæ ad Apamienſem Epiſcopum & Franciæ Regem.* 409

§. 117. *Gerbaſii diſſertatio de cauſſis majoribus.* 420

§. 118. *Animadverſio in Janſeniſtas.* 422

§. 119. *Polygamiæ impietas a quodam Lutherano innovata.* 424

§. 120. *Calendarii Gregoriani uſus a Proteſtantibus acceptatus.* 426

§. 121. *Eboracenſis Dux a Succeſſionis jure ex odio Catholicæ Religionis excluſus.* 431

§. 122. *Varia Innocentii XI. Pontificis Maximi geſta.* 438

§. 123. *Franciſci Barberini Cardinalis obitus.* 440

§. 124.

§. 124. *Giberti Borromæi Cardinalis extrema.* 441

§. 125. *Joannes Franciſcus Gondius Cardinalis mortuus.* 442

§. 126. *Diverſæ ſummi Pontificis Conſtitutiones.* 445

§. 127. *Sacrarum Congregationum deciſiones.* 447

§. 128. *Synodi Tornacenſis decreta.* 449

§. 129. *Principum atque Illuſtrium obitus.* ibid.

§. 130. *Scriptorum religione Catholicorum opera & deceſſus.* 452

§. 131. *Scriptores Acatholici hoc anno denati.* 453

LIBER

# LIBER CCVIII.

§. 1. *Iniquæ Puritanorum querelæ in Anglia contra Catholicos.* 455

§. 2. *Sententia Parisiensis Facultatis circa juramentum Anglicanum.* 459

§. 3. *Innocens Staffordiæ Comes Catholicus in Anglia capite plexus.* 464

§. 4. *Hugonotarum libertas in Galliis restricta.* 468

§. 5. *Vario Marte in Hungaria pugnatum contra rebelles Calviniſtas.* 470

§. 6. *Amadæi Guimenii Apologia a ſummo Pontifice damnata.* 473

§. 7. *Burignoniæ Virginis fatuæ deliria & obitus.* 477

§. 8. *Lazari Pallavicini Cardinalis deceſſus.* 480

§. 9. *Caroli Carafæ Cardinalis extrema.* 481

§. 10. *Bernardini Roccii Cardinalis extrema.* 482

§. 11. *Jacobus Philippus Ninius Cardinalis mortuus.* 483

§. 12. *Levis colliſio Innocentii XI. Papæ cum Principum Oratoribus.* 484

§. 13. *Diſputatio inter Jacobum Boileau & Petrum Allixium Hugonotam.* 486

§. 14. *Innocentii XI. epistola ad Estræum Cardinalem in Regaliæ causſa.* 488

§. 15. *Estræi Cardinalis responſum ad haſce Innocentii XI. literas.* 491

§. 16. *Excommunicatio ab Apamienſi Epiſcopo contra Regaliſtas interminata.* 496

§. 17. *Duo Sacerdotes ab eodem Epiſcopo anathemate perculſi.* 504

§. 18. *Controverſia ob Caronenſem Electionem.* 505

§. 19. *Extremus Apamienſis Epiſcopi conatus pro impedienda Regaliæ in ſuam Diœceſin introductione.* 512

§. 20. *Apamienſis Epiſcopi Vindiciæ.* 523

§. 21. *Cleri Gallicani epiſtola ad Ludovicum Franciæ Regem.* 526

§. 22. *Franciſcus Caulet Apamienſis Epiſcopus fatis functus.* 532

§. 23. *Apamienſes Canonici dire vexati.* 533

§. 24. *Epiſtola Innocentii XI. Papæ ad Toloſanum Archiepiſcopum, & ad Apamienſe Capitulum.* 538

§. 25. *Editio operum S. Auguſtini a PP. Benedictinis Congregationis S. Mauri concinnata.* 542

§. 26. *Hæc editio a variis impugnata.* 545

§. 27. *Acrior quorumdam oppoſitio contra eandem editionem.* 548

§. 28.

§. 28. *Pater La Chaise aliique Jesuitæ ob hanc editionem cum Benedictinis colliſi.* 552

§. 29. *Objectiones contra Sanmaurianam editionem a perſonato Abbate Germano propoſitæ.* 563

§. 30. *Famoſi hujus libelli fata.* 566

§. 31. *Perſonati Abbatis libellus a P. Renato Maſſuet confutatus.* 572

§. 32. *Mabillonii Apologia contra conficti Abbatis calumnias.* 579

§. 33. *Hujus controverſiæ ſucceſſus.* 589

§. 34. *Principum atque Illuſtrium obitus.* 597

§. 35. *Diverſæ Innocentii XI. Papæ Conſtitutiones.* 599

§. 36. *Variæ S. Congregationum deciſiones.* 600

§. 37. *Synodi Antverpienſis decreta.* 601

§. 38. *Synodi Diœceſanæ Tornacenſis ſtatuta.*

§. 39. *Monaſterienſis Concilii decreta.* ibid.

§. 40. *Scriptorum Catholicorum funera & lucubrationes.* 603

§. 41. *Opera & fata Scriptorum Proteſtantium.* 605

§. 42.

§. 42. *Sexdecim Præſules Romana Purpura ab Innocentio XI. Papa decorati.* 607

§. 43. *Comitia Sopronii in Hungaria pro domanda Proteſtantinm rebellione habita.* 611

§. 44. *Comitiorum Succeſſus.* 616

§. 45. *Hugonottæ in Galliis repreſſi.* 621

§. 46. *Joannis Everhardi Nidardi Cardinalis obitus.* 624

§. 47. *Cælii Piccolominei Cardinalis extrema.* 625

§. 48. *Petri Vidoni Cardinalis funus.* 627

§. 49. *Caroli Roſetti Cardinalis obitus.* 628

§. 50. *Diverſæ Innocentii XI. Conſtitutiones.* 629

§. 51. *Variæ SS. Congregationum deciſiones.* 630

§. 52. *Natalis Vieuville a Sorbona mulctatus.* 632

§. 53. *Synodi Tornacenſis decreta.* 634

§. 54. *Innocentii XI. epiſtola contra intruſos Apamienſis Eccleſiæ Vicarios.* 635

§. 55. *Joannes Cerles a Regaliſtis graviter vexatus, atque officio amotus.* 640

§. 56. *Joannis Cerlis Vicarii Apamienſis vindiciæ.* 653

§. 57.

§. 57. *Joannis Cerlis querelæ ad Innocentium XI. Papam.* 657

§. 58. *Tolosani Senatus in Joannem Cerlem Vicarium Apamiensem capitis sententia.* 675

§. 59. *Cleri Gallicani conventus in Regaliæ causſa.* 696

§. 60. *Innocentius XI. Pontifex Franciæ Regem ab Regaliæ extensione absterere conatus.* 700

§. 61. *Scriptorum Catholicorum opera & obitus.* 706

§. 62. *Quorumdam Scriptorum Acatholicorum lucubrationes & decessus.* 709

§. 63. *Conventus Cleri Gallicani Parisiis continuatus.* 711



*Hungarorum Proteſtantium rebellium crudelitas in Catholicos.*

Klauber ſc. A.V.

# HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

## CONTINUATÆ.

## *LIBER CCVII.*

CLEMENS X. PONTIF. MAXIM.
LEOPOLDUS I. ROM. IMP.

### §. I.

### *Initium graviſſimæ contentionis ob Regaliam in Galliis exortæ.*

Sæc. XVII. A. C. 1675.

Inter horrendos belli ſtrepitus, quos Ludovici XIV. Galliarum Regis arma in exteras Provincias circumlata excitaverant, in ipſius Francici

*Vid. ſupra l. 206. §. 75. tom. 63.*

Sæc. XVII. A. C. 1675.

*Mem. Chron. & Dogmat. Mem. de Clergé.*

Regni viſceribus novæ ac domeſticæ lites oriebantur, non quidem ferro, calamis tamen acutioribus non ſine multiplici Sedis Apoſtolicæ, animorumque plaga per ſeptendecin ferme annos agitatæ. Occaſionem dederat ejusdem Regis edictum ante biennium die decima Februarii promulgatum circa Regaliam, ſeu circa jus, vi cujus Rex ad omnia beneficia vacantia, ad quæ alias Epiſcopus nominaret, nominandi, omnibusque vacantis hujus Eccleſiæ proventibus tamdiu frueretur, quousque novus Epiſcopus fidelitatis Sacramentum, quod ad acta publica referri jubebatur, præſtiterit, aliisque ad pacificam Eccleſiæ poſſeſſionem neceſſariis defunctus ſit: Poſtquam igitur Ludovicus Rex hoc jus ſibi etiam ad Provincias Alpibus, montibusque Pyrenæis vicinas, in quibus hucusque illud non invaluerat, ſuo edicto arrogabat, huic novitati ſeſe vehementer oppoſuere Epiſcopi; quocirca Rex innixus ſententiæ Parlamenti, quod jam regnante Henrico IV. hoc privilegium eſſe univerſale, & ad omnes Eccleſias pertinere decidit, hoc anno Menſe Aprili rurſus novo edicto præfatum jus ſibi vendicavit, illiusque executionem impoſuit, præcipiens, ut *ſinguli Archi- & Epiſcopi intra duos Menſes poſt exhibitum fidelitatis Sacra-*

*Sacramentum adſtringantur ad literas patentes* (regaliæ) *abſolutorias impetrandas, easque in acta Cameræ Pariſienſis referendas: qui autem præſtito antea fidelitatis ſacramento ejusmodi literas nondum impetrarint, eas impetrent, atque intra bimeſtre in acta præfatæ Cameræ referri curent.* Huic Regis mandato Epiſcoporum quidam aut præmiis pellecti, aut de edicti æquitate perſuaſi, ſubſcripſere, alii occultis querelis ac gemitibus dolorem ſuum teſtati ſunt: inter omnes vero infractis animis duo Epiſcopi, ſcilicet Nicolaus Pavillon Alectenſis & Franciſcus Stephanus Caulet Apamienſis in aciem prodiere, ac ſeſe Regis edicto, quo Eccleſiæ diſciplinam, libertatem, immunitatemque violari querebantur, fortiter oppoſuerunt: inſuperhabita tamen horum repugnantia varii Eccleſiaſtici, qui *Regaliſtæ* vocabantur, a Rege nominati, invitis ac eluctantibus hiſce Epiſcopis, vacantia beneficia adiere, eorumque poſſeſſionem captarunt: cum ergo hæc, multaque alia fuiſſent attentata, ambo hi Epiſcopi Eccleſiarum Capitulis ſevere inhibuerunt, ne quospiam vi Regaliæ nominatos ad Eccleſiæ ſuæ gremium reciperent; illos vero, qui hac ratione in Eccleſias involarent, denuntiata anathematis pœna repellerent.

Sæc. XVII. A. C. 1675.

Sæc. XVII. A. C. 1675.

## §. II.

## *Alectenſis Epiſcopi epiſtola ad Cleri Gallicani comitia, necnon ad Archiepiſcopum Pariſienſem data.*

Obſtitit Alectenſi Epiſcopo Joſephus de Monpezat Archiepiſcopus Toloſanus ejusdem Metropolita, qui Regaliæ jus etiam in Pyrenæis Provinciis agnoverat: quapropter ad eum ſuas deferre querelas, haud conſultum cenſebat Alectenſis: cum autem quidam Clericus Toloſanus utpote Regaliſta, Eccleſiæ Cathedralis dignitatem occupaſſet, ejusque poſſeſſionem, abſente Epiſcopo, invaſiſſet, alius vero Carcaſſonenſis Clericus Regaliæ titulo in Collegiatæ Eccleſiæ Canonicatum, nominationem approbante Mirapicenſis Epiſcopi Vicario, involaſſet, hinc Epiſcopus Alectenſis primo Pariſios ad Cleri Gallicani Conventum deſuper die octava Julii epiſtolam querelis refertam dedit, hujus tenoris.

*Gallia vind. pag. 210.*

„Quia certum & perſuaſum omni„no habeo, nihil vobis antiquius, ac „æque cordi eſſe, quam ut jura & di„ſciplinam Eccleſiaſticam illibate con„ſervetis, ideo imperare mihi non poſ„ſum, quin in ſinum veſtrum querelas „meas

Sæc. XVII. A. C. 1675.

„meas effundam, doceamque, quæ „hiſce diebus immunitati ac diſciplinæ „Eccleſiaſticæ æque funeſta contigere. „Primum eſt, Tholoſanum quemdam „clericum auſum eſſe, me abſente, & „Eccleſias Diæceſis meæ viſitationis „cauſſæ obeunte, obtentu Regaliæ in „unam hujus Cathedralis Eccleſiæ di„gnitatem irrumpere, ejusque poſſeſ„ſionem captare. Equidem diſſimulare „hanc invaſionem non potui, niſi offi„cio ac partibus meis deeſſe vellem, „& ideo edita in prætenſum hunc Re„galiſtam inhibitione (cujus hic copias „adjungo) & illi, ne ſe in illius bene„ficii functiones ac munia ingerat, & „capitulo Eccleſiæ meæ cathedrali, ne „illum recipiat, ſerio ac enixe præcepi. „Nec opus eſt, credo, ut vobis Illuſtriſ„ſimi & Reverendiſſimi Domini, hujus „inhibitionis meæ cauſſas & momenta „enumerem; ſunt enim illa ipſa, quæ „lapſis retro annis Cleri Gallicani con„ventus impulerunt, ut ad conſervan„das in hac re non ſolum Provinciæ „Narbonenſis, ſed aliarum etiam pro„vinciarum, ac particularium Eccle„ſiarum immunitates tanto zelo, tan„taque contentione incumberent. Et „ego impetrare a me non potui, ut non „imitarer, ejusdem Cleri exemplar eo„demque ſpiritu animarer, cujus tot

Sæc. XVII. A. C. 1675.

„motus ac insignia monumenta legun-
„tur in ultima compilatione jussu Cleri
„impressa. Optassem ego quidem, ne
„cogerer, hanc glaciem primus rum-
„pere, quamvis enim maximi momenti
„sit Regaliæ caussa, nec ad meam tan-
„tum diæcesin, sed ad plures integras-
„que Provincias, ac etiam Eccle-
„sias particulares pertineat; nondum
„tamen mecum plane statueram, quam
„in hac caussa oporteret me faciem in-
„duere: idque solum agebam, ut in-
„ter tacitas preces lachrymasque Deo
„rem totam commendarem, utpote
„qui omnium Principum corda in sua
„potestate ac arbitrio habet, quique
„Conciliis Episcoporum præsidet, ut is
„videlicet & Regi sensa inspiraret illius
„justitia & pietate digna, & conven-
„tui vestro media & rationes ostende-
„ret, jura ac libertates Ecclesiæ forti-
„ter asserendi. Sed ecce! ab hac ani-
„mi ambiguitate inopinatus me even-
„tus liberavit; novus enim ille Rega-
„lista ausus est, unam ex Ecclesiæ meæ
„Cathedralis dignitatibus occupare,
„ejusque possessionem perinde, acsi Se-
„des Episcopalis vacaret, invadere;
„neque hoc solum, verum etiam asse-
„rere, hanc provinciam non obstante
„antiqua libertate & possessione memo-
„riam hominum excedente, aliisque
„tot

„tot autenticis titulis, Regaliæ obno- Sæc. XVII.
„xiam esse, imo Regaliam in mea diæ- A. C. 1675.
„cesi jam esse apertam, quam tamen
„triginta sex annos pacifice gubernave-
„ram, ac beneficia omnia potestati meæ
„obnoxia nullo repugnante contule-
„ram.„

„En Illustrissimi & Reverendissimi
„Domini primum querelarum mearum
„Caput, quod necessario insinuandum
„illis credidi, eosque supplicare, ut
„suam mihi Authoritatem ac protectio-
„nem dignarentur impertiri.„

„Alterum est, quod D. Baro & Vi-
„carius generalis Domini Episcopi Mi-
„rapicensis non dubitaverit provisionem
„Regalistæ cujusdam ad Canonicatum
„Ecclesiæ collegiatæ diæcesis meæ ra-
„tam habere, qui tamen haud ignora-
„bat, nec me, nec Vicarium generalem
„Domini Cardinalis Bonzii Archiepi-
„scopi Narbonensis subscribere voluisse.
„Simile exemplum in monumentis con-
„ventus Anni 1660. reperire est Vicarii
„generalis Mirapicensis, ob similem om-
„nino errorem notati. Et quia in quam-
„plurimis Cleri Gallicani conventibus
„contra hujusmodi conatus remedia
„quæsita sunt, ac decreta sancita; cre-
„didi incumbere mihi necessitatem,
„casum, qui nuper in hac materia con-
„tigerat, quique ex circumstantiis, quæ

Sæc. XVII. A C. 1675. „illum comitatæ sunt, multo gravior „evasit, vobis insinuandi; spero enim „nec curam nec remedia vobis defu„tura, quibus hujusmodi excessibus im„posterum caveatur. Supererant alia „quædam vobis communicanda, sed „ea domino Episcopo de Beziers, alias „hujus nostræ provinciæ deputato con„fidenter aperui, rogavique, ut in Co„mitiis exponeret. Nolo vos amplius „morari, finioque has meas inter pre„ces ac vota.„

Attamen Clerus hoc anno in suis comitiis congregatus nec de hujus Episcopi caussa, nec de Regalium jure ullam deliberationem habuit, inde vero nonnulli intulere, Clerum suo silentio rebus judicatis stare, regioque edicto velle morem gerere.

Postea ad Franciscum Harlayum Parisiensem Archiepiscopum & comitiorum Præsidem eadem die literas dedit, referens, quod Montpessulano & Bliterensi Episcopis negotium dederit, ut Archiepiscopum de tota rei serie instruerent. Enimvero hic Archiepiscopus, cum plures comitiorum Episcopos sibi Alectensis querelas æquas videri cerneret, se rem ad Regem relaturum recepit, ultro pollicitus, se effecturum, ne res Senatus deliberationi relinqueretur, minus vero decideretur.

§. III.

Sæc. XVII.
A. C. 1675.

## §. III.

## *Ejusdem Episcopi literæ ad Cardinalem Bonzium.*

Pariter Alectensis Episcopus Petri de Bonzy Cardinalis & Narbonensis Archiepiscopi patrocinium implorabat, datisque ad eum die octava Julii literis gravissime querebatur, quod novi hujus edicti occasione, Ecclesiastica immunitas pessumdaretur, ejusque Ecclesiæ, quæ tamen a longissimo tempore memoriam hominum excedente fuerunt semper exemptæ, nunc gravissimo premerentur onere: Erat autem hujus epistolæ tenor sequens.

„Bini eventus, qui paucos ante „dies Alectensem Ecclesiam turbavere, „impulerunt me, ut ad comitia gene„ralia Parisiis congregata literas da„rem, measque illic querelas depone„rem. Unus est Tolosani cujusdam „clerici (*), qui titulo Regaliæ unam „ex Ecclesiæ nostræ cathedralis digni„tatibus obtinuit, ejusque beneficii „possessionem cepit. Alter vero Car„cassonensis Clerici, cujus provisionem „æque titulo Regaliæ obtentam Vica„rius generalis Mirapicensis ratam ha-



(*) Stephani la Gorrée.

Sæc. XVII. A. C. 1675.

„buit, quam tamen constabat, & a „me rejectam fuisse, & a D. Dumas Vi„cario generali Eminentiæ Vestræ. Quia „vero utrumque hoc factum ad publi„cam quietem ac utilitatem spectat, „& præsertim Narbonensem Ecclesiam „tangit, cui præest Eminentia Vestra, „credidi, mearum esse partium, eam „omnium, quæ occurrunt, reddere cer„tiorem. Et quidem nunquam oppor„tunior se obtulit occasio, quam quæ „modo affulget; cum nemini dubium „sit, Episcopis, qui ad Comitia generalia „convenere, non modo justissimos ti„tulos, verum etiam Authoritatem sup„petere, efficaciter, magnoque cum „fructu in hac caussa laborandi; quod „si modo facere omittant, verendum „est, ne malum irreparabile evadat, „ac remedii expers. Id ipsum DD. Epi„scopis de Montpellier & de Beziers „hujus provinciæ deputatis per literas „insinuandum duxi, a quibus plura, „quæ ad hujus caussæ statum ac ne„cessitatem pertinent, Eminentia Vestra „intelliget. Cui ego a Deo gratiam, „lumenque exposco, ea omnia intelli„gendi, peragendique, quæ ad majo„rem ejus gloriam ac Ecclesiæ suæ uti„litatem conducere poterunt, ac pari „reverentiæ & sinceri amoris sensu in „æternum persevero.

§. IV.

Sæc. XVII.
A.C 1675.

## §. IV.

## *Mandatum Epiſcopi Alectenſis contra Clericos obtentu Regaliæ Beneficia occupantes.*

Jam antea, ut diximus Nicolaus Pavillonius Alectenſis Epiſcopus in Canonicos, qui ejusmodi, ut vocant, Regaliſtas recipiunt, ſuſpenſionis, in Clericos autem ad talia beneficia nominatos excommunicationis pœnam pronuntiavit, ac die quinta Martii ſequens mandatum promulgari juſſit.

„Quoniam ex querelis a promotore „hujus Diæceſis ad aures noſtras dela„tis intelleximus, quam plures ſubrep„titie, tituloque Regaliæ, non pauca „beneficia, ſive dignitates illæ ſint, ſive „Canonicatus, tam in Cathedrali quam „in Collegiata S. Pauli Eccleſia obti„nuiſſe, imo conatos inſuper eſſe, ut „obtentu dictæ regaliæ eorundem be„neficiorum poſſeſſionem caperent; id„que non attento, quod major præfa„torum beneficiorum pars per canoni„cam, legitimamque inſtitutionem, jam „in alios ſit collocata, iique longo an„norum curſu pacifica eorundem poſſeſ„ſione fruantur; id vero ad manifeſtam „invaſionem & uſurpationem jurium Ec„cleſiaſticorum pertineat, ac antiquis „juri-

Sæc. XVII. A. C. 1675. „juribus, canonicæque libertati adver„ſetur provinciæ Narbonenſis, quæ non „ſolum, cum propriis privatisque Do„minis ſerviret, verum etiam poſtea„quam imperante Ludovico ſancto co„ronæ Gallicæ juncta eſt, nunquam „Regaliæ ſubjacuit; immo ejusdem „Ludovici, ejusque ſucceſſorum Regum „patrocinio, antiquas ſuas immunita„tes, ac jura retinuit, præſertim quoad „illa, quæ Regaliam ſpectant, ac etiam „per literas patentes Philippi pulchri „de Anno 1303. earundem immunita„tum ac privilegiorum confirmationem „accepit, & diuturna ac immemoriali „poſſeſſione libertatem ſuam præſcripſit; „imo quantumvis hujus provinciæ jura „minus firma eſſent, minusque fun„data, quam reipſa ſint, cui tamen „mirum, novumque, & hactenus in„auditum non accidat, poſt ſex & tri„ginta annos, quibus huic epiſcopatui „præeſſe cæpimus, eoque pacifice toti„dem annorum curſu potiti ſumus, ac „omnia beneficia contulimus, nullo „Regaliæ impedimento, eandem Rega„liam perinde ac vacante Eccleſia, in „noſtra Diæceſi aperiri? quanto ergo „hujusmodi attentata plus habent no„vitatis, magisque in Eccleſiæ præju„dicium vergunt, tanto magis noſtra„rum partium eſt, ut illa in ipſis initiis „ſuffo-

„ſuffocemus, præſertim cum titulo Re- Sæc. XVII.
„galiæ jam ſibi videantur poſſeſſionem A.C. 1675.
„vendicaſſe in aliquibus Eccleſiæ no-
„ſtræ beneficiis, videlicet Cimmeliar-
„chatus noſtræ Cathedralis, quam Cle-
„ricus aliquis Toloſanus reſignandam
„ſibi curavit Regaliæ obtentu, ac in-
„ſuper fructus uſurpare conatur, non
„obſtante mandato, & interdicto no-
„ſtro, quo, ne deinceps virtute Rega-
„liæ, ſecutæque poſſeſſionis functioni-
„bus illius beneficii ſe ingerere præſu-
„meret, ſub pœna excommunicationis
„ipſo facto incurrendæ diſtricte prohi-
„buimus. Alterum beneficium eſt,
„cui, cum a ſua fundatione cura ani-
„marum annexa ſit, habeatque aliquos
„parochianos, quantumvis parvo nu-
„mero ſubjectos, jam tamen per ali-
„quot annos a perſona laicæ conditio-
„nis poſſeſſum eſt, & ab hac ad aliam
„tranſiit, ne nomine quidem notam.
„Quæ omnia niſi remedio aliquo op-
„portuno corrigantur, neceſſe tandem
„eſt, ut in maximum Eccleſiæ, dicto-
„rumque capitulorum ad Diæceſeos
„damnum & confuſionem redundent.
„Quæ cum ita ſe habeant, præfatus
„diæceſis noſtræ promotor inſtanter ro-
„gavit, ut ad hunc effectum Authori-
„tatem noſtram interponere digna-
„remur. „

„Nos

Sæc. XVII. A. C. 1675.

„Nos ergo precibus ejusdem pro„motoris permoti & præsertim hujus„modi Regalistarum injustis conatibus „obviare, iis vero, qui de præfatis be„neficiis canonice investiti sunt, ne „quidquam molestiæ patiantur, provi„dere cupientes, ac insuper, quantum „in nobis est, ac juxta obligationem „nobis ex divinæ legis sacrorumque „Canonum præscripto impositam, jura „& libertates Ecclesiæ nostræ illibata „conservare; capitulis Ecclesiæ nostræ „cathedralis ac collegiatæ sancti Pauli „iterum inhibemus, prout jam alias „inhibuimus, ne quemquam eorum, „qui subreptitie ac prætextu Regaliæ „collationes aut nominationes impe„trarunt, in præfata beneficia reci„piant, in chorum aut capitulum, a„liasve functiones eorundem benefi„ciorum admittant, sub pœna suspen„sionis, quam ipso facto incurrant, „quicunque ad hujusmodi receptionem „aut installationem auxilio, aut con„silio, aut alio quocunque modo coope„rati fuerint. Ipsis vero ita ut præ„tactum est, provisis, ne se dictis be„neficiis ingerant, sub pœna excom„municationis ipso facto incurrendæ. „Omnibus etiam personis Ecclesiasticis „æque prohibentes, ne quocunque „modo hujusmodi, ut præfatum est,

„pro-

„provisis, consilium aut auxilium præ- Sæc. XVII.
„stent in capienda possessione, idque A.C. 1675.
„sub pœna suspensionis æque ipso facto
„incurrendæ. Mandamus etiam sacer-
„doti, ad quem notitia istarum primo
„pervenerit, aut alias cuicunque Cle-
„rico tonsura insignito, ut omnes actus
„aut alias quidquid ad hujus mandati
„nostri promulgationem necessarium
„fuerit, diligenter expediat, aut ex-
„pediri faciat.„

## §. V.

## *Novi articuli Calvinianæ sectæ a Genevensibus procusi.*

Nil magis ridiculum videtur, quam quod omnes Sectarii suam fidem a Christo & Apostolis continuata serie ad ipsos derivari glorientur, & tamen primum eo tempore, quo primi, ut se vocabant, reformatores suas sectas fabricarunt, habitis inter se disceptationibus acerrimis de fidei suæ systemate deliberarint, & quosdam articulos, quos hodie amplectebantur, cras tanquam abusus atque errores detestati sint, novosque indies procuderint, obtendentes, quod incæptæ reformationis tempore eorum fides in sua infantia nondum perfectionem adipisci potuerit: ut autem has variationes, quæ fidei veræ

*Weisman Hist. Eccl. t. 2. p. 185. Claude Fasc. epist. 2676. p. 83. & seq.*

Sæc. XVII. A. C. 1675. veræ adeo repugnant, excusarent, plurimos articulos, uti de electione ex fide prævisa, de gratia universali vel particulari, quos olim tanquam fidei suæ summam ac characterem distinctivum profitebantur, postea ad quæstiones theologicas rejecerunt, circa quas *facilius inter varia unius magnæ urbis horologia sit conventurum, quam inter omnes Theologos*, ut scripsit Samuel Maresius: Nihilominus tamen hoc anno eosmet articulos, circa quos Calvinistæ unionem cum Lutheranis pangere intenti, concessa credendi libertate a fundamentalibus segregarunt, Genevensis, Bernensis & Tigurinus Magistratus, ad Helvetiorum preces, novis suæ sectæ confessionibus, ac fidei formulis inseruerunt, suisque Prædicantibus mandarunt, ut eis in hæc verba: *ita credo, profiteor, & docebo* subscriberent, ni suo officio, omnique functione Ecclesiastica privari vellent: ita nempe nova eorum fides tempori, Status rationi & Magistratus beneplacito ac mandatis cedere ac deservire cogitur: Eadem libertate hoc quoque anno Genevenses fidei professionem edidere, in qua decretum anno hujus sæculi quadragesimo nono confirmarunt, simulque sequentes duos articulos eidem addiderunt. I. *Imputatio peccati Adami antecedit cor-*

*corruptionem.* II. *In ordine Divinorum Decretorum Missio Jesu Christi est post decretum Electionis.* Hanc vero novam fidem fabricandi licentiam acriter Genevensibus Calviniſtis exprobrabat Claudius Præco itidem Calvinianus, partim quod *in punctis* non ſolius diſciplinæ, ſed ipſius *doctrinæ natura immutabilibus* variationem inducere auſi ſint, partim quod tanta, & inaudita *ſeveritate horum articulorum ſubſcriptionem exegerint,* ut non modo ſuos Prædicantes, ſed etiam exteros *dudum in miniſterio conſtitutos eis ſubſcribere coegerint*, proin *ſemetipſos hi Theologi Genevenſes damnent, acſi hactenus pacem injuſtam coluiſſent cum iis, quibus bellum declarare oportuiſſet.*

Sæc. XVII. A. C. 1675.

*Vid. ſupra lib.* 199. §. 129. *p.* 432. *t.* 60.

## §. VI.

## *Propoſitiones ex libro Patris Lamy depromptæ, atque ab Andegavenſi Univerſitate cenſuris notatæ.*

Elucubraverat Bernardus Lamy Sacerdos Congregationis Patrum Oratorii de morali diſciplina quatuor diſcurſus, quos Andegavenſis Academiæ Magiſtris examinandos tradiderat: Hi vero die decima nona Octobris declararunt, ſe in illis reperiſſe plures temerarias propoſitiones, terminosque Monarchis, Principibus, Gubernatoribus

*Argentre t.* 3. *Collect. Jud. p.* 340.

Sæc. XVII. A.C. 1675. ribus & Magiſtratibus infeſtos atque injurios; eoquod illis imputare videatur, quod in ſtatu naturæ corruptæ omnia ex injuſtitia, ambitione, & amore proprio agant, populos opprimant, eosque ſuæ gloriæ, avaritiæ & voluptati immolent, nec ſe ab hiſce vitiis cohibeant, niſi vel quia non poſſunt, vel quia de ſuæ voluutatis ſucceſſu deſperant. Eapropter Univerſitas ſequentes propoſitiones proſcripſit, utpote quæ in ſubditorum animis rebellionem & averſionem erga Regem ejusque Miniſtros inſpirant.

Propoſitio I. *Cum amore ſui homo plenus ſit, & ad ſe omnia referat, omnes odio habet, quorum ſocietas non eſt illi utilis; nec ſolum odio habet, ſed etiam injuriis proſequitur.*

II. *Quæ ſunt in corde hominis affectiones, prima affectione vult omnibus præeſſe, & ſuo imperio eos, quibuscum vivit, ſubdere, ſecunda, egeſtatis timor eſt, quarum ſcilicet affectionum concordia conſtituit imperia, Respublicas &c.*

III. *In ſtatu corruptionis nulla affectio caret culpa, ſi ergo hominum conſortia quærit homo, non ratione ducitur, ſed vult habere, in quos imperia exerceat . . . Unusquisque igitur hac perverſa affectione corruptus ſibi omnia vindicat bona, dignitates, gloriam, quapropter manifeſtum eſt, quo-*

*quomodo hæc corruptio conditionum discrimina intulerit, cum illi, qui industria & viribus pollent, conentur sibi solis possessiones asserere, & aliis eripere.* Sæc. XVII. A.C. 1675.

IV. *Homo in illo corruptionis statu, quo a nobis consideratur, cum omnia ad se referat, totam terram invaderet, & omnes homines imperio suo subjiceret, si vires illi subjacerent, ad eos domandos, & ut lupi vellent irruere in gregem, sed timent pastorum vigilantiam.*

V. *Qui ergo dignitates ambiunt, in illis tantum considerant divitias, honores, & Licentiam exercendi impune omnia facinora: ubi has dignitates adepti sunt, primam curam adhibent, ne ex illis excidant; ubi autem id non timent, sæviunt in subditos, & suæ libidini cives immolant.*

VI. *Jus gentium, quo verbi gratia Legati sunt securi, ab illa perversa origine descendit.*

VII. *Reges nascuntur, aut eliguntur, nihil tam videtur rationi adversari, quam regimen demandari puero, qui adhuc in cunis vagit, qui nec jura dicere populis, nec illos tueri potest; sed homines non satis mentem advertunt ad statum suæ corruptionis; in quo utile est populis, ut potius filiis subjiciantur.*

VIII. *Si omnes summis illis virtutibus præstarent, quas assequi Christiani contendere debent, ad primum illum innocentiæ*

Sæc. XVII. A. C. 1675.

*ſtatum reverterentur, in quo nec ulla conditionum inæqualitas, nec bonorum diviſio exiſteret.*

IX. *Quolibet opere libero meremur, vel æternam felicitatem, vel æternum ſupplicium, . . . . . cum quolibet voluntatis noſtræ actu vel ad beatitudinem vel ad miſeriam properemus.*

X. *In ſtatu criminis omnes affectus vitioſi ſunt & mali.*

XI. *Paſſiones hominis vitioſæ ſunt tum ex parte objectorum, quoniam commoventur a rebus, quas ſpectare deceret ſine ullo motu, tum ex ſeipſis, quia rationi non ſubduntur.*

## §. VII.

## *Proteſtantium Hungarorum rebellio contra Cæſarem.*

*Hiſt. Chron. cont. p.* 198. *Theatr. Europ. t.* II. *Wagner hiſt. Leop. l.* 4. *p.* 341.

Interim Prædicantes in Hungaria, qui adhuc ob pertinacem ſuam rebellionem aliaque crimina capti detinebantur, non modo Cæſarem, ſed & exteros Principes religionis affinitate ſibi junctos præcipue Saxoniæ Electorem ſummis precibus exorabant, ut eis liberum ſuæ ſectæ exercitium, ſimulque priſtinam libertatem reddi curarent: annuit eorum votis clementiſſimus Imperator, ea tamen lege, ut ſe deinceps a ſeditioſis machinationibus, & ulciſcen-

Sæc. XVII
A. C. 1675

ciſcendi animo alienos fore pollicerentur, circa ſectæ vero libertatem, gratiam anno priori ipſis die vigeſima tertia Februarii indultam non excederent: Hac tamen Cæſaris clementia nondum edomita eſt ferocia ſeditioſorum Proteſtantium, qui denuo Turcarum Imperatorem ſollicitarunt, ut Oratorem ad Cæſarem decerneret, eumque ad liberam hæreſis profeſſionem ſingulis concedendam inflecteret, ipſi vero interim jactato Religionis tuendæ obtentu, quo omnes Sectarii ſuas rebelliones honeſtare conſueverunt, collectis aliquot millibus urbes arcesque Cæſari fidas qua vi, qua deditione occuparunt, atque excarnificatis dirum in modum Catholicis, ductore Emerico Tökelio Comite omnem late regionem latrociniis, & cædibus, atque incendiis devaſtarunt. Movit in perduelles Coppus Cæſareus Bellidux, eosque prope Leutſoviam aſſecutus, cæſis octingentis, ceteros in effuſam fugam conjecit, Sparrius quoque rebelles Arvæ fudit, fugavitque, & captos promeritis ſuæ perfidiæ pœnis affici juſſit: nec tamen reliqui propterea reſipuere, ſed prope Onodinum conglobati ter mille, direptis pluribus pagis Palfii legionem ferme integram trucidarunt, & Bargotſium Comitem, qui eos Cæſari reconciliare

Sæc. XVII A. C. 1675. ciliare nitebatur, lethali vulnere affi-cientes, demum Janiſſarorum præſidio tuti cum multis Calviniſtarum familiis ſeſe in Turcicum agrum recepere: Paulopoſt Straſoldus Comes Tökelii agmen ſtrenue Zatmarinum usque inſecutus, ſeditioſos ad prælii neceſſitatem adegit, eosque ingenti clade oppreſſit, ac cæſis eorum octingentis, captisque quadraginta militaribus ſignis, multam armentorum copiam eis eripuit: ipſemet quoque Tökelius ægre præcipiti fuga ſibi conſulere poterat, in fronte vulneratus, ut ex infamiæ cauterio ejus præfractæ fronti inuſto hujus Viri perfidia cunctis conſpicua fieret.

## §. VIII.

## *Vario Marte a Cæſareis, Gallisque ubique pugnatum.*

Poſtquam Turrenius Franciæ Mareſcallus nupera expeditione detritas exercitus ſui vires reparaverat, primo hujus anni Vere Cæſareis Alſatia pulſis, ipſemet Rex Ludovicus in Belgium irrupit, & captis, incenſisque pluribus oppidis victor in Gallias ad ſedandos inteſtinos motus rediit, totius expeditionis ad Rhenum cura Turrenio relicta: Hic igitur trajecto Rheno Aoheram oppidum inſidet, ut eo facilius caſtra

castra Montecuculi, qui eum cis Rhenum repellere moliebatur, explorare posset: cum autem Caprara Offenburgi Gubernator cum suis Sasbacum versus moviſſet, Turrenius ex adverso hostium in acclivi colle castra explicat, atque a captivis, Cæsareorum impedimenta in montana subduci edoctus, an non fors ipsimet etiam sequerentur, speculatum ad eminentiorem locum progreditur: Attamen dum San-Hilario Comiti locum pro extruendo suggestu monstrat, ignito grandioris tormenti globo percussus, vitam improviso fato amisit, non sine immenso Regis luctu; Eadem glande San-Hillario brachium avulsum est; Comperta tanti Belliducis nece horruere Gallorum castra, moxque Lorchius, qui defuncti vices interim agebat, Altenheimium recessit, multiplici suorum clade a Cæsareis mulctatus: Cæsarei vero opima præda ditati Argentoratum ingrediuntur, & Montecuculus incassum tentata Hagenoa Condæum Principem, cui Rex exercitus imperium demandabat, strenue insecutus, Tabernas urbem obsidet, soluta autem obsidione prætoriam stationem Ehingæ occupat, a Badensi vero Duce apud Cæsarem accusatus, Viennam contendit. Inclinatis Gallorum rebus Cæsarei, qui Lotharingicis alio-

Sæc. XVII. A. C. 1675.

Sæc. XVII. A.C 1675. rumque Principum copiis aucti ad Mosellam castra metabantur, Trevirensem urbem expugnare aggrediuntur, initoque prælio Crequium Franciæ Marescallum, qui cum suis Trevirim liberaturus accurrerat, profligant, simulque eum & civitatem deditione capiunt: viciſſim vero Estradius Comes arcem Leodiensem præsidiariis auro Gallico corruptis intercepit, nilque propius fuit, quam ut ipsum etiam Badensem Cardinalem, qui paulo ante cives ad Cæsaris partes inclinaturus eo venerat, captum abduceret. Interim Carolus Sueciæ Rex, qui Gallis favebat, Marcam Brandeburgicam copiis ferme vacuam hostiliter invasit, quamprimum vero Elector Brandeburgicus Cæsareo milite auctus, ex Franconia advenerat, iterata clade prostratum Suecum ex tota Marchia expulit, expugnatisque Wollino, & Wolgasto, Usedona, & Rattenavia universam Pomeraniam victricibus armis emensus est. Pariter Brunsvicensis Princeps, & Christophorus Bernardus Monasterienſis Episcopus totum Bremensem & Verdensem Ducatum, excepta Stadia urbe Sueco eripuere: Nec minus prospero Marte adversus Carolum Christianus V. Daniæ Rex dimicabat; quippe classe Suecorum deleta in Wismarienſi portu cun-

cunctas naves incendio destruxit, ipsamque Wismariam urbem fame ad deditionem compulit. Ita Suecici nominis terror & gloria in Germania antehac Catholicorum sanguine & lacrimis plantata intra paucos menses penitus emarcuit. Sæc. XVII. A. C. 1675.

## §. IX.

## *Fürstenbergii liberatio inter pacis articulos proposita.*

Domita Suecorum ferocia, & succisis Gallorum viribus Cæsaris, Daniæ Regis Brandeburgici Electoris, Luneburgici Principis, ceterorumque Fœderatorum Oratores Bremam convenere, ut sua cuivis prædæ portio decerneretur. Ast jurgiis ex competitorum invidia, & cupiditate motis hic Conventus brevi solvebatur; privato autem Hildesii colloquio conventum est, ut Stada Luneburgicis, & Bemerverda Monasterienſi Episcopo adjiceretur, Danus vero Bremensi ditione excederet; Brandeburgicus tamen sollicite caveri petiit, ne Episcopus in Bemerverda quicquam circa religionem immutaret. Sub idem tempus Angliæ Rex, soluto Colonienſi Conventu, inter belligerantes pacem conciliare rogatur, & Noviomagensis civitas tan-

*Wagner vita Leopold. l. 4. Theatr. Europ. t. 11. Hode Hist. de Louis XIV. l. 36. pag. 37.*

Sæc. XVII. A.C. 1675. quam publici consilii sedes decernitur: jam ab Arausionensi Principe, & Templio Angliæ Legato proponuntur prima pacis media, cum præter omnem exspectationem ex Galliis nuntiatur, Regem nullos missurum Oratores, nisi prius Fürstenbergio Principi libertas, & erepta pecunia Coloniæ Gallis redderetur. Idem quoque petebat Angliæ Rex, cui tamen Protestantes responderunt, hæc a Gallis nonnisi præpediendæ pacis studio postulari, cum notum esset, Fürstenbergium esse Cæsaris subditum, hujus belli incentorem, & accerrimum Protestantium hostem: E contrario Galli scriptum divulgabant, quo Cæsarem violati juris gentium insimulabant, quibus tamen responsum, „Gal„los esse, qui ruptis pyrenææ & Aquis„granensis pacis vinculis Sanctorum „Martyrum ossa profanis pedibus con„culcarunt, Templorum Sanctitatem, „Pontificum Thiaras, Regum diade„mata, sacratumque Cæsareæ affinita„tis vinculum contaminarunt, viduas, „pauperes ac pupillos exspoliarunt, „religioni rebelles, suæ famæ & com„modo honestatem litare, cunctaque Re„gnum suum protendendæ cupiditati im„molare parati: . . . Qua fronte ajebant, „in pacis limine Galli ejusmodi exi„gunt conditiones, quas nonnisi victo„res

„res victis jure præscribere possent?„ Ceterum ea res utrinque magna vehementia diu agitata est, donec tandem Franciscus Egon Fürstenbergius Argentoratensis Episcopus capti Frater Germanus publico scripto declarasset, quod Europæ quietem fratris sui libertati præferens, vellet, ut ipse usque ad belli finem in custodia permaneret, ne pacis negotio ac Reipublicæ bono remoram poneret. Eandem in sententiam supplices quoque ad Franciæ Regis literas dedit, gratesque eidem rependens, pro Regiis curis liberando Fratri impensis, rogabat, ne Rex pacem ea de caussa Christiano Orbi ultro moraretur: cum ergo ipse Guilielmus Fürstenbergius e Viennensi custodia idem ad Franciæ Regem perscriberet, ac ipsemet Angliæ Rex ab Argentoratensi Præsule interpellatus, idem peteret, Ludovicus Rex de occasione, qua se ex contentione minus sibi decora honeste extricare posset, lætus Vitrium Ducem Colbertum, & Comitem d'Avaux Oratores ad pacis congressum decrevit. Sæc. XVII. A. C. 1675.

## §. X.

## *Seditiosi tumultus in Gallia repressi.*

Peri-

Sæc. XVII A.C. 1675.

Periculosi seditionum motus Ludovicum Franciæ Regem inter ipsos ancipites exteri belli successus in Gallias revocabant; quippe jam anno priori Rohanius Princeps auro corruptus de Normania & Britannia in Regem suum concitanda Hispanis spem fecerat, hancque in rem de quodam Normanniæ oppido, quo in Gallias irrumperent, prodendo cum eis egerat: Insuper ad promovendam hujus propositi executionem jamjam destinata erat Batavorum classis. Verum detecta proditione Rohanius unacum Preuxio Equite & Villarsio Marchione captus, die vigesima octava Novembris in Bastillia capite truncatus est: nec tamen horum sanguine extinctæ sunt conspirationis Bisantii sub cineribus latentis scintillæ; ibi enim cives inito inter se consilio Durasium Marescallum, omnemque præsidiarium militem veneno interficere parabant: tempestive autem manifestato eorum consilio plusquam centum cives suam perfidiam capitis pœna luerunt: horum autem mortem hoc anno ulciscí videbantur Burdegalenses, Britanni, atque Occitani, qui ob tributa solitis graviora tumultuantes ex ipsis Regiis Ministris non paucos jugularunt, adhuc sæviora tentaturi, nisi furiosa hæc plebs cujusdam Antesignani impe-

imperio fuiſſet deſtituta, atque exteræ opis fiducia caruiſſet: Quamprimum vero Rex vicinas copias adduxerat, mox diſſipata factione rebelles promeritas ſuæ ſeditionis pœnas dederunt. Sæc. XVII. A. C. 1675.

## §. XI.

## *Jubilæum Romæ ſolemni pompa celebratum.*

Hic annus Chriſti milleſimus ſexcenteſimus ſeptuageſimus quintus apud Romano-Catholicos ob plenæ remiſſionis gratiam Sacer, feſtivusque fluxerat: Properabat Romam verſus ex omnibus Chriſtiani Orbis Provinciis ingens Peregrinantium concurſus, quin etiam multi Principes ex Germania ſeſe eo conferebant; adeo non eorum fervorem bellum in Cismontanis Provinciis graſſans remorabatur, ut potius majore adhuc reverentia & ardore præſcriptis pietatis exercitiis defungerentur, quo ſacra hæc ſolemnia nonniſi recurrente quovis anno vigeſimo quinto frequentari noſſent. Ut vero Clem. X. pauperes, qui maximo numero Romam Deo ſacra hac peregrinatione litaturi advenerant, omni, qua poſſet modo ſublevaret, hoc anno Congregationem Sacerdotum Noſocomio SS. Trinitatis inſervientium inſtituit. *Hiſt. Eccl. t. 3. p. 478. Priet. Annal. contin.*

§. XII.

Sæc. XVII. A. C. 1675.

## §. XII.

## *Novemdecim Martyrum Gorcomenſium Beatificatio.*

*Menolog. Franc. p. 1365. Priet. l. c.*

Eo tempore, quo Gueſii Calviniſtæ Gorcomenſem urbem in Hollandia ſeditioſis ſuis armis ſubegerant, ſub crudeli Principe Auriaco non modo in cives Catholicos, ſed potiſſimum in Eccleſiaſtici Ordinis Viros omnem Calvinianæ inhumanitatis furorem effuderunt, ibidemque e variis Cleri tum ſæcularis tum regularis Ordinibus novemdecim homines ad ejurandam Chriſti Euchariſtici præſentiam, Eccleſiæ Catholicæ Fidem, & Romani Pontificis auctoritatem minis & promiſſis adegerunt: cum autem eos a fidei conſtantia dimovere deſperarent, anno Chriſti milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo Princeps Auriacus illos comprehendi, in vincula conjici, ac diuturno carceris ſquallore dire cruciari juſſit, demum vero inter acerba ludibria, verbera & opprobria in naviculam compactos Gorcomio Brüllam devehi præcepit, ubi juſſu Comitis de Marcha inter contumelioſiſſimas litanias in publico foro in Catholicorum deſpectum decantatas virgis ſuper nudum dorſum crudeliter cæſi, naribus, auriculis, & mem-

membris, quæ verecundia detegere prohibet, non minus fœdo, quam crudeli vulnere præciſis, tandem conjunctis dorſis nudi, ac dilaniati ſuſpendio necati ſunt: Ex his erant undecim Franciſcani, ſcilicet Nicolaus Picchius Guardianus, Hieronymus Wertenſis ejusdem Vicarius, Willehadus, Nicaſius Heſius, Theodoricus Emdenus, Antonius Wertenſis, Godefridus Mervellanus, Franciſcus Bruxellenſis, Antonius Hornarienſis Sacerdotes, & Petrus Aſchanius Laicus, necnon Antonius Tertiarius. Hos omnes novemdecim in odium fidei trucidatos, & miraculis claros Clemens X. Pontifex hoc anno maximis impenſis, ingentique pompa Beatorum Martyrum numero adſcripſit. Sæc. XVII. A. C. 1675.

## §. XIII

### *Ven. Joannes a Cruce primus Carmelita Diſcalceatus, & Franciſcus Solanus Ord. FF. Minorum Beatorum Albo ab eodem Pontifice inſerti.*

Majore adhuc ſolemnitate idem Pontifex hoc anno die vigeſima quinta Aprilis Venerabili Joanni a Cruce primo Carmelitarum Diſcalceatorum Parenti *Bull. Carmell tom. 3. Menalog. Franc. pag. 1453.*

Sæc. XVII. A. C. 1675.

renti publicos Beatorum honores ad preces Caroli II. Hiſpaniæ Regis, & Mariæ Annæ ejus Matris, totiusque Ordinis Carmelitani decrevit: cum enim jam anno priori die vigeſima quinta Septembris Sacræ Congregationis Patres coram ſummo Pontifice retuliſſent, quod poſt maturam juxta & diuturnam diſcuſſionem de vitæ ejus ſanctitate, & virtutibus heroicis, necnon de tot tamque luculentis conſtaret prodigiis, ut quandocunque Sanctitati ſuæ videretur, ad ſolemnem ejusdem Servi Dei Canoniſationem procedere poſſet, hinc Pontifex interim die vigeſima quinta Januarii edito diplomate Apoſtolico indulſit, ut prædictus Dei famulus deinceps Beati nomine nuncuparetur, ejusque Corpus & reliquiæ veneratoni fidelium exponerentur. Eadem die Clemens X. Papa poſt legitimum examen de vita ejusque miraculis in Curia Romana inſtitutum ſupplicantibus Catholico & Peruano Regibus, totoque Clero in Vaticana D. Petri Eccleſia Venerabilem Franciſcum Solanum Ord. FF. Minorum de Obſervantia Beatis Cæli Incolis ſolemni ritu adjudicavit.

§. XIV.

Sæc. XVII.
A. C. 1675.

## §. XIV.

## *Ejusdem summi Pontificis Constitutiones Apostolicæ.*

Præter hæc Beatificationis diplomata idem summus Pontifex hoc anno plures edidit Constitutiones, quarum præcipuas referimus: præprimis igitur Constitutionem numero centesimam decimam sextam revocans tam Capuccinis, quam tertiariis in Gallia dedit potestatem sæculares utriusque sexus ad tertium S. Francisci ordinem juxta usum receptum admittendi. Die etiam decima septima Julii omnibus utriusque sexus Carmelitis indulsit, ut semel in Mense Officium S. Mariæ Magdalenæ recitare valeant: Præterea ad preces Cardinalium Protectorum decretum promulgavit, vi cujus prohibuit, ne Itali in Collegium Germanico-Hungaricum Romæ admitterentur, sed duntaxat illi, qui qualitates habent in Bulla fundationis & Constitutionibus requisitas: simul etiam confirmatis ejusdem Collegii privilegiis atque exemptione Episcopum Laudensem reprehendit, eoquod hic in quoddam Ord. S. Benedicti desertum Monasterium Ducatus Mediolanensis, quod Gregorius XIII. præfato Collegio donaverat, ju-

*Bull. magn. Clem. X. Bullar. Carmel. t. 3.*

Sæc. XVII. A. C. 1675

risdictionem exercere præsumpsisset: Præcepit etiam locorum Ordinariis, & Ordinum generalibus, ut saltem bis in anno necessitates Terræ sanctæ populo exponi curarent. Denique, etsi Gregorius XIII. decrevisset, quod Jesuitæ cum summi Pontificis & Generalis licentia ad quemcunque Ordinem transire possent, nihilominus, cum id Paulo Olivæ tum Generali non placeret, & ad laxiorem Ordinem transire suis prohiberet, non pauci Jesuitæ tamen primo ad strictiorem, ac postea eo relicto in laxiore professionem emitterent, hinc Generalis ab hoc Papa obtinuit, ut tertiam professionem in Ordine laxo irritam declararet, si facta esset sine Sedis Apostolicæ aut Generalis venia.

## §. XV.

## *Quædam Sacrarum Congregationum decisiones.*

*Constitut. Congreg. Imm. Rit. Rot. &c.*

Die vigesima tertia Januarii in sacra Rota Romana decisum fuit, quod etiam beneficiati sæculares, licet subjecti sint jurisdictioni Episcopi, teneantur obedire Abbati Regulari eorum Prælato & Ecclesiæ Superiori, hicque eos saltem pœna pecuniaria coercere valeat, si ejus monitis indiscrete obedire recusarent; quia secus officia Divina, ceteræque

ræque functiones Ecclesiasticæ absque scandalo peragi haud possent. Eadem quoque Congregatio die quarta Februarii declaravit, quod Beneficiatus, qui paratus est inservire Ecclesiæ, etiam admittendus sit ad consequendas distributiones. Die autem vigesima secunda Junii S. Rituum Congregatio statuit, quod Sacerdos Regularis deferens reliquias in supplicationibus, in quibus non intervenit Clerus sæcularis, incedere possit cum stola & Pluviali, non autem cum sola stola: Eadem quoque die S. Immunitatis Congregatio decidit, quod Sacerdos excommunicatus, qui attenta paupertate nedum ad satisfaciendum parti, sed etiam ad cautionem, antequam absolvatur, præstandam impotens est, præstare teneatur obligationem in forma de satisfaciendo infra terminum ab Episcopo assignandum. Censuit quoque die vigesima septima Augusti eadem S. Congregatio, quod absolutio data in vim Jubilæi per confessarium a censuris incursis ob violatam Immunitatem Ecclesiasticam, non suffragetur in foro exteriori. Declaratum denique die decima tertia Septembris a S. Concilii Congregatione, quod transgressor edicti Episcopalis in materia clausuræ Monialium non possit ab excommunicatione inflicta, & Episcopo

Sæc. XVII. A. C. 1675.

Sæc. XVII. A. C. 1675. reservata absolvi a Metropolitano vel alio quocunque Episcopo.

## §. XVI.

### *Dissidia inter Principum Oratores & Cardinalem Patronum composita.*

*Theatr Europ. tom.* 11. *pag.* 956. Anno priori Palutius Altierius Cardinalis, ut vocant, Patronus Romæ edictum promulgari jussit, quo inhibitum, ne Principum Oratores aliique per urbem citatis equis veherentur, idem quoque Cardinalis novum vectigal erexit, & ante Pontificium Palatium catenam obduci præcepit, ne invito hoc Cardinale liber ad Papam accessus cuipiam pateret: Ea novitas pupugit exterorum Principum Oratores, ex quibus Cæsareus, Gallus & Veneti Oratores ea de re suos Principes certiores reddiderunt, simulque a Pontifice sibi satisfieri postularunt. Habentur variæ consultationes, proponuntur diversa conciliandæ pacis media, eaque res per integros quinque Menses non sine magna animorum contentione agitatur: Accessit autem novæ indignationis argumentum, dum summus Pontifex urgente eodem Altierio sex Præsules prætermisso Massilienſi Episcopo Romana Purpura decoraverat; inde Franciæ Legatus ira commotior ceteros Ora-

Oratores ſecretæ cum præſato Altiero colluſionis inſimulabat, ex urbe inſalutato Papa diſcedens. Hujus abſentia, prout unumquemque privati ſui affectus ratio moverat, nonnullis moleſta accidit, aliis pergrata: tandem vero Cæſareus, Hiſpanus, Venetusque Oratores, depoſita ſimultate priſtinam Altierii benevolentiam ſuſceperunt, ea lege, ut hic Principum Legatos in hoc edicto haud comprehendi declararet: aliquamdiu autem Franciæ Orator Regii Senatus juſſu indignationem ſimulabat, atque Apoſtolicus Papæ Nuntius Pariſiis remiſſius habebatur: ſenſim vero hujus diſſidii memoria penitus deleta eſt. Sæc. XVII. A. C. 1675.

## §. XVII.

## *Novi Cardinales a Clemente X. Papa inaugurati.*

Die igitur vigeſima ſeptima Maij Clemens X. Pontifex Maximus ſex Prælatos ſacro Cardinalium Collègio adſcripſit, & quidem primo Galeatium Mareſcottum patria Romanum quondam in Polonia, ac tum in Hiſpania Nuntium Apoſtolicum II. Albritium in Cæſaris Aula Nuntium Pontificium. III. Spadam in Francia Legatum Apoſtolicum. IV. Alexandrum Creſcen- *Theatr. Europ. l. c. Cont. Hiſt. Chron. p. 3. lib. 9. Eggs Purp. Doct. l. 6.*

Sæc. XVII. A. C. 1675.

tium patria Romanum Patriarcham Antiochenum & Pontificii Cubiculi Magiſtrum. V. Bernardinum Rocci Pontificiæ Aulæ Magiſtrum. VI. P. Philippum Thomam Howart, Norfolciæ Ducem ex Ord FF. Prædicatorum, qui Angliæ Reginæ a confeſſionibus erat.

## §. XVII.

## *Franciſci Mariæ Brancacii Cardinalis obitus.*

*Palat. faſt. Card. t. 4. Cornar. rel. de la Cour de Rom. pag. 53. Ephem. erud. III. pag. 23.*

EOdem hoc anno die vigeſima nona Januarii Romæ deceſſit Franciſcus Maria Brancatius patria Neapolitanus, & ſeptimus ex nobiliſſima hac gente Cardinalis. Hic in patria ſua humanioribus literis, ac Philoſophiæ, Græcæ linquæ, & jurisprudentiæ operam navabat, tanto ingenii laborisque ſui proventu, ut Doctoratus laurea inſignitus, nonniſi annos natus ſeptendecim jamjam in Neapolitano Prætorio patrocinandis cauſſis inſudaret: Poſtea ſacris initiatus, ac Theologici Doctoratus honores emeritus, Romæ a Gregorio XV. utriusque Signaturæ Referendarius, ab Urbano VIII. Fabriani Præfectus, ac ſancti Marcii Brutianus, poſtea Caputaquenſis Epiſcopus renuntiabatur: Inde Romam evocatus, ibidem Eccleſiaſticam jurisdictionem ſtrenue

nue

nue propugnavit, ac demum in rei bene gestæ præmium Romana Purpura decoratus, atque Ecclesiæ Viterbiensi Episcopus designatus, in decem Congregationibus Romanis indefessam Sedi Apostolicæ operam dicavit: Ipsus quoque suam Diæcesin lustravit, ac Seminario, quod Alexander Cæsarinus Cardinalis inchoaverat, penitus absoluto synodum habuit: Interfuit comitiis Clementis X. a pluribus Cardinalibus ad Pontificiam Thiaram expetitus, a qua tamen per Hispanos excluſus fuit: Erat eximius Literatorum fautor, ipsusque varia edidit opuscula, atque inter alia opusculum de consecratione Altarium & de Privilegiis Cardinalium, necnon tractatum de Chocolatæ usu, ubi moderato hoc potu jejunium non dissolvi, solide comprobabat: Obiit tandem annos natus octoginta tres. Sæc. XVII. A. C. 1675.

## §. XIX.

## *Cæsaris Rasponi Cardinalis extrema.*

Non sine maximo animi sui dolore Clemens X. Papa mortem percepit Cæsaris Rasponi ad præstanda Ecclesiæ obsequia nati. Hic decurso studiorum stadio Abbas & Canonicus Lateranensis ab Urbano VIII. & ab Innocentio X. & Alexandro VII. pluribus *Palat. fast. Card t. 9. Retz. mem. t. 3. p. 369.*

Sæc. XVII. A. C. 1675

Patrum Purpuratorum cætibus adscriptus, ad magis ardua Ecclesiæ negotia præcipue circa Avenionenses semper non pœnitendo selectu admovebatur: Selecta quoque erat hujus Viri industria, dum ob injuriam Crequio Duci irrogatam Ludovicus XIV. graviter offensus fuerat, quem tamen Rasponus Alexandro Pontifici omnium applausu reconciliabat, feliciterque dissidium diu frustra Pisis agitatum propter Castrensem Ducatum componebat. vulgo ob astutiam suam *Vulpes* ab æmulis vocatus, quibus tamen cum D. Paulo respondit, *cum essem astutus, dolo vos cepi.* Obiit Romæ die vigesima prima Novembris anno ætatis suæ sexagesimo. Posteris reliquit Historiam Basilicæ Lateranensis, & literas ad Abbatem Justinianum, discussa quæstione, an liceat propria vel majorum gesta describere?

## §. XX.

## *Caroli II. novi Hispaniarum Regis fata.*

*Theatr. Europ. tom.* II.

Hoc anno juvenis Princeps Carolus II. cum decimum quartum ætatis suæ annum ingrederetur, Hispanici Regni sceptrum ipsus moderari cæperat, prima autem Regiminis auspicia ferme ubique infausta, & raro prospera habebat;

bebat; quamvis enim novo fœdere ſeſe Monaſterienſi Epiſcopo junxiſſet, in Belgio tamen fortuna Gallis ſemper magis ſecunda arridebat, ac inſuper Schombergius Comes cum ſuis in Catalauniam irrumpens, Moniuſium vi, & Bellegardiam ac Bellicaſtrum deditione cepit, a Gerundæ tamen obſidione non ſine magna Gallorum cæde repulſus. Inſuper etiam Mauri maximo numero arcem Auranenſem in litore Africano obſederunt, verum a paucis Hiſpanis, qui ibidem præſidia agebant, ſæpius ſtrenue excepti, cum ex Hiſpania ſex naves milite & annona onuſtas adventaſſe intelligerent, ignominioſe fugam capeſſere coacti ſunt. Sub idem tempus Arabes prope Jeroſolymam in Palæſtina rebellionem concitarunt, aſt inito prælio a Turcis ad internecionem ferme deleti ſunt, unde reliquus rebellium exercitus ad Montem Carmelum præcipiti fuga ſe recepit, ubi expulſis Carmelitis Excalceatis, qui ſacrum hunc Montem incolunt, eorum conventum in tam forte propugnaculum convertere, ut inſuper loci aſperitate tuti Turcarum inſultus frangerent, cæptamque rebellionem aliquamdiu continuarent.

Sæc. XVII. A. C. 1675.

Sæc. XVII. A. C. 1675.

## §. XXI.

### *Principum atque Illuſtrium obitus.*

*Calmet Hiſt. Loth. t. 3. l. 37. p. 734. Chron. Hiſt. cont. l. 9. tom. 3.*

Poſtquam Carolus IV. Lotharingiæ Dux potiſſimum cum ſuis copiis Trevirenſem urbem unacum Crequio Franciæ Mareſcallo ceperat, fœderatos, ut cum victore exercitu in Lotharingiam moverent, adducere nitebatur, ſpe autem dejectus, cum aliquot ſuorum millibus eo contendit, Birkenfeldam profectus, ubi tamen morbo correptus, Alembaci ignobili Palatinatus inferioris vico die decima octava Septembris anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo ſecundo (*), deceſſit, Confluentiæ (**) in valle in Templo PP. Capuccinorum

(*) Brietius illum ſeptuaginta quinque, P. Wagner ſeptuaginta annos natum ſcribunt, aſt illos falli, demonſtrat feralis inſcriptio ejus tumulo appoſita, ubi hæc leguntur: *In hoc feretro latet corpus Caroli IV. Lotharingiæ & Barri Ducis, qui profligatis Gallis, & ei occupata Treviri, ultimam clauſit diem in Albacenſibus caſtris* 18. *Septembris Anni* 1675. *annum agens ſeptuageſimum ſecundum*: Vixit reipſa nonniſi ſeptuaginta & unum annos, Menſes quinque, & ſexdecim dies.

(**) Rurſus idem P. Wagner hallucinatur, dum

rum ſepultus. Princeps erat, quo ſua ætate nullus alius ab adverſa fortuna acerbius fuit jactatus, nullus autem æquius leviusque iniquæ ſortis mala tulit, nec unquam a calamitate immunis exſtitiſſet, niſi eam vix ſentire, atque adverſam proſperamque fortunam ad ſuam temperiem, mores & conſilium accommodare diu didiciſſet: Ingenio erat libero, animo intrepidus, nunquam armis debellandus, ſi hoſtem potentia & numero parem habuiſſet: Primum a Richelio Ducatu, poſtea ab Hiſpanis libertate, ac demum a Galliarum Rege rebus omnibus, excepta libertate, exutus fuit, receptus a multis, a nemine autem ſerio & ultra verborum officia in æquiſſima ſua cauſſa defenſus: unde ætatis reliquum aut in caſtris,

Sæc. XVII. A. C. 1675.

dum Carolum Ducem Berncaſſelæ ſepultum ſcribit; hoc enim anno ejus Cadaver in Templo PP. Capuccinorum in Valle prope Confluentiam in medio Sacelli Lauretani tumulatum, ibidem per annos viginti quatuor quievit, Anno autem 1701. retro Altare ejusdem Sacelli honorifice repoſitum, Anno 1717. inſcio, multumque indignante Electore Trevirenſi unacum ſex argenteis Candelabris, lampade, corona & ſceptro a quibusdam Aulæ Lotharingicæ Miniſtris in Lotharingiam ad Sepulcra Majorum ſuorum translatum eſt.

Sæc. XVII. A. C. 1675. castris, aut in variis Principum aulis pro commendicandis auxiliis misere contrivit, eo egestatis redactus, ut deficiente ære, suis militibus rapiendi licentiam facere, & unico equo, famulo, & coquo contentus vivere cogeretur: quocirca in ultimo suo testamento nonnisi de pecuniis, quas alii eidem debebant, necnon de suppellectile sua & quodam adamante, quem suo S. Scapulari affixum habebat, disponere poterat. Successorem habuit ex Francisco Fratre suo Nepotem Carolum V.

Obiit etiam die duodecima Junii Augustæ Taurinorum Carolus Emanuel Sabaudiæ Dux, qui ob morum comitatem, cunctasque, quæ Reges ornant, virtutes ab omnibus in summo existimationis & affectus pretio habitus est: Taurinensem urbem plurimum ampliavit, erexitque Nobilium Academiam, variaque tum ad Aulæ splendorem, tum ad plurium urbium securitatem exstruit, ampliora adhuc præstiturus, nisi fato nimis præmaturo & nondum expleto quadragesimo primo ætatis anno sceptrum cum vita ponere coactus fuisset: reliquit Filium Victorem Amadæum, sed adhuc Regiminis imparem.

Deplorata etiam morte Mense Januario decessit Venetiis nonagenario major

major Dominicus Contarenus hujus Reipublicæ Princeps, cui a Senatu suffectus est Nicolaus Sagredo Eques. Sæc. XVII. A. C. 1675.

Pariter hoc anno vitæ finem fecit Matthæus Ferdinandus a Bilenberg Archiepiscopus Pragensis, qui successorem nactus est Joannem Fridericum Comitem de Waldstein: idem fatum hoc anno subiit Lotharius Fridericus de Metternich Moguntinus Archiepiscopus atque Elector, in cujus vicem Dominus Hartardus de Layen electus est. Denique naturæ debitum solvit Joannes Hartmannus Episcopus Herbipolensis nonnisi biennio sui Episcopatus exacto, cui hoc anno subrogatus est Petrus Philippus a Dernbach Episcopus Bambergensis.

## §. XXII.

## *Synodi Monasterienſis Decreta.*

Hoc item anno Christophorus Bernardus a Gallen Episcopus Monasterienſis duplicem rursus Synodum Diæcesanam die vigesima sexta Martii & aliam Mense Octobri celebravit: in prima præter alia statuit, ut in omnibus Ecclesiis Parochialibus Missæ in diebus Dominicis & festis, statis horis celebrentur, sub Missa piæ cantilenæ cantentur, in prima Missa Evangelium præ- *Concil. Germ. t. 10.*

Sæc. XVII. A. C. 1675.

prælegatur, feſtaque promulgentur, & Parochi ſaltem bis in hebdomada Miſſam pro Parochianis ſuis vivis & defunctis celebrent, & poſt ultimam collectam pro Epiſcopo orent. Inſuper ſtatuit, ut Religioſi ad populum dicant, non autem ea hora, quà Concio vel Catecheſis in Parochia habetur, & in Parochorum ſubſidium ad remotiores Eccleſias excurrant, & ibidem Catechiſent, Ludimagiſtri vero, ut cum juventute ſua eo diligentius Catechismo interſint, omni gaudeant immunitate & ab omnibus oneribus publicis exempti ſint. In ſecunda autem Synodo Epiſcopus duntaxat priorum Conſtitutionum obſervantiam inculcavit, monuitque, ut pro avertendis pluviis & inſectis ſementem depaſcentibus, & pro felici exitu belli, *licet ſucceſſus armorum Epiſcopalium hucusque feliciſſimi eſſent*, fervidæ ad Deum preces funderentur.

## §. XXIII.

## *Novi tumultus in Anglia.*

*Ravin Thoir. Hiſt. d'Angl. lib. 23.*

Interim in Anglia utriusque Curiæ Senatores Carolum II. Regem populo ſuo exoſum reddere intenti, in primis omnino curis habebant, ut omni data occaſione in vulgus ſpargerent, Regem domi

dominium a Parlamento haud dependens sibi vendicare, ac religionem Catholicam in Regnum invehere, oppido studiosum esse: se igitur ad præcavendum utrumque malum pro Ecclesiæ ac Regni securitate imperterrito Studio accensos simulabant, hancque in rem tot edicta, totque consilia cudebant, ut Episcopi, ac Procerum nonnulli haud temere suspicarentur, hosce Viros nil aliud machinari, nisi ut sensim leges pro Regis auctoritate, & Ecclesiæ tranquillitate hucusque sancitas everterent, & denuo Rempublicam & Presbyterianum regimen inveherent. Hisce ergo machinationibus, ut obicem poneret, Lindseyus Comes in Procerum Curia petiit, ut omnes, quocunque demum fungerentur officio jurare tenerentur, *se credere, quod illicitum sit, sub quocunque prætextu arma contra Regem sumere, ac proditione tumidam esse doctrinam, quod Regis auctoritate contra ejus Personam aut illius Deputatos cuipiam arma sumere liceat,* simul etiam jurarent, quod *nullo pacto Status aut Ecclesiæ regimen immutare velint.* Adversus hoc juramentum superioris Curiæ Patres indomitis furiis tumultuari cæperant. Hæc mutua altercatio inter Episcopales & Presbyterianos septendecim omnino dies tenuit; afferuntur utrin-

Sæc. XVII. A. C. 1675.

Sæc. XVII. A. C. 1675. utrinque rationum momenta, propugnant Episcopales hanc propositionem: *Ex Regis auctoritate licet arma sumere contra Regem, ejusque Deputatos*, esse falsam, & pernicioſam, idque patere ex iis, quæ regnante Carolo I. non sine Status & Ecclesiæ eversione gesta essent, hoc ergo juramentum omnino necessarium esse ad distinguendos fanaticos, republicistas, & Ecclesiæ hostes, quibus Regnum inundatum esset, ne denuo revivisçant mala olim Regno adeo exitiosa. E contrario Senatores defendebant, juramentum de non immutando Ecclesiæ vel regiminis statu juxta Grotium a Christo Domino Matth. 5. v. 34. esse prohibitum, in limitato autem regimine, quale est Anglicum, necessariam esse hanc doctrinam, *licet ex auctoritate Regis arma sumere contra Regem*, secus subditorum libertas & jura traderentur Regi fors tyranno, qui Dei præcepta, & hominum oppositiones flocci habens, cunctas leges abolere, suisque subditis bona & libertatem eripere posset, quin subditi, juxta hoc juramentum prohibiti tyranno resistere possent, sed colla sua impositio huic jugo subdere tenerentur. Imo etsi Rex non esset talis tyrannus, accidere tamen posset, quod a propriis suis subditis in vincula conjiceretur, prout Henrico III.

&

& VI. contigit, tunc vero, qui Regem captum tenent, ejus nomine & auctoritate contra eum agere possent, quin fideles ejus subditi illum a captivitate eripere valerent, a juramento prohibiti, proin hoc juramentum variis limitibus esse coarctandum censebant, nisi omnes Regni libertates Regi immolare intenderentur. Verum hoc negotium per aliud gravius dissidium inter utramque Curiam exortum interrumpebatur. Sæc. XVII. A. C. 1675.

## §. XXIV.

## *Gravis molestia per aliquem Apostatam Catholicis irrogata.*

Iniquissimo Catholicis tempore quidam Gallus perditæ vitæ Juvenis Londini ejurata fide vera ad Anglicanam sectam defecerat. Hic nomine Hyppolitus Chateletus Bellcastrienſis cujusdam Gallici Comœdi Filius Parisiis Professore P. Saintgermano Jesuita studiis vacabat, & juvenis adhuc anno hujus sæculi sexagesimo sexto regulare institutum in Congregatione Patrum doctrinæ Christianæ professus, aliquamdiu humaniores literas tradebat, postea vero non sine applausu in Provincia sermones ad populum habebat: Anno autem Christi millesimo sexcentesimo *Bibl. Franc. tom. 25. Samuel hist. Chron. t. 1.*

Sæc. XVII. A. C. 1675. septuagesimo secundo instituto Regulari nuntium misit, necnon annuente Augustodunensi Episcopo Verni Jejunii tempore Viceliaci in Burgundia sermones habere incæpit; ob infamem tamen morum pravitatem, vitæque licentiam urbe excedere jussus, in Campaniam ad Abbatem Le Roy confugit. Hic vero, cum in hoc juvene mores Ecclesiastico indignos detegeret, eidem consilium dedit, ut statum eligeret, in quo præteritæ vitæ labes corporis castigatione diluere posset. Simulabat, se ad Trappense Monasterium secessurum; hoc autem anno Londinum venit, suppressoque vero nomine se *Luzancyum* vocavit, mentitus, se S. Theologiæ Licentiatum, necnon Antonii Arnaldi Fratrem esse, eidemque in concinnando libro *de Perpetuitate fidei* egregiam operam navasse: His vero mendaciis nondum suæ inopiæ, & famelico stomacho consultum erat, quocirca novo mendacio quibusdam Calvinianæ sectæ Ministris imponebat, quod detectis Arnaldi fraudibus, dolis ac simulationibus tantum horrorem erga Catholicam fidem concepisset, ut in Angliam contendere, & Papismi errores ejurare decrevisset: Lætantur hi Præcones de tam generoso juvenis hujus Proselyti proposito, qui etiam eorum impulsu die

die undecima Julii in Sabaudorum Tem- Sæc. XVII.
plo Calvinii sectam palam professus, A. C. 1675.
in suæ apostasiæ defensionem coram Rege sermonem habuit. Hæc ubi resciverat P. Saintgermanus, olim miseri hujus juvenis Magister, nulla mora eum accessit, utque errantem hanc ovem ad ovile reduceret, nulli labori pepercit: Ferunt quoque, hunc Patrem eidem ingentem auri vim promisisse, minasque addidisse, eum in Franciam clam abductum iri, ni suam detestaretur perfidiam.

His conterritus juvenis scriptotenus cuncta, quæ in suo sermone dixerat, revocavit, cum autem illico promissas pecunias non accepisset, iræ & ultionis stimulo incitatus, inferioris Curiæ Senatores accessit, & pro more omnium perfidorum transfugarum, impudentissimis mendaciis adversus hunc Jesuitam detulit, eum in pluribus colloquiis dixisse. I. Quod Angliæ Rex in animo suo Catholicam fidem profiteatur. II. Aula Catholicis conscientiæ libertatem obtinere adlaboret, & vix evoluto biennio Anglorum potissimi auctoritatem summi Pontificis sint professuri. III. Cognita sibi esse Regis consilia circa religionem, eique cuncta probari, quæ in hujus rei utilitatem fierent. IV. Se flocci habere Parlamentum, quod ut-

Sæc. XVII. A. C. 1675. pote continuis fluctibus agitatum haud diu subsistere posset. V. Bonum esse quandoque, ut populus in cælum intrare compellatur, quamplurimos etiam Londini degere Sacerdotes & Jesuitas, qui Deo præclara præstent obsequia. VI. Magni nominis Viros dari, qui etiam interposita juramenti religione parati essent, testari, quod talia imo & pejora a Catholicis proferri inaudiissent, & quod Proselytorum nullus sine minis & injuriis in Londinensibus plateis incedere posset: Quamvis hæc atque id genus alia nonnisi mendaciis constarent, ac duntaxat perjuri hujus Luzancii relationi inniterentur, avide tamen a Presbyterianis fuere excepta, eoquod novum Catholicos Sacerdotes opprimendi obtentum eis suppeditarent: eapropter Rex, impellentibus Curiæ Senatoribus, edictum anno sequenti promulgabat, vi cujus cunctis subditis sub atrociissimis pœnis inhibitum, ne ad Reginæ Sacellum in Sommersetiensi Palatio, vel ad Oratorum ædes pro audienda Missa accederent, insuper ducentarum sterlingicarum librarum præmium ei constituit, qui Patrem Saintgermanum captum adduceret, Verum hic Jesuita tempestive in Gallias ex Anglia profugerat, mendaciissimus autem ille calumniator

insu-

insuper librum conscripsit contra Concilium Tridentinum: Enimvero anno hujus sæculi septuagesimo septimo quidam maximi nominis Catholicus hunc miserum ad Catholicæ fidei gremium reducere nitebatur, qui tamen eidem levatis humeris respondit, se Anglis tot beneficiis obstrictum esse, ut sine ingrati animi nota Anglicanam Ecclesiam deserere haud posset: postea tamen in Socinianos errores prolapsus, Harviaci misere periit. Sæc. XVII. A. C. 1675.

## §. XXV.

### *Quorumdam scriptorum religione Catholicorum opera, & obitus.*

Ex Scriptoribus Ecclesiasticis hoc anno defunctis primum sibi locum vendicat Andreas de Saussay seu Sossagius, Tullensis Episcopus, qui fastus & pompæ osor, moribus mitis, ac indole mansuetus, & nunquam vehemens erat, nisi quando de tuendo Dei, Ecclesiæ, suæque dignitatis honore agebatur: Scripsit volumen de gloria S. Remigii, aliud de S. Andreæ laudibus & de Scriptoribus, qui *Andreæ* nuncupati sunt, opusculum de S. Clodoaldo, continuationem Bellarmini de Scriptoribus Ecclesiasticis, tractatum Polemicum de Apostolatu S. Dionysii Areopagitæ, *Calmet hist. Eccl. de Lorr. t. 3. pag. 767. Papeb. t. 1. Aplirl p. 223. & tom. 1. Maij p. 492. Alegambe Script. S. J. Bibl. Carmel.*

Sæc. XVII. A. C. 1675. martyrologium Gallicanum, de myſticis Galliæ Scriptoribus, quod tamen opus ab eruditis parum æſtimari, aſſerit Papebrochius II. Carolus Thomaſius Clericus Regularis ſcripſit Arborem ſeu commentarios in ſummam D. Thomæ, Annum Bonaventuræ vernantem, Anthologiam ſacram, Horologium Hiſtoricum Dominicæ Paſſionis, pluraque alia III. Joſephus Baptiſta edidit vitam S. Joannis Baptiſtæ & B. Felicis de Cantalitio, Epicedia Heroica, Diarium Academicum, Abſolonem, præter alia. IV. Franciſcus Londres Ord. S. Franciſci ſcripſit magnum humanæ conſcientiæ theatrum, Adventum ſacrum, Menſam ſacram, Paradiſum Marianum, præter plures ſermones quadrageſimales. V. Marcus Ferro Ord. FF. Præd. poſteris reliquit elucidationes in Thomam Aquinatem & Cajetanum, Triadem Sacramentariam, & juſtam damnationem quinque propoſitionum Janſenii. VI. Vincentius Maria Fontana ejusdem inſtituti vulgavit tractatum de ſacro Inquiſitionis Tribunali, Syllabum Magiſtrorum S. Palatii, ſacrum Theatrum Dominicanorum & nonnulla alia. VII. Andreas Lao, qui arctioris vitæ deſiderio ſtimulatus a Carmelitis mitigatis ad Diſcalceatos tranſiit, ibidemque Andreas a Cruc

Cruce nominatus egregium ſuum commentarium in D. Thomam ſcripſit, Carmelitis autem tantum Virum repetentibus, Andreas poſt quadriennium S. Congregationis juſſu ad mitigatos rediit, ab Alexandro VII. *Reverendiſſimi* titulo & Clementis IX. præſentia ſæpiſſime honoratus, dum in Vaticana Baſilica eximius Orator e ſuggeſtu perorabat. VIII. Petrus de Campis Novis Jeſuita ſcripſit Axiomata Evangelica, Pſalmos Davidicos, ſacra Cantica Breviarii explanata, & ſuſpiria Davidica. IX. Martinus Peregrinus edidit diſcurſum de contritione perfecta, & tractatum de reſurrectione mortuorum probata rationibus naturalibus. Sæc. XVII. A. C. 1675.

## § XXVI.

## *Deceſſus & Lucubrationes Scriptorum Acatholicorum.*

Defuncti ſunt hoc anno ex Acatholicis nonnulli, qui ſuis lucubrationibus ſibi nomen celebre inter ſuos compararunt, quorum inter primus erat Samuel Mareſius Calviniſta, valde rixoſus & impatiens Præco, qui graves & ſcandaloſas altercationes non modo cum Catholicis, ſed ipſis etiam ſuæ ſectæ ſociis ſemper habuit: ſcripſit *Bæl. Dict. t. 2. pag. 20 43. Holl. Eccl. & Schol. Stat. p. 249. Athen. Oxon.*

Sæc. XVII. A. C. 1675.

ſyſtema univerſæ Theologiæ, concordiam diſcordem, & Antichriſtum revelatum, chiliasmum enervatum, librum de exorcismis, Theologum pacificum, Belgium orthodoxum, faſciculum myrrhæ & alia. II. Henningius Arniſæus edidit tractatus de jure majeſtatis, connubiorum, & de translatione Imperii, de ſubjectione & exemptione Clericorum, de poteſtate temporali Pontificis in Principes & de auctoritate Principis in populum. III. Nicolaus Oelhafius poſteris reliquit tractatum de Prædeſtinatione, refutationem tractatus de ſtatu animarum poſt mortem, & diſputationem de jure naturæ. IV. Vitus Beringus publici juris fecit præter alia fatum luctuoſum Caroli I. Regis Angliæ V. Joannes Lightfed ſcripſit harmoniam, chronicon & ordinem V. & N. Teſtamenti, horas Hebraicas, & Talmudicas, harmoniam quatuor Evangeliſtarum, obſervationes in Geneſin, manipulum ſpicilegiorum ex libro Exodi, deſcriptionem Templi Hieroſolymitani præter alia quædam. VI. Erneſtus Saxoniæ Dux ſuis ſumptibus edi curavit Biblia Vinarienſia, concordantiam, Hiſtoriam Eccleſiaſticam Gothanam, locos communes Theologicos, Harmoniam Evangelicam & alia nonnulla. VII. Joannes Duræus celebris ille Proxeneta,

neta, qui Calviniſtas & Lutheranos ad unum ſectæ vexillum coarctandi animo Germaniam, Sueciam, Daniam aliasque regiones pervagatus, verba, rationem, pecunias, oleum & operam perdidit. Hanc in rem edidit prodiorthoſin conſultationum Irenicarum, propempticum Irenicum, capita de pace Religioſa & concordia inter Evangelicos inſtituenda, Scholam reformatam, pluraque ejus generis alia. VIII. Ezechias Woodward elucubravit commentaria in libros Regum, tractatum de Pædobaptismo, inveſtigationem cauſſarum miſeriæ noſtræ, & veſtibulum. IX. Caſparus Mauritius ſcripſit diſputationes in formulam concordiæ, Exercitationem ſecularem de ſimonia, de officio Chriſtianorum Elenchtico, Exercitationns Anti-Calvinianas, & Socinianas. X. Henricus Müllerus poſteritati reliquit Theologiam Scholaſticam, cauſſam Auguſtorum contra Romanum Pontificem, tractatus de conjugio Clericorum, Baptismo pro mortuis, & de Berengarianismo. Sæc. XVII. A. C. 1675.

## §. XXVII.

## *Nova Carteſii doctrina Regis juſſu eliminata.*

Sæc. XVII. A. C. 1676.

Argentre Collect. Jud. t. 3. p. 342. & 344.

Postquam ad Ludovici XIV. Franciæ Regis aures pervenerat, quod in Andegavensi universitate opiniones ac doctrinæ Cartesii palam tradantur, mox die trigesima Januarii datis ad Rectorem literis prohibuit, ne deinceps novæ hæc doctrina utpote Reipublicæ noxia in Collegiis Academiæ Andegavensis publice vel privatim doceretur: Ea propter Rector hanc Regis epistolam ad Universitatis acta referri, eique ab omnibus subscribi voluit, præcepitque ut imposterum Magistri suas theses priusquam illas typis mandaverint, necnon scripta per annum dictata, ad universitatem deferrent examinanda an quicquam in illis Cartesianæ doctrinæ consonum reperiatur. Huic Universitatis decreto solus Oratorii Superior ac Collegii Rector subscribere renuit, atque ad Parisiense Parlamentum provocavit, a quo etiam universitati prohibitum, ne sui decreti executionem urgeret: re autem comperta Rex Parlamenti edictum esse nullum declaravit, omnibusque subscriptionem injunxit. Huic Regis mandato paruit etiam Facultas Theologica Cadomensis, quæ Cartesii principia saniori Theologiæ esse contraria, biennio post declaravit, edito hoc decreto:

„Cum

Sæc. XVII. A. C 1676.

„Cum ſacræ Theologiæ Miniſtri ab „Eccleſia conſtituti ſint ſupra muros Je„ruſalem tanquam vigiliæ, ut in excu„biis proſpiciant, ne quid vel non ſan„ctum in ſanctam civitatem, vel erro„neum in arcem veritatis irrepat: nos „infra ſcripti hujus ſacræ Facultatis in „Academia Cadomenſi Doctores vigi„lantes in omnibus & miniſterium no„ſtrum implere cupientes pro prima „menſis die tertia Maij Anni 1677. le„gitime congregati declaramus, prin„cipia philoſophiæ Renati Deſcartes ſa„niori theologorum doctrinæ contra„ria nobis videri, & perpetuo decreto „ſtatuimus, neminem eorum, qui illa „ſuſtinere aut defendere voluerint, ad „ullum hujus ſacræ Facultatis gradum „eſſe deinceps admittendum. Præterea „attendentes ad mandatum, quo Rex „in ſupremo ſtatus conſiſtorio ſedens „Verſaliis die ſecunda Auguſti An. 1676. „vetuit, ne ullæ opiniones ex iis, quæ „nituntur principiis Carteſii, docerentur in Academia Andegavenſi, pro „noſtra erga Regis voluntatem reverentia ſimiliter prohibemus omnibus & „ſingulis, tum jam admiſſis, tum alias „admittendis in noſtram Facultatem, „ne quis prædicta philoſophiæ Carte„ſianæ principia ſcripto aut viva voce „docere, aut propugnare in poſterum „præ-

Sæc. XVII. A. C. 1676.

„præſumat ſub pœna amittendi gradum „quemcunque in ſacra Facultate obti„nuerit. Porro ut hoc decretum om„nibus, ad quos pertinere poterit, in„noteſcat, in noſtræ Facultatis acta re„feretur, & in majoribus ſcolis proxi„ma diſputatione publica per ſcribam „ordinarium promulgabitur coram no„bis & omnibus ſive Licentiatis, ſive „Baccalaureis, ſive aliis, quicunque ad„erunt, ſacræ Theologiæ candidatis.„

## §. XXVIII.

## *Andegavenſis Epiſcopi edictum contra formulæ juramentum.*

*Argentre l. c. p. 344. & ſuppl. p. 594. Hode Hiſt. de Louis XIV. l. 37. pag. 65.*

Haud diu decantata Pax Clementis IX. in Galliis viguit, breviquepatuit, eam nonniſi ſubdola diſſimulatione, falſo adimpletæ conditionis teſtimonio aliisque malis artibus extortam fuiſſe: Hoc enim anno præ ceteris Henricus Arnaldus Andegavenſis Epiſcopus, unus ex quatuor illis Franciæ Epiſcopis, qui in ſua declaratione ſubjectionem ſinceram erga quæſtionem juris exaggerantes, aliam de quæſtione facti diſſimulabant, publico documento teſtatus eſt, cujus tum mentis ac ſententiæ reipſa fuerit, & qua ſinceritate plenam obedientiam pollicitus ſit, quippe die quarta Maij ad Decanum, Syndicum

dicum & Facultatis Theologicæ Ande- Sæc. XVII.
gavenſis Doctores literas dedit, in qui- A.C. 1676.
bus indicta ſuſpenſionis *ipſo facto* incur-
rendæ pœna temere inhibuit, ne for-
mulæ ſubſcriptionem excluſa diſtinctio-
ne juris & facti exigerent. Præfati e-
dicti ſumma erat hæc: „Percepimus,
„regiis literis ad vos transmiſſis man-
„datum eſſe, ut regium diploma die
„decimo quarto Februarii ad Abbatem
„de la Barre Cancellarium Univerſita-
„tis transmiſſum ad acta referatis, vi
„cujus innovatum eſt juramentum,
„quod circa quinque Janſenii Propoſi-
„tiones a Pontificibus damnatas Uni-
„verſitatis Magiſtri præſtare conſueve-
„runt: Quoniam vero hoc diploma
„nonniſi obreptitie a Rege fuerit extor-
„tum, eique expoſitum, quod ab hiſce
„Magiſtris in eorum juramento condem-
„natio harum propoſitionum ſemper
„fuiſſet exigita, id vero falſum eſſe,
„omnibus conſtet, & vos jam a Menſe
„Aprili Anni poſt Chriſtum natum mil-
„leſimi ſexcenteſimi ſexageſimi noni re-
„clamaveritis contra ea, quæ præfa-
„tus Cancellarius veteri juramento au-
„ctoritate privata addidit, prout ex
„actis veſtris patet: hinc Regem datis
„literis de tota rei hujus ſerie edocui-
„mus; interea vero, dum Regis re-
„ſponſum, ejusque mentis declaratio-

„nem

Sæc. XVII. A. C. 1676.

„nem circa novam hanc additionem „præſtolati ſumus, relatum nobis eſt, „quod ex vobis nonnulli hoc Regis „diploma ſiniſtre interpretantes, veteri „juramento non modo quinque propo„ſitionum damnationem, ſed etiam „contra genuinam Regis intentionem „*factum Janſenii* immiſcere voluerint; „cum ergo hac ratione veteres diſſen„ſiones reſuſcitarentur, ſimulque turbare„tur Eccleſiæ pax, quam tamen Rex „inviolate ſervari voluit, quæquæ uni„ce fundatur in diſtinctione inter harum „propoſitionum doctrinam ab omnibus „damnatam, atque inter Janſenii fa„ctum, circa quod obſequioſum ſufficit „ſilentium, quale nos omnesque Epi„ſcopi in noſtris profeſſi ſumus declara„tionibus, quibus hæc pax innititur, „& quæ communi conſilio cum Sedis „Apoſtolicæ Nuntio agitata nil niſi „ipſius Papæ mentem continet: hinc „ut hanc pacem per Regem tam feli„citer Eccleſiæ datam conſervemus, „usque dum Rex circa præfatam addi„tionem apertius mentem ſuam decla„raverit, prohibemus, ne a Baccalau„reis &c. aliud præter doctrinæ dam„nationem, & circa facti quæſtionem „eam exigant diſciplinæ ſubmiſſionem, „quæ in eo conſiſtit, ut circa hunc ar„ticulum teneant obſequioſum ſilen„tium:

„tium: indicta autem suspensionis ipso „facto incurrendæ pœna tam his, qui „aliud exigunt, quam qui præstant, „prohibemus, ne juramentum præstent „sine distinctione doctrinæ harum pro„positionum a facto Jansenii &c. Postea idem Episcopus die quarta Septembris aliud vulgavit decretum, quo prius interpretabatur, asserens, nun„quam sibi in mentem venisse, quod „puram & simplicem subscriptionem „prohiberet illis, qui juxta suum dicta„men credunt, quod salva conscientia „subscribere possint.„ Sæc. XVII. A. C. 1676.

## §. XXIX.

## *Hoc Episcopi edictum a Regio Senatu irritatum.*

Postquam Ludovicus Rex ejusmodi edictum ab Andegavensi Episcopo fuisse promulgatum compererat, impellentibus Harlæo Parisiensi Episcopo & Patre la Chaise Jesuita mox in Regio suo Senatu vehementer querebatur, quod Episcopus regias literas die decima quarta Februarii & decima sexta Aprilis circa juramentum ad Cancellarium datas, quibus quicquam circa subscriptionis modum immutari prohibitum, prætexta obreptione eludere velit, eapropter a regio Consilio sequens decre- *Argentre suppl. p. 398.*

Sæc. XVII. A. C. 1676. decretum contra hunc Episcopum die trigesima Maij ex Ninovensi castro promulgari jussit: „Non sine indignatione „Rex percepit, quod hic Episcopus „Regis mandato manifeste reluctare, & „quamvis inter Cancellarii juramentum & *formulæ subscriptionem ab eodem „Præsule ad Clementem IX. transmissam* „exiguum sit discrimen, suum tamen „edictum honestare velit non minus „falso, quam pernicioso fundamento, „& noxia consecutione, perinde acsi „quis non modo haud ultra subscribere „teneatur, sed nequidem formulæ circa „quæstionem facti juxta Cleri Gallicani, „Pontificiarum Bullarum, & regiorum „diplomatum mandata subscribere per„missum sit, proin sub obtentu pacis „juxta ejus arbitrium detortæ, & ma„nifestius elusæ, Episcopus formulam, „ejusque subscriptionem per Apostoli„cas Constitutiones, receptas, accep„tatas & in Regno promulgatas abo„lere posset, simulque sacræ Sedis in„dulgentiam (*), qua in favorem dun„taxat quorumdam privatorum, atque „ad

(*) Ex his inferebant quidam, quod Papa saltem pro quatuor illis Episcopis, Religiosis & Ecclesiasticis in sua pace comprehensis de subscriptionis rigore quicquam remiserit. Ast in Bulla omnem restrictionem excludi compertum est

„ad tollendas eorum anxietates, me- Sæc. XVII.
„tumque de fors incurſis pœnis, non A.C. 1676.
„ſine ſingulari prudentia quorumdam
„ſubſcriptiones cum ampliore explica-
„tione factas acceptavit, interpretari
„valeret, perinde acſi hæc conniven-
„tia foret revocatio Conſtitutionis, quæ,
„nulla ejusmodi interpretationis men-
„tione facta, formulæ ſubſcriptionem
„juratam præſcribit, atque Eccleſia-
„ſticis, qui pure ac ſimpliciter Sedis Apo-
„ſtolicæ auctoritati, ſeſe ſubjeciſſe, glo-
„riæ ſibi ducunt, deinceps hanc ſub-
„ſcriptionem tanquam legem neceſſa-
„riam atque immutabilem imponit.
„Quapropter cenſuit Rex, iniquiſſimum
„fore, quod ſub pœna ſuſpenſionis
„ſubſcriptio, prout eam Papa præ-
„ſcripſit, edicto prohiberetur, inde
„enim ſequi neceſſe foret, illos, qui
„promptam Conſtitutionibus Apoſtoli-
„cis obedientiam reddiderunt, atque
„etiamnum reddunt, adeo non com-
„mendandos eſſe, ut etiam propter eo-
„rum ſubmiſſionem, & debitum obſe-
„quium exponantur Eccleſiæ cenſuris,
„quæ tamen nonniſi obtemperare te-
„mere recuſantibus infligi poſſunt. Igi-
„tur Rex univerſitatem, cujus funda-
„tor & protector eſt, Epiſcopi aucto-
„ritati circa hoc diſciplinæ caput non
„eſſe ſubjectam declarare, eique ſuum

Sæc. XVII. A. C. 1676. „patrocinium impendere compulsus, „ejus edictum & quicquid vi hujus „fieri posset, tanquam nullum, irritum„que declarat, ac Pontificias Constitu„tiones, & regia diplomata exacte ser„vari, & circa Baccalaureorum jura„mentum, ut Cancellarius ac Syndicus „referrent, præcipit.„

Verum huic Præsuli suppetias ferebant Jansenistæ, qui pro sua vafritie, solitaque instar Prothei in omnes formas mutabilitate eidem Authores erant, ut constanter propugnaret, quod Jansenii factum juramento a promovendis præstando nullatenus a Papa, sed Universitatis Cancellario fuerit assutum, qua fraude nonnulli ex Facultatis Doctoribus fuerunt decepti, quamvis de dolo convicti postea resipuerint, atque ipsamet Universitas imprudenti huic edicto semper obstiterit; die enim nona Julii decreto sancivit, neminem ad Universitatis gremium admissum iri, nec theses propugnare posse, nisi juxta Parisinæ Facultatis consuetudinem formulæ subscripsisset. Postea Facultas eos, qui ab anno hujus sæculi sexagesimo octavo promoti essent, ad subscribendum compulit, ubi reluctantes aut gradu suo dejecti aut exilio mulctati fuerunt: Porro de hoc illo Regis decreto infra sermo redibit.

§. XXX.

Sæc. XVII.
A. C. 1676.

## §. XXX.

### *Quædam Propositiones ab Universitate Andegavensi proscriptæ.*

Eadem Andegavensis Academia ex scriptis Patris Palaut propositiones sequentes extraxit, ac censuris perstrinxit, quarum

I. Erat hæc: in Gallia Princeps suam a subditis potestatem accepit,

*Censura.* Temeraria est hæc propositio, & Regi injuriosa.

II. Lege Principis non tenentur ii, qui extra territorium existunt, licet sint ipsius subditi naturales; quia Principis potestas non diffunditur extra suum Dominatum.

*Censura.* Hæc propositio in tota sua latitudine falsa est & temeraria, utpote contraria supremæ Regis Authoritati, cum plurimis legibus & edictis parere teneantur ejus subditi, etiam dum in alieno sunt territorio, aliàs sequeretur, quod Galli tuta conscientia possent pro hostibus Regni contra Regem pugnare. Hæ duæ propositiones non censura nostra tantum notandæ sunt, sed Regia Authoritate comprimendæ.

III. Virtus unica est, nimirum charitas.

Sæc. XVII. A. C. 1676.

*Cenſura.* Unicam virtutem, ſupernaturalem ſcilicet agnoſcit, cum contendat charitatem omnem & ſolam eſſe virtutem formaliter & eſſentialiter, præter quam charitatem contra ſcripturam, Patres & omnium theologorum Sententiam negat, ullam eſſe in homine virtutem naturalem, ut ex pluribus iſtius Profeſſoris documentis patebit legenti.

IV. Virtutis ſtatus heroicus eſt, cum paſſiones ita ſedantur, ut voluntas nullam in bono faciendo difficultatem ſentiat, & illius imperio plene ac perfecte obſequatur poſitus in ſtatu heroico, ac perfectæ non cenſentur eſſe virtutes, niſi ex perfectiſſima, quæ dominatur in anima charitate, quæ ſola eſſentialiter eſt virtus, ſed ubi eſt perfectiſſima, & dominatur charitas, ibi nulla ſaltem quoad actum & exercitium cupiditas &c. quod ſi charitas eſſet minus perfecta, plurium pati poſſet conſortium vitiorum: ita fit enim, ut peccator interdum aliquid boni operetur, interdum juſtus concupiſcentia illectus ac tentatione victus, male agat.

*Cenſura.* Status iſte virtutis heroicus, quem deſcribit in ſtatu naturæ lapſæ & reparatæ ſine ſpeciali privilegio impoſſibilis eſt; juſtum enim facit hic viventem ſine peccato veniali, cum dica-

dicat nullum in eo ſtatu eſſe exercitium cupiditatis, & alludere videtur, ad 76. Propoſitionem Baij. Inſuper inſinuat quoddam conſortium charitatis in homine peccatore manentis cum ipſo peccato; quod accedit ad propoſitionem 70. Baij, vult enim, quod ſicut juſtus ex cupiditate aliquando male agit, ita peccator, qui aliquid bonum facit, illud ex charitate faciat. Ergo ſicut cupiditas manet in juſto, ſic charitas maneat in cupiditate. Sæc. XVII. A. C. 1676.

V. In ſtatu corruptionis nihil eſt homini naturale, ſed ſolum auxilium ei ſupernaturale, quod ipſum ad virtutem inclinat . . . cum aliquid a voluntate peragitur, id omne ex dominante amore proficiſcitur. Hæc amoris impulſio ſive ſæpius repetita, ſive una ſit, ſed ea vehementiſſima, habitualem relinquit in anima diſpoſitionem, quæ ſi ad bonum inclinet, virtus dicitur, ſi ad malum, vitium appellatur, quia vero amor omnis, vel ordinatus eſt, & charitas dicitur, vel inordinatus, & cupiditas nuncupatur.

*Cenſura.* Falſum & erroneum inducit principium, quod in natura corrupta homo nihil boni naturalis operari poſſit, quæ eſt doctrina Baij in propoſitionibus 29. 26. & 37. Hic ad hoc inducit in juſto neceſſitatem boni

Sæc. XVII. A. C. 1676.

sub gratia & in peccatore neceſſitatem mali ſub cupiditate dominante, vult enim liberum arbitrium a dominatu vel charitatis vel cupiditatis neceſſitari, deſtruitque libertatem.

Ex hac propoſitione etiam ſequitur, quod quidquid ab homine lapſo fit ſine gratia, ſit peccatum vel mortale, vel veniale; quod hæreticum judicavit facultas pariſienſis die 27. Junii 1560. Item Baij, Janſenii, & Calvini principium ſtabilit; quidquid fit ab homine lapſo, vel ex cupiditate vel ex charitate fit, quod docet 38. Propoſitio Baij.

Falſo etiam docet, illas tantum paſſiones bonas moraliter eſſe, quæ charitate regulantur, hæc propoſitio omnem in homine peccatore rectam rationem eſſe negat; hinc nullum jus naturale, nullum jus gentium, nullum jus civile. Tria enim hæc jura procedunt a recta ratione naturali etiam deſtituta fide. Denique nullam veritatis lucem, nullum boni faciendi principium in homine lapſo præter charitatem admittit, quod principium erat fundamentale totius philoſophiæ Patris Lamii a ſupremo ſtatus conſiſtorio damnati.

VI. Qui ſanitatem quærit, tantummodo ut ſit ſanus, & ſibi, ne male ſit, ſanitate fruitur.

Cen-

*Cenſura.* Ex hac propoſitione ſequi- Sæc. XVII.
tur, quod nullus naturalis amor crea- A. C. 1676.
turæ ſit rectus. Imo quod omnino amor creaturæ peccatum ſit mortale, nam frui creatura eſt peccatum mortale, hæc doctrina æquivalet 17. 23. & 61. propoſitionibus Baij.

VII. Si, uti contendit S. Auguſtinus, etiam infidelium opera peccata ſunt, cum non ex recto fine procedant; quanto magis illud idem de moralibus & liberis chriſtianorum operibus in mente S. Auguſtini intelligendum eſt.

*Cenſura.* Falſo vigeſimam ſextam Baij propoſitionem ſancto Auguſtino imponit, falſo etiam docet, omnia chriſtianorum opera, quæ libere fiunt, & ex charitate non veniunt, peccata proprie dicta eſſe, alioqui in omnibus ſuis actibus peccator peccabit juxta quadrageſimam Baij propoſitionem.

VIII. Iniquitas & peccatum eſt, ſi vel minime ex noſtris actionibus, quæ ex deliberata ratione procedunt, ad Deum non referatur.

*Cenſura.* Falſo docet, minimam fidelium actionem, quæ ex deliberata ratione procedit, peccatum eſſe, niſi actu referatur ad Deum.

IX. Fides & ſpes non ſunt aliud, niſi amor Dei, voluntas credendi, quæ fides dicitur, eſt etiam charitas & amor

Sæc. XVII. A. C. 1676.

Dei, quia incipit & creſcit juſtificatio, ſecundum quod vel inchoatur, vel perficitur charitas, ergo cum fides nulla ſit absque charitate, fides ipſa charitas eſt.

*Cenſura.* Contra Eccleſiæ fidem & contra Concil. Trident. doctrinam Seſſ. 6. cap. 15. & Can. 28. docet charitatem eſſe fidem & ſpem; fidemque nullam ac ſpem nullam ex charitate; falſoque docet juſtificationem impii non inchoari niſi a charitate; cum Concilium Trident. Seſſ. 6. cap. 6. dicat juſtificationem incipi a charitate, continuari timore gehennæ, provehi ſpe, qui tres actus charitatem inchoatam præcedunt.

X. Licet etiam occidere ſeſe directe, modo id fiat ex Divina revelatione.

*Cenſura.* Hæc propoſitio periculoſa eſt, ac temeraria, cum cuilibet relinquat judicium de revelatione ſibi facta.

## §. XXXI.

### *Alectenſis Epiſcopi literæ circa Regalium extenſionem.*

Quamvis Nicolaus Pavillonius Alectenſis Epiſcopus haud obſcure proſpiceret, plerosque ex Metropolitanis, aliisque Franciæ Præſulibus avidius

dius auram ex aula spirantem captare, quam Ecclesiarum libertatem tueri paratos esse, nihilominus ut suas Ecclesias a regalium jure hactenus exemptas vindicaret, potentiorum patrocinium, cunctaque rationis, veritatisque præsidia quærere haud destitit, ac præter literas, quarum supra meminimus, sedulo etiam Bezonium supremum Status Cancellarium de caussæ suæ æquitate datis literis instruere conatus est. Hic vero die quinta Maij dato responso Episcopum redarguit, quod in propria caussa judex censuras pronuntiarit, directe jus Regium violarit, & Regaliam, quæ jus regale est, perperam ad privilegium reduxerit, & alia attentarit, propter quæ nullus amicus sui edicti tutelam in se suscipere ausurus sit: hinc Alectensis hoc responsum refellere aggressus, alias ad eundem dedit literas die trigesima ejusdem Mensis, ex quibus, cum rationum momenta, quibus Præsul ad infringendam regalium novitatem permotus erat, perspecta fiant, haud injucundum fore censemus, ipsam Episcopi epistolam ad verbum huc referre, hujus tenoris:

Sæc. XVII. A.C 1676.

*In ipso epistolæ limine profitemini, non esse intentionis Vestræ, merita hujus caussæ, & an Diœcesis nostra Regaliæ subjaceat, discutere; illud tamen videri vobis, posse ac*

Sæc. XVII. A.C. 1676.

*debere nos curare, ut ſacramentum fidelitatis in acta publica referatur; ſic enim omnem, quæ nobis impendet, tempeſtatem diſcuſſum, ac poſſeſſionem Epiſcopatus octo & triginta annos a nobis obtenti firmatum iri. Optaſſem equidem, ut poſtulatis tam ſincero animo factis acquieſcere & cauſſam Regaliæ a nova hac forma, & ſolemnitate juramenti fidelitatis ſeparare licuiſſet; ſed hoc ipſum eſt, cujus modum & rationem nunquam hactenus reperi; adeo enim unum cum altero connexum eſt, ut eodem momento quo in juramentum conſenſero, cogar etiam in Regaliam, regiamque declarationem conſentire, quæ ad meam quoque Diœceſin Regaliam extendit. Ego, a quo tempore examinandam hanc quæſtionem ſuſcepi, ut tanto ſecurior videlicet, expersque periculi in hac cauſſa progrederer, Deoque, ac conſcientiæ meæ ſatisfacerem, fateor ingenue, adeo non certum perſuaſumque eſſe redditum, Diœceſin meam a Regalia immunem eſſe, ut non amplius de illius libertate dubitaverim, neque id tantum de particulari Eccleſia mea, ſed de tota Narbonenſi Provincia, cujus quoque immunitas non privilegio, non contractu aliquo nititur, ſed innata & coæva atque ab ipſa fundatione, in hanc usque diem accepta, productaque libertate. Ipſa Metropolitana Narbonenſis Eccleſia, quæ omnium in hoc Regno fere antiquiſſima eſt, & a qua mea Alectenſis originem duxit,*

cum

*cum hac libertate nata est, eamque & priusquam coronæ uniretur, & postquam unita est, Ludovico sancto regnante Regum patrocinio renituit: præsertim post Lugdunense Concilium, quo Regalia prohibebatur in alia loca, quam quæ illam usu recepissent, extendi; nec exemplum ullum ostendi poterit, violatæ tam sacræ, & antiquæ possessionis. Id quod Dominus de Marca tam in quadam deductione ad preces conventus Cleri Gallicani de Anno 1655. edita, quam in octavo libro de concordia Regni, & sacerdotii præclare ostendit; suppetuntque quamplurima istius rei monumenta in actis Cleri Gallicani. Hæ, præter alias, sunt rationes, quæ moratæ me sunt, ne paterer juramentum fidelitatis in acta publica referri, neque regiæ declarationi aquiescerem; cum id facere haud possem, nisi conscientiæ ac officio meo deesse vellem, sed nec animus mihi erat ulterius progredi, si modo per aliorum importunitatem licuisset. Ii enim ea usi occasione, quod juramentum infidelitatis inscribi noluissem, perinde ac si sedes vacaret, quam tamen triginta & octo annos jam impleo, beneficia Diœcesis meæ, titulo Regaliæ obtinere conati sunt, eorumque capiendæ possessioni certatim advolarunt. Id me in necessitatem inevitabilem conjecit, mentis meæ enixius declarandæ; idem quippe futurum erat in hoc rerum statu, silentium tenere, quod Regaliam agnoscere, meamque Eccle-*

Sæc. XVII. A. C. 1676.

Sæc. XVII. A. C. 1676.

*Ecclesiam prodere. Statui ergo ad comitia Cleri generalia, quæ in oppido S. Germani convenerant, literas exarare, ut exemplo videlicet aliorum retro comitiorum hanc causſam amplexarentur, Regiamque Majestatem convenirent, eique rei momenta exponerent. Scio quidem conventum Cleri ſolutum esſe, Rege ſuper cauſſa tam juſta tamque neceſſaria nunquam adito; nec immoror examinandis cauſſis, quæ Clerum retinuerint, ne Regem convenirent, diſcederentque re infecta, & remediis non ſolum non applicitis, ſed forte nequidem tentatis.*

*Id ſolum dicam, cum paucos poſt menſes intellexiſſem, plura Diœceſis & Eccleſiæ cathedralis meæ beneficia titulo Regaliæ collata esſe, atque hujus proviſionis intuitu legitimos, canoniceque inſtitutos poſſeſſores expulſum iri, credidi neceſſitatem mihi incumbere, hujusmodi uſurpatores arcendi, edita nuper conſtitutione, quæ ſola ſupererat ad jura Eccleſiæ meæ defendenda, impediendasque tam irregulares injuſtasque proviſiones; nec ego ad hoc remedium prius deveni, quam reliquis deſtitutus, & neceſſitate adactus juſtæ defenſionis, & ſi rationes ac momenta expendantur, quæ ad id faciendum me impulerunt, nemo non fatebitur, nihil ea conſtitutione Regiis juribus detractum esſe, ſed Eccleſiæ tantum proviſum, ne læderetur; neque enim mihi animus fuit Regaliam, quatenus, & in quibus locis uſu*

*usu recepta est, impugnare: illud tantum contendi, non posse salvis justitia & immunitate Ecclesiarum ad loca extendi hujus hactenus servitutis expertia, credidique neminem ægro animo laturum, si necessitati & obligationi meæ obsequerer, & libertati Ecclesiæ meæ tuendæ ea remedia impenderem, quæ a Deo acceperam, præsertim cum de jure ageretur tanti momenti, & tot annorum possessione firmato. Neque hæc persuasio privata tantum, & mea est, sed omnium vere Episcoporum, qui non verentur, ubi occasio tulerit, eam palam explicare, quamquam ob varias rationes passi sint juramentum fidelitatis inscribi; imo nec defuerint, qui ut juribus Ecclesiarum suarum caverent, protestati sint, eamque protestationem in archivia condiderint, parato in futurum præsidio. Denique jus hoc immunitatis a Regaliæ servitute adeo clarum & perspicuum est, ut nihil aliud credi, dicique possit, quam nunquam illud, quale revera est, Regi exhibitum propositumque fuisse: quin potius, ut ex Regia declaratione constat, Regi persuaserunt, Regaliam jus esse Coronæ Gallicæ coævum innatumque, sicque non minus qnam regia ipsa potestas, tota Gallia extensum; & tamen hæc, quæ pro certis supponuntur, adeo a vero aliena sunt, ut & historiæ & Lugdunensis Concilii, & antiquorum ac recentium Galliæ Regum edictorum & rationum Cameræ Pari-*

Sæc. XVII. A. C. 1676.

*sien-*

Sæc. XVII. A.C. 1676.

*risiensis & sententiarum trium fere sæcu-lorum cursu in parlamentis dictarum, & denique celebriorum, qui de hoc argumento scripsere, Authorum testimoniis contrarium manifeste ostendatur.*

*Sed & illud perperam factum, quod Ecclesias obstrinxerint ad producendos titu-los, & rationes suarum exemptionum, per-inde acsi aliis Ecclesiis similes essent, quæ cum olim Regaliæ subjacerent, essentque in provinciis huic servituti obnoxiis, liberta-tem tamen suam aut contractibus onerosis aut Regum privilegiis redimere, & tamen, ut sæpe notatum a me est, Diœcesis Apa-miensis, aliæque Narbonensis provinciæ Ec-clesiæ, non privilegiis, non contractibus, quod Regaliæ sint expertes, sed immunitati ac libertati naturali debent nunquam hacte-nus interruptæ. Postquam ergo Ecclesiæ natura & origine sua liberas cum iis con-fuderunt, quæ hanc libertatem titulo aliquo particulari adeptæ sunt, illud postea ad-jecere, ut eas ipsas Ecclesias non obstante immemoriali, ac continua possessione, Re-galiæ eo prætextu submitterent, quasi Re-galia ex iis juribus esset, quæ nec præscribi, nec alienari possunt; hæc vero ratio id omnino supponit, quod prius probandum erat; prius enim probandum foret, omnes Regni Ecclesias Regaliæ subjectas esse, & tunc modo quærendum, an hoc jus præ-scribi ab Ecclesiis contra Regem, & a Rege*

*in*

*in Ecclesias alienari potuerit. Hæc si Regi suggesta fuissent, nimium ille justitiæ ac Religionis habebat, ut Ecclesias ea libertate, quam ab origine & fundatione sua, omniumque Galliæ Regum patrocinio obtinuerant, privatas vellet. Hæc ego tanto libentius, majorique fiducia vobis commemoro, quod, cum multis annis huic provinciæ gubernandæ præfueritis, ejusdem jura, moresque, præsertim in iis, quæ Regaliam spectant, comperta habeatis. Nec credo, hanc meam agendi scribendique libertatem ingratam ipsi Regi futuram; imo ubi intima hujus causæ momenta, sinumque perspexerit, credo equidem, quæ hactenus a me peracta sunt, rata habiturum, adscripturumque inviolabili in ejus Majestatem obsequio immensoque desiderio solidæ veræque ejus gloriæ proferendæ.*

Sæc. XVII. A. C. 1676.

## §. XXXII.

## *Ejusdem Episcopi epistola ad Bonzium Cardinalem.*

Cum autem Petrus Bonzius Cardinalis ac Narbonensis Archiepiscopus per quemdam e suis Vicariis ad nuperas Alectensis Episcopi literas tandem responsum dedisset, eumque ut sententiam suam mutaret, hortaretur, Pavillonius hæc ad Cardinalem die octava Junii rescripsit:

„Post-

Sæc. XVII. A. C. 1676.

„Postquam omnia ad animum revo„cavi, & quidquid in utramque par„tem afferri, dicique poterat, accu„rate ac lente discussi; fateor, mihi „nihil ex omnibus, quæ afferebantur, „dignum occurrisse, quo ad mutandam „primam sententiam, meamque con„stitutionem revocandam moveri pos„sem. Igitur de canonica libertate non „meæ tantum, sed omnium hujus Pro„vinciæ Ecclesiarum, si ea, quæ in „præfata mea constitutione exposui, „vera sunt, satis hoc erit, ut omni„bus, qui modo judicio aliquo pollent, „nec partibus addicti sunt, non vera „tantum, sed & clarissima, & certis„sima esse, nec aliis rationibus opus „est, quam iis, quæ a Domino de „Marca ad preces Conventus Gallicani „Anno 1656. conscripta, ac memoriæ „commendata, quæque in libris de „concordia imperii, & sacerdotii fu„sius ab eodem producta sunt, adjuncta „dissertatione Domini Episcopi Monti„pessulani (quam in una sessionum e„jusdem conventus peroravit) aliisque „documentis, titulisque, quos inter „acta & annales Cleri Gallicani repe„rire est: In his omnibus hujus pro„vinciæ libertas & exemptio clarissime „apparet, non privilegiis, non Regum „favore & beneficio quæsita, sed na„turali,

„turali, innataque, ac canonica, ipsa- Sæc. XVII.
„que fundatione dicta libertate, hanc A.C. 1676.
„sibi adjunctam habuit, cum ad coro-
„nam Gallicam pervenit, eodemque
„fere tempore hanc ei Concilium Lug-
„dunense confirmavit, quo sub pœna
„excommunicationis omnibus quanta-
„cunque dignitate florentibus prohibi-
„tum est, ne Regaliam ad Ecclesias
„extenderent, hujus servitutis hacte-
„nus insuetas; neve Prælati, aliique
„gubernandis Ecclesiis admoti auxilio
„aut consilio eam promoverent, quin
„potius quantum pro virili sua parte
„possent, illi obniterentur; sed & Gal-
„liæ Reges christianissimi decretis Con-
„cilii Lugdunensis obsecuti, hanc ipsam
„libertatem intactam, illibatamque Ec-
„clesiis voluere. Nam Philippus pul-
„cher, quamvis jus Regaliæ pro iis
„Ecclesiis, in quibus hactenus usu re-
„ceptum fuerat, accerrime tueretur,
„ea tamen dato diplomate (cujus Au-
„tographum in Archiviis Ecclesiæ Me-
„tropolitanæ Narbonensis asservatur)
„hanc ipsam Ecclesiam gravare minime
„voluit; tantumque abest in hac libertatis
„suæ possessione quatuor fere sæculorum
„decursu, quæ a Concilio fluxere, tur-
„batam esse, ut potius quam plurimis
„Authenticis titulis, legitimisque do-
„cumentis confirmata & stabilita sit.

Sæc. XVII. A. C. 1676. „Ecce, Eminentiſſime Cardinalis, conſtitutionis a me editæ fundamenta. „Ea vero nihil aliud complectitur, quam „quæ a jure communi, concilioque „Oecumenico quadringentis jam fere annis tota Gallia recepto decreta ſunt. „Hoc cum animo reputarem, nunquam „difficultates & pericula, quæ ex hac „Regaliæ cauſſa conſecutura prævidebam, tanti mihi viſa ſunt, ut removere me ab incæptis deberent. Exoplevi, quæ conſcientiæ meæ ac officio paſtorali debui, cætera divinæ „providentiæ committo. Non ſum equidem rerum hujus mundi adeo ignarus, ut non omnino occurrerit, quam „multa & gravia inſtarent mihi, ſi pergerem Regiis mandatis obluctari, cæterum quoties Dei & juſtitiæ ac Ecclesiarum cauſſa agitur, nihil eſt tam „magnum, arduumque, quod morari „aut perterrere nos debeat, præſertim „cum non ego me periculis ac pugnæ „objecerim, ſed potius provocatus, „coactusque in aciem proceſſerim, nec „prius loqui cæperim, quam cum amplius tacere non licuit, & tunc quoque, cum loqui & repugnare neceſſitas fuit, id ſolum commiſi, ut ſacramentum fidelitatis non permiſerim in „acta publica referri; id enim ſi permiſiſſem, hoc ipſo videbar in Regaliam „con-

„consentire. Cum vero ob neglectam Sæc. XVII.
„hanc solemnitatem Regaliam in hac A. C. 1676.
„mea Ecclesia, cui quadraginta jam
„annis præsueram, apertam esse con-
„tenderent, scripsi ad comitia Cleri ge-
„neralia, rogavique, ut in hoc Regaliæ
„negotio caussam Ecclesiæ sustinerent,
„ac Regi supplicarent; id enim ab aliis
„Cleri conventibus semper hactenus ob-
„servatum esse, eodemque tempore ad
„Eminentiam Vestram ac hujus Pro-
„vinciæ deputatos literas exaravi. Non
„immoror equidem examinandis caus-
„sis, quæ Patres illius sacri senatus
„promoverint, ut nec Rege admonito,
„nec provisis remediis conventum ab-
„solverint, cum tamen ea caussa esset,
„quæ præcipue ad Clerum spectaret.
„Non ideo tamen minorem mihi cre-
„didi obligationem incumbere jura Ec-
„clesiæ meæ defendendæ, quin potius
„tanto majorem eam esse censui, quanto
„minus auxilii ab aliis sperarem, &
„cum paulopost certior redditus essem,
„quam plura ac præcipua Ecclesiæ ca-
„thedralis ac Diæcesis nostræ beneficia
„titulo Regaliæ collata esse, consilium
„tandem cepi, constitutionem meam
„in publicum edendi, cum hoc unicum
„remedium supereesset, quo libertatem
„ejusdem Ecclesiæ tueri; turbasque,
„quæ instare videbantur, avertere li-

Sæc. XVII. A. C. 1676.

„ceret. Scio objici mihi, quod etiam „Eminentia Vestra dignata est insinuare, „hanc caussam a Regis senatu in ju„dicio contradictorio præsentibus Cleri „deputatis judicatam esse, ipsumque „Clerum agnovisse, Regium tribunal, „seque illi submisisse, non ergo licere „amplius reclamare. Hæc oppositio „quam est speciosa, tam fundamento ac „soliditate caret. Nec enim in hac „caussa, si loqui proprie velimus, Re„gium forum Clerus agnovit, quippe „qui Henricum IV. imploravit, suas„que apud eum querelas deposuit ad„versus parlamenti Parisiensis An. 1608 „pronuntiatam sententiam, quam Ec„clesiæ libertatibus gravem, Regioque „Henrici edicto duos ante annos vul„gato, & cui parisiense Parlamentum „aliquamdiu repugnavit, contrariam „affirmabant, easdemque postea quere„las apud Ludovicum XIII. glorioss „memoriæ, ac Regnantis Ludovici Pa„trem repetiit; iisque ut ex publicis „Cleri documentis constat, manum „huic negotio, finemque per extraor„dinarios commissarios (inter quos „quamplures antistites) apponere de„stinaverat, feciſſetque, nisi mors de„stinata prævertisset. Lites ac conte„stationes, quæ postea coram senatu „Regio agitatæ sunt, vertebantur so„lum

„lum inter particulares Regaliſtas ex Sæc. XVII.
„una, promotosque ab Ordinariis ex A.C. 1676.
„altera partibus; non ideo tamen Cle-
„rus Gallicanus aut finem implorandi
„Regem fecit, aut libertatem Eccleſia-
„rum compromiſſo ſubmittere voluit,
„quam ſemper ut certam, nullique du-
„bio aut liti expoſitam agnovit. Pote-
„rant ergo ſententiæ a Regio Conſilio
„latæ, & quibus procuratores inter-
„venerant, privatorum negotia litesque
„finire; quippe cum de dubiis incertis-
„que cauſſis ageretur. Id vero, ut ad
„omnia indiſtincte negotia extendatur,
„etiam ad illa, quæ ſpiritualem Epi-
„ſcoporum Authoritatem, ac Eccleſia-
„rum immunitatem tangunt, quæque
„nullum prorſus dubium, aut litem
„patiuntur, enimvero indignum id eſſet,
„plenumque periculi. Nec vero procu-
„ratorum interventus obligare Epiſco-
„pos, eorumque Diæceſes potuit, cum
„in hujusmodi materiis nullam habeant
„deputati, imo ne ipſa quidem Cleri
„comitia, concludendi poteſtatem. Cauſ-
„ſa Regaliæ publica eſt, reſpicitque
„quinque aut ſex Eccleſiaſticas provin-
„cias, compluresque particulares Diæ-
„ceſes, agiturque de conſervandis Ec-
„cleſiæ non ſolum redditibus tempora-
„libus, ſed præſertim dignitatum, Ca-
„nonicatuum, aliorumque principalium

Sæc. XVII. A. C. 1676.

„beneficiorum collatione, quæ ſpiri-
„tuale ac Hierarchicum quoddam jus
„eſt, nec libertas aut poſſeſſio, qua Ec-
„cleſiæ hac in parte fruuntur, dubia
„aut incerta eſt, ſed certa, notoria ac
„omnino comperta; male ergo Eccleſiæ
„negotium geſſiſſent, ſi illud judicio
„foroque ſubmitterent Regii ſenatus;
„& ſi demus id factum eſſe, ſemper
„tamen Epiſcopis, quorum intereſt,
„poteſtas fuit reclamandi, revocandi
„que contra jus & Canones geſta. Cleri
„coram Regio tribunali nihil aliud præ-
„ſtare licuit, quam ut cauſſæ momenti
„principi exhiberet, ejusque contra Re-
„gios miniſtros libertati Eccleſiarum
„infeſtos opem invocaret, id quod præ-
„teritis etiam annis ab eodem Clero
„factitatum eſt. Quando contra Pari-
„ſienſis parlamenti ſententiam, Hen-
„rico IV. & Ludovico XIII. glorioſæ
„memoriæ Regibus ſupplicavit, intel-
„ligebat enim juribus & libertatibus
„Eccleſiæ quamplurimum detrahi, imo
„aliqua ratione ea deferi perdique, ſi
„cum certa & indubia eſſent, pro cer-
„tis & indeciſis haberi pateretur, ac
„cognitioni Regiorum miniſtrorum ſub-
„mitteret, qui alias, naturali quadam
„propenſione feruntur Regum jura ultra
„terminos proferendi, & tunc præſer-
„tim, cum non de Regis ſolum, ſed
„etiam

„etiam de ipsorummet commodo & „Authoritate agitur ut in præsenti Re- „galiæ causſa. Non ergo formalitates „aliquæ, quas dicunt in præsenti ne- „gotio obſervatas esſe, Episcopis opponi „possunt, quo minus reclamare, sua- „rumque Ecclesiarum jura sustinere de- „beant, præsertim cum Regiis ministris „jam solemne, usuque receptum sit, „ut quoties bellum Ecclesiis & earum „immunitatibus fecerint, semper spe- „ciem aliquam formamque justitiæ ob- „tenderint; quam si morari Episcopi „voluissent, nunquam causſa Ecclesiæ „contra eos, qui opprimere eam nite- „bantur, defensa esſet. Imo rem at- „tente considerantibus palam est, hoc „unum ex eorum artificiis fuisſe, qui „Ecclesiis Regaliam imponere molie- „bantur; sensim enim, placideque plu- „res Procuratores, Prælatos & capitula „induxere, ut judicio se sisterent Regii „senatus, suæque libertatis titulos & „acta producerent, ac postea reclamare „volentibus opponerent, causſam hanc „jam examinatam, deciſamque in ju- „dicio contradictorio fuisſe; prævide- „bant enim, nisi hisce compendiis ute- „rentur, & aliquam justitiæ formam „præferrent, nunquam ad optatum fi- „nem perventuros, & hac ipsa justi- „tiæ specie Regis animum occuparunt,

Sæc. XVII. A.C. 1676.

Sæc. XVII. A. C. 1676.

„effeceruntque, ut in ſuas partes tran„ſiret; nec lucrari alia ratione eum „poterant, quippe æqui juſtique aman„tem, ac etiam cum de ipſius commo„dis agitur, earum regularum, quæ „ſemel conſtitutæ ſunt, obſervantem. „Sed nec contenti in iis, quæ ad for„mam modumque pertinent, Regi im„ponere, id multo magis quoad ſub„ſtantiam ipſam fecere; ſuggeſſerunt „enim Majeſtati ſuæ, Regaliam jus eſſe „Gallicæ coronæ coævum, eique ne„ceſſario annexum, ac natura ſua uni„verſale, ac uniforme, totumque Re„gnum complecti, quæ omnia plane „nova dogmata ſunt, recensque inducta, „ac hiſtoriæ teſtimoniis, œcumenici „Concilii toto Regno recepti deciſio„nibus novis antiquisque Regum edictis, „Authenticis cameræ Pariſienſis docu„mentis, Parlamentorum ab aliquot „jam ſæculis decretis, ac denique Au„thorum, qui de hoc argumento ſcri„pſere, quique inter præcipuos Sena„tores Regisque miniſtros numeraban„tur, ſententiis ac Doctrinæ contraria. „Præterea in hoc ipſo, quod nobis ob„jiciunt, Regii conſilii judicio Præla„tos & capitula ad producendos titu„los & alia ſuæ exemptionis documenta „compulerunt, perinde ac ſi privatis „privilegiis ac contractibus (quemad„modum

„modum aliæ quædam Ecclesiæ Re- Sæc. XVII.
„galiæ olim subjectæ, & in Provinciis A.C. 1676.
„sitæ huic oneri assuetis) libertatem
„suam debeant, cum tamen ea potius
„ex natura Ecclesiasticorum beneficio-
„rum, non aliunde proveniat, nec
„proinde alio titulo aut probatione,
„quam naturalis suæ possessionis indi-
„geat. Has vero Ecclesias, postquam
„in earum classem redegerunt, quæ
„particulari titulo a Regalia exemptæ
„sunt, continuo adjecerunt, eas nihilo-
„minus Regaliæ subjectas esse, nec de-
„fendi posse continua, & immemoriali
„possessione, quippe jus Ragaliæ adeo
„coronæ annexum esse, ut nec alie-
„nari, nec præscribi possit: qua in ratio-
„cinatione illud ipsum supponunt, quod
„probari, non supponi debuit; si enim
„jus Regaliæ nec alienari, nec præscribi
„potuit, ergo jus Regaliæ jam consti-
„tutum, & stabilitum esse oportuit, id
„vero probari debuit, cum in hoc ipso
„tota lis & cardo hujus quæstionis ver-
„tatur. Hæc si explicata Regi fuissent,
„nostrarumque Ecclesiarum jura & li-
„bertas, uti par erat exposita, nimium
„haberet ille æquitatis, ut unquam
„pati posset libertatem & prærogativam
„Ecclesiis adimi, quibus a prima fun-
„datione fruebantur, quasque alii re-
„tro Reges intactas semper, illibatas-

Sæc. XVII. A. C. 1676.

„que voluerunt. Id ergo unum super-
„eſt, ut Regi fideliter res tota, ejusque
„fundamenta, & rationes uti ſe habent,
„ante oculos ponantur, nec vero aptior
„alius eſt, qui præſtare id poſſit, quam
„Eminentia Veſtra; character quippe
„& dignitas Metropolitani, ac præſen-
„tim gratia, qua apud Regiam Majes-
„ſtatem floret, Eminentiæ Veſtræ ante
„alios id præſtabunt, ut vid. & loqui
„de hac cauſſa libere audeat, & a Prin-
„cipe libenter grateque audiatur. Dig-
„nata eſt jam aliquoties Eminentia Ve-
„ſtra mihi ſignificare, gratum ſibi ac-
„ceptumque fore, ſi cum neceſſaria
„aliqua occurrent, non ommitterem
„eam ſubmonere; at vero nihil magis
„neceſſarium, majorisque momenti
„occurrit, quam quod præſens occaſio
„monendum offert. Libertas noſtra-
„rum Eccleſiarum, qua immunes a
„Regalia conſtituuntur, depoſitum
„quoddam eſt fidei Epiſcoporum com-
„miſſum, nobisque obligatio incumbit
„integrum illud intactumque Chriſto
„Jeſu ſupremo Eccleſiarum paſtori re-
„ſtituendi. Ego ea jam ætate ſum,
„ut reddendis villicationis meæ ratio-
„nibus vicinum me ſentiam, nec aliud
„magis conſcientiam meam prægrava-
„verit, quam ſi contra officii mei debi-
„tum, apertamque veritatem jura ac
„liber-

„libertates Ecclesiæ meæ prodam. Nec „ego sum solus, cui hæc causſa tan- „topere cordi ac curæ sit; nam Emi- „nentiam Vestram non latet, quid „plerique Episcoporum sentiant, & „quam aperte, dum occasio se offert, „in hac causſa loquantur. Compertum „quoque mihi est, nonnullos Episco- „porum scriptis protestatos esse, eas- „que protestationes in Archivia suarum „Diæceseon condidisse, ut hac saltem „ratione suarum Ecclesiarum juribus „consulerent. Me quod attinet, Deum „enixe & ex intimo cordis precabor, „ut quæ ad majorem sui nominis glo- „riam, Ecclesiæ utilitatem ac con- „scientiæ quietem faciunt, Eminentiæ „Vestræ inspirare dignetur; ipsa inte- „rim dignabitur, eodem ut hactenus, „affectu & benevolentia me prosequi, „interim reverentiæ ac Venerationis „plenus sum & ero semper.„ Sæc. XVII. A.C. 1676.

## §. XXXIII.

## *Alectensis rationes Ludovico Regi expositæ.*

Cum autem Pavillonius Alectensis Episcopus haud temere vereretur, ne Franciæ Rex a suis Ministris, qui Regaliæ per totum Regnum extendendæ auctores erant, incitatus totam indigna- *Palat. in vita Innocetii XI. pag. 32.*

Sæc. XVII. A. C. 1676.

dignationis molem præcipue in ipſum effunderet, eoquod is anno priori mandatum ſeu Conſtitutionem contra Regaliſtas edidiſſet, ſimulque cenſuris, eos ab invadendis Eccleſiarum ſuarum beneficiis deterruiſſet, hinc die vigeſima octava Junii ſuam agendi rationem vindicaturus, ad Regem hæc perſcripſit:

„Poſteaquam eo res devenit, ut ſu„per Regaliæ negotio decretum emit„tere cogerer, illudque jam vulgatum „ad aures Majeſtatis pervenerit, dubi„tare non licet, Majeſtatem veſtram „æqui bonique conſulturam, ſi, qua „par eſt, libertate ea in medium pro„tulero, quæ huic materiæ elucidandæ „ſervire poterunt „

„Enimvero in hac Regaliæ cauſſa „Eccleſiæ meæ, totiusque Narbonen„ſis Provinciæ (quæ nunquam huic „ſervituti ſubjecta fuit) præcipuum jus „vertitur, idque non Regio Privilegio „conceſſum ſed naturali libertate, ſa„crisque canonibus nixum, & ipſi Ec„cleſiarum fundationi congenitum, „quodque ſub primo, ſecundoque Re„gum Francorum ſtemmate Eccleſiis „adhæſit, & tunc etiam, cum ea Pro„vincia ſuis, propriisque Principibus „ſubderetur; eandemque libertatem „retinuit Ludovico IX. rerum potito,

„con-

„confectoque celebri illo de investuris Sæc. XVII.
„certamine, quod quinquaginta & am- A. C. 1676.
„plius annos Ecclesiam juxta, impe-
„riumque collisit; & dum illud præ-
„sertim flagraret, insinuari paulatim
„Regalia cæpit, vicinasque Parisiis Ec-
„clesias corripere, eas præcipue, in
„quibus non tam legibus, quam con-
„suetudine, usuque præscripto viveba-
„tur; nec tamen Ludovicus sanctus
„Ecclesiarum Septimaniæ libertatem
„hac in re lædi passus est, Rex vide-
„licet, ut vitæ illius scriptores memo-
„rant, Ecclesiæ immunitatum obser-
„vantissimus. Eadem Philippo Audaci
„Ludovici filio cura & studium fuit, sub
„cujus imperio, ejusque Legatis co-
„ram, in Lugdunensi Concilio, solemni
„decreto sancitum, vetitumque est,
„ne quis Regaliam iis Ecclesiis inferre
„auderet, quæ hactenus liberæ, exem-
„ptæque fuissent, præceptumque Ec-
„clesiarum sacerdotibus, aut Regaliam
„proferre conantibus omni studio, vi-
„ribusque obniterentur. Hoc Lugdu-
„nensis Concilii decretum receptum in
„hoc regno esse, observatumque Maje-
„stas Vestra haud ignorat; illique Re-
„gia Authoritate faciendo Philippi Re-
„gis, aliorumque ejus successorum di-
„plomata, & edicta accessere; quippe
„Galliæ Reges contenti tunc temporis
„erant

Sæc. XVII. A. C. 1676.

„erant iis locis privilegio Regaliæ frui „ubi hactenus usu recepta fuerat; alii „vero abstinebant hujus servitutis ex„pertibus. Et ipse quoque Philippus „pulcher, quamvis acerrime obstitisset „Bonifacio VIII. Regaliam evertere fe„stinanti, intra tamen terminos stetit a „Majoribus suis observatos, imo liber„tatem hujus Ecclesiæ Narbonensis ipse „datis patentibus literis, quarum Au„tographa in ejusdem Ecclesiæ Archi„viis detinentur, agnovit, approbavit„que. Ab eo vero tempore usque ad „Majestatis Vestræ imperium id sem„per observatum est, videlicet ut cum „dubitaretur, an aliquæ Ecclesiæ sub„jacerent Regaliæ, an vero liberæ „essent, ad consuetudinem velut ad „Lydium lapidem respiceretur. Et de„nique ut difficultatibus indies emer„gentibus occurri posset, designatio „quædam in modum edicti, aut Regiæ „constitutionis prodita est, quæ omnes „Ecclesias subjectas, liberasque com„plectebatur; inter liberas vero ultimo „illius constitutionis articulo Septima„niæ Ecclesias videre est. Eandem „Regulam Carolus VI. Carolus VII. „Ludovicus XI. & Ludovicus XII. Fran„corum Reges & Majestatis Vestræ an„tecessores secuti sunt, qui omnes non „ex aliis Provinciis aut diœcesibus Re„galiæ

Sæc. XVII. A. C. 1676.

„galiæ jus vendicare ſibi audebant, „quam ubi antiqua conſuetudine jus „illuc inoleverat. Imo Ludovicus XII. „(cui ob inſignem in ſuos Clementiam, „juſtitiamque Patris Patriæ cognomen„tum acceſſit) Miniſtris ſuis ſub pœna „ſacrilegii prohibuit, ne fructus Archi„epiſcopatuum, Epiſcopatuum, alia„rumque Eccleſiarum occuparent, in „quibus Regaliæ locus non eſſet.„

„Pariſienſe quoque parlamentum in „ſuis Senatus-Conſultis ſeu Arreſtis „jam ſupra trecentos annos hac ipſa „moderatione uſum eſt, omnesque Au„thores, quotquot de hac materia „ſcripſere, quamvis Coronæ Miniſtri, ac „præcipuis in ſenatu officiis fungeren„tur, id ſemper pro maxima certoque „axiomate tradidere, videlicet; Rega„liam non eſſe jus aliquod univerſale, „totoque Regno extenſum, ſed intra „certos limites, numerumque Eccleſia„rum coerceri, quarum aliquæ exem„ptæ ſunt, præſertim vero Provincia „Narbonenſis, quæ jam a Concilii „Lugdunenſis temporibus intactæ per„durarunt, illibatæque, & antiquæ li„bertati relictæ.„

„Hæc ſunt ſtrictim momenta ratio„nesque, quibus Eccleſiæ meæ alia„rumque iſtarum provinciarum liber„tas innititur, quæque mihi animus

„fuit

Sæc. XVII. A. C. 1676.

„fuit Majeſtati Veſtræ ſuggerere; ex„plicavitque jam dudum in celebri li„bro de concordia Regni & ſacerdotii „(ubi libertates & jura Gallicanæ Ec„cleſiæ eruditiſſime vindicantur) D. de „Marca, cujus virtutem Majeſtas Ve„ſtra amavit una ſuſpexitque; & auſim „Majeſtati Veſtræ affirmare, quæ ab „hoc præſtantiſſimo Antiſtite eo in libro „de Regalia diſputantur, talia eſſe, „tamque compertæ veritatis, ut cui „vacaverit ea cum aliqua cura evolvere, „de Eccleſiarum noſtrarum libertate „dubitare amplius non poſſit.„

„Hæc cum mecum perpendo, cogor „omnino credere, nunquam Maje„ſtati Veſtræ explicatum oſtenſumque „fuiſſe, quibus momentis hæc cauſſa „niteretur. Imo potius Majeſtati Veſtræ „inſinuatum, quod ex nupera ejus decla„tione apparuit, Regaliam jus eſſe „coronæ innexum atque coævum, ideo„que natura ſua æqualis toto Regno, „ſimilisque conditionis. Quæ tamen „aliena omnino ſunt ab rei hiſtoria, „Conciliique Lugdunenſis decretis: ab „antiquis, novisque Regum Conſtitu„tionibus, & Parlamentorum Arreſtis, „omniumque Authorum placitis, qui „de hac materia ſcripſere; ut mirum „omnino ſit, Majeſtatis Veſtræ Miniſtros „ex principiis adeo falſis Eccleſiarum „noſtra-

„noſtrarum libertatem convellere ag- Sæc. XVII.
„greſſos eſſe.„ A. C. 1676.

„Iisdem nec melioribus fundamentis „permoti ſunt, ut in ultima inſtantia, „quæ in Regio Majeſtatis Veſtræ Se„natu agitata eſt, Epiſcopis, & Capi„tulis hujus Provinciæ neceſſitatem im„ponerent expromendi, proferendique „titulos ſuæ a Regalia exemptionis, „perinde ac ſi iſta privilegiis, indultis„que Principum aut contractibus quæ„ſita eſſet, & non potius naturali ac „Canonica, & in hunc usque diem „producta libertate niteretur. Quo ar„tificio palam eſt, voluiſſe eas Eccle„ſias ſua natura liberas cum iis con„fundere, quæ hanc libertatem titulo „& ratione aliqua particulari adeptæ „ſunt, ut deinde inferrent, nulla poſ„ſeſſione, nullaque præſcriptione quan„tumvis longiſſima, & memoriam ex„cedente, excuti jugum Regaliæ po„tuiſſe, quippe juris nec alienabilis nec „præſcriptibilis; qua in re nemo non „videt, eos id ſupponere, quod ma„xime in quæſtione verſatur, proban„dumque, non ſupponendum erat, „prius enim oſtendi oportuit ſubſtitiſſe, „agnitumque jus Regaliæ, quam nec „alienari, nec præſcribi poſſe. Imo ne„quidem contra eas Eccleſias hæc ra„tio procedit, quæ a Regalia Principis

Sæc. XVII. A. C. 1676.

„Privilegio liberatæ ſunt, ut videlicet „ſpoliari ea libertate poſſint, qua tot „annorum decurſu potiuntur; ſi enim „nulla ratio, nulla æquitas permittit „privilegia civitatibus ſubditisque con„ceſſa, & pacto firmata infringi, quanto „minus infringi poterunt Eccleſiis con„ceſſa, præſertim cum iis privilegiis „id tantum agatur, ut antiquæ & na„turali libertati Eccleſiæ reddantur. Id „plane Majeſtas Veſtra agnovit, quan„do paucis retro annis prohibuit, ne „Eccleſiæ Atrebatenſis exemptioni, quæ „in his ipſis terminis verſabatur, quid„quam detraheretur; palam ergo eſt, „Majeſtatem Veſtram, ſi veritatem „docta fuiſſet, multo minus id circa „Eccleſias permiſſuram, quæ tota re„tro antiquitate, & tam multis Regum „edictis ac diplomatibus libertate frue„bantur. Jam vero Majeſtatis Veſtræ „Aures ejusque religionem plane de„ceperunt, idque non tantum ex ea „parte, quæ ſubſtantiam, ſed etiam, „quæ modum ſpectat, hanc cauſſam in „judicio diſceptandi; eam quippe Maje„ſtatis Veſtræ Senatui obtulere, ſenten„tiam illic, legesque accepturam, id„que obtentu quarumdam contentio„num, quæ inter Regaliſtas vertebantur, legitimosque beneficiorum poſſeſ„ſores. At vero non eſt hæc cauſſa, „quam

„quam ex communibus Regii Consilii Sæc. XVII.
„regulis metiri oporteat, nec Clerus in A. C. 1676.
„eo senatu aut actoris, aut rei partes,
„sed supplicantis tantum induerat, ut
„videlicet placeret Majestati Vestræ,
„suis ministris prohibere, ne porro Ec-
„clesias divexarent Regaliæ immunes:
„Hanc quoque viam sub Henrico magno
„item Clerus institerat, quando por-
„recto Principi libello, Parlamenti Pa-
„risiensis Arresto, quod Anno 1606.
„vulgatum fuit, adversati sunt: quere-
„bantur enim illo non libertatem tan-
„tum Ecclesiarum, sed etiam Regium
„edictum duobus ante annis emissum,
„& cui subscribere Parlamentum recu-
„saverat, oppugnari, perrexitque Cle-
„rus Patrem Majestatis Vestræ iisdem
„querelis pulsare, a quo Anno 1629.
„declaratio prodiit, qua profitebatur,
„nolle se Regalia frui, nisi intra limi-
„tes, usumque elapsorum retro anno-
„rum, hoc est juxta Henrici IV. edictum;
„nec illud jus ad loca proferre hujus
„servitutis hactenus expertia, id quod
„Principis jussu Cleri deputatis a Gal-
„liæ Cancellario D. de Marillac expos-
„tum est. Sperabatque jam Clerus a
„tam pio justoque Principe decretoriam
„tandem, ultimamque sententiam, quæ-
„que pacem juxta & libertatem Eccle-
„siis sanciret Regaliæ immunibus; sed

Sæc. XVII. A C. 1676. „quæ tam glorioſe Rex Chriſtianiſſimus „animo conceperat, mors intercepit.„

„Hæc & alia plura, ſi Majeſtati Ve„ſtræ, qua oportuit integritate expoſita „eſſent, quid aliud ab ejus æquitate & „clementia exſpectari potuit, quam ut „tam antiquam, & Eccleſiis coævam „libertatem, atque a Regibus prædeceſſoribus toties defenſam ipſa quo„que conſervatam vellet, illibatamque? „& quis dubitet, non eam id acturam, „ut quod jam fecerat Ludovicus juſtus, „edicto Magni Henrici inhæreret potius, „quam Parlamenti Pariſienſis Arreſto, „omnibus retro Principum edictis, „quadringentorumque annorum Juris„prudentiæ plane adverſanti.„

„Enimvero omnibus hiſce rationi„bus adductus ſum, ut crederem, nihil „contra ejus voluntatem, rectasque in„tentiones facturum me eſſe, ſi ea ſo„lemnitate abſtinerem, qua juramen„tum fidelitatis in acta publica referre „jubebamur; & cum poſtea hanc ipſam „omiſſionem cauſſarentur Miniſtri Regii, „juberentque in Eccleſia mea velut va„cante (cum tamen quadraginta fere „annis illi præſediſſem) Regaliam ape„riri; fateor Majeſtati Veſtræ, in eam „me conjectum eſſe neceſſitatem, ut „cogerer, quantum vires meæ ferrent, „Eccleſiam tueri, ejusque juribus pro„pugnan-

„pugnandis iis mediis experiri, quæ „sacri Canones suppeditabant; quid „enim aliud poteram, nisi partibus „meis deesse vellem? præsertim cum „averti alias non possent ingentes illæ „turbæ, rerumque confusio, quam be„neficiorum provisiones obtentu Rega„liæ, dolisque expressæ Ecclesiæ meæ „inferebant, legitimis, quietisque, & „tot annorum possessoribus expulsis. Id „vero cum egi, palam profiteor, nihil „aliud a me factum spectatumque esse, „quam ut Ecclesiæ legibus decretisque „oecumenici Concilii tota Gallia re„cepti, cultique, & quatuor Sæculorum „observantiæ parerem. Quodsi alii „Episcopi nihil simile moliti sunt, non „id fuit, quod in hac caussa Regaliæ „aliter, quam ego, sentirent; imo ubi „se occasio obtulit, satis suam mentem „prodidere, ac etiam scriptis libellis „contra Regaliæ extensionem protestati „sunt, eosque inter Ecclesiarum sua„rum documenta recondi voluerunt, „testes aliquando futuros impugnatæ „ac frustra defensæ libertatis. Mihi e„quidem conscientiæ meæ stimulos sen„tiendi parum id esse videbatur, nec „aliud supereſſe medium credebam, „quo Canonicæ cadentique Ecclesiæ „meæ libertati subvenirem, quam ut „nuperum decretum conciperem, vul-

Sæc. XVII. A. C. 1676.

Sæc. XVII. A. C. 1676.

„garemque, ſicque jura proventusque „temporales Eccleſiæ meæ, qua licuit, „ratione tuerer, multoque magis, ut „collationibus beneficiorum conſulerem „quæ plane effectus ſunt ſpiritualis, & „Hierarchicæ poteſtatis.„

„Cum Apoſtolus Paulus Judæorum „Regi aſſiſteret, & pro fidei ac Evan„gelii veritate inter catenas cauſſam „ſuam peroraret, non potuit imperare „ſibi, quin in illas voces prorumperet „Apoſtolici ſpiritus, ſanctæque Liber„tatis plenas: *O Rex non credis Prophe„tis?* Scio quia credis. Placeat Maje„ſtati Veſtræ mihi quoque Epiſcoporum „hujus Gallici Regni minimo, ſed Chri„ſtianiſſimum Regem alloquenti, eas„dem voces permittere, clementique „animo ferre, ſi dicam: Non ergo „credit Majeſtas Veſtra Authoritati Ec„cleſiæ in Oecumenico Concilio col„lectæ? Scio, quia credit.

„Scio enim, quod primogenitum „Eccleſiæ, ſacrumque Canonum Pro„tectorem ſe compellari glorietur: Scio, „quod ſolemni ſacramento, cum Re„gio diademate cingeretur, promiſe„rit, ſe Eccleſiam, ejusque Miniſtros „eorumque privilegia atque immuni„tates conſervaturam &c. Ignoſcat ergo „Majeſtas veſtra hanc libertatem Epi„ſcopo annis gravi, & tanto jam tem„pore

„pore Paſtorales curas ſuſtinenti, qui- Sæc. XVII.
„que religioni ſibi & conſcientiæ om- A. C. 1676.
„nino duceret, ſilentium tenere in tanti
„momenti negotio &c.

## §. XXXIV.

## *Excommunicationis comminatio Gaſtoni ab Alectenſi Epiſcopo intentata.*

Sub idem tempus Joannes Petrus Gaſton de Foix Coutracenſis Diæceſis Presbyter Decanatum, necnon Alectenſis Eccleſiæ Cathedralis Canonicatum, vivente adhuc Petro Pommiero ejusdem Eccleſiæ Decano vi regaliarum a Regiis Miniſtris impetraverat, re autem comperta Alectenſis Epiſcopus adverſus hanc uſurpationem die quinta Maij hoc anno mandatum promulgavit, illudque præfato Gaſtoni legitime inſinuari fecit, prohibens, ne ſe beneficiis præfatæ Diæceſis, obtentu Regaliæ, ingerere auderet, interminata anathematis pœna ipſo facto incurrenda. Verum Gaſto inſuperhabito hoc mandato, ſe in hujus beneficii poſſeſſionem ingeſſit, horisque Canonicis ſub Decani qualitate ac charactere interfuit, declarans, ſe deinceps omnes hujus beneficii functiones peracturum. Ea re ſummopere offenſus Epiſcopus,

Sæc. XVII. A. C. 1676.

priusquam Gaſtonem excommunica
tum declararet, ex juris præſcripti
ad obtemperandum die decima ſeptim
Octobris admonuit, transmiſſo ſequen
mandato: „Cum Joannes Petrus Gaſto
„de Foix &c. ſaluberrimas exhortatio
„nes noſtras neglexit, quibus, dum
„heri nos conveniret, in ſpiritu leni
„tatis & charitatis delinire eum cona
„ſumus. Id autem, cum non ſolum i
„Eccleſiæ contemptum cedat, verum
„etiam ſacrorum Canonum decretis
„receptisque in hoc regno legibus ad
„verſetur, quibus ſancitum eſt, nemi
„nem ſolius Regaliæ titulo, ſuis ben
„ficiis, quibus pacifice fruebatur, ſpo
„liari poſſe, niſi prius coram legitimo
„judice conventum, damnatumque,
„adeo ut hujusmodi violentis conati
„bus non ſolum jura libertatesque Ec
„cleſiæ noſtræ peſſumdentur, ac cen
„ſuræ in Lugdunenſi Concilio ſuper
„hac re fulminatæ ludibrio habeantur
„(cujus quidem Concilii decreta de
„clarata ſolum nupero mandato a No
„bis ſunt, ac præſenti caſui applicata
„verum etiam ut diximus, legibus i
„noſtro Regno receptis, obſervatisqu
„injuria fiat. Has, inquam ob cauſſas,
„utque mandato noſtro, decretoque
„Concilii Lugdunenſis, cujus initium
„eſt: *Generalę Conſtitutione;* ſatisfiat,
„moni-

„monitiones canonicas contra ſæpe- Sæc. XVII.
„dictum D. de Foix expediri jubemus; A.C. 1676.
„eique virtute earumdem monitionum,
„ne ſe præfato ingerat beneficio, ſed
„Decretis Concilii Lugdunenſis, noſtro-
„que nupero mandato primum obtem-
„peret, ſerio injungimus, ſi vero obtem-
„perare neglexerit, declaramus, eum
„publice fore denuntiandum atque ex-
„communicandum; imo excommuni-
„cationem a Lugdunenſi Concilio, no-
„ſtroque mandato impoſitam, ipſo facto
„incurriſſe. Quæ quidem monitiones
„de tertia in tertiam diem eidem inſi-
„nuabuntur, ita videlicet, ut præſen-
„tes noſtræ, poſtquam ei ſignificatæ
„fuerint, locum primarum monitionum
„obtineant. Injungimus etiam primo
„presbytero, aut Clerico tonſura in-
„ſignito, quidquid ad inſinuationem
„aut executionem præſentis hujus no-
„ſtri mandati neceſſarium fuerit, dili-
„genter, atque incunctanter expediat.„

Ut autem Epiſcopus æmulorum criminationes, ac ſiniſtras eorum interpretationes, quas probe proſpexerat, a Regis animo ſubmoveret, ad eundem die vigeſima ejusdem Menſis hæc perſcripſit: „Vereor equidem, ne Maje-
„ſtatem Veſtram importune moleſteque
„conveniam, tamen cohiberi non poſ-
„ſum, ut non omnium reddam certio-

Sæc. XVII. A. C. 1676.

„rem, quæ contra quemdam Eccleſia
„ſticum Decanatum, ejusque officia
„Eccleſia noſtra cathedrali captanten
„me neceſſitas coegit experiri. Et ver
„tantum mihi audeo de clementia
„æquitate Majeſtatis Veſtræ pollicer
„ut perſuaſum habeam, eam potius
„fidem præſtituram, quæ in Majeſtat
„Veſtræ ſinum pari libertate ac Reve
„rentia effundam, quam illorum voc
„bus, qui non omittent, me redde
„ſuſpectum Majeſtati Veſtræ, measq
„actiones in pejus interpretari. Na
„rabunt illi, mandatum a me prodiiſſ
„quo, non obſtante Regii ſenatus D
„creto, Eccleſiaſticum illum ſubmov
„bam, commonebamque, ne Regi
„præceptis acquieſceret; cumque pe
„ſuaderi a me non poſſet, ut cæpt
„abſiſteret, aliud mandatum ſecutu
„eſſe, quo ex Diſciplinæ Eccleſiaſtic
„legibus premi illum, arcerique jub
„bam. At vero ſi, quod ſupplex d
„miſſusque, ac qua poſſum Reverent
„expoſco, Majeſtati Veſtræ placue
„hanc cauſſam examinare, fatebit
„ipſa, id a me tantum factum eſſ
„quod fieri omnino oportuit. Nondu
„exciderit Majeſtati Veſtræ, me ja
„ſemel datis ad eandem literis, quib
„rationibus jura & libertates Eccleſ
„meæ contra Regaliam munirentur ſu
„geſſiſſ

„gessisse, ne ipsa, si modo dignata fue- Sæc. XVII.
„rit, animum ad ea advertere, inficias A. C. 1676.
„iverit, aut Ecclesiam meam a me prodi
„debuisse, aut ejus libertati tuendæ,
„nihil, quod modo in viribus meis
„esset, intentatum relinqui. Quid enim
„aliud poteram, quam ut Ecclesiæ pa-
„rerem, ejusque me legibus dederem?
„At illa in Concilio generali, quid in
„hisce angustiis agerem, quemque por-
„tum subirem, jam facem præluxerat.
„Testor veritatem, me nihil aliud e-
„gisse, quam ut Ecclesiæ mandata exe-
„querer, neque sive me filium, sive Mi-
„nistrum Ecclesiæ cogitarem, parendi
„necessitate solvi potuisse. Et hoc ipsum
„est illud, quo me angi vehementer
„contestor, in eam videlicet me ad-
„ductum necessitatem, ut videri possem,
„Majestatis Vestræ mandatis obluctari,
„& tamen nemo illam demissius vene-
„ratur; & cui libuerit, actiones meas
„in hac caussa metiri, fateri cogetur,
„nihil a me magis minusque peractum
„esse, quam necessitas urgeret, ac re-
„media morbo aptasse, nec prius ad
„acerba, pœnasque Ecclesiæ deven-
„tum, quam spe omni consumpta, &
„cum mitiora non proficerent. Nihil
„aliorum consiliis, nihil exterorum sug-
„gestionibus debeo; & si quidem Ma-
„jestati Vestræ placeat, hoc culpæ ad-

„scri-

Sæc. XVII. A. C. 1676.

„ſcribere, totum id crimen meum eſ
„ſine complice, ſine Magiſtro deliqu
„nec ullum admiſi erroris ſocium. Eg
„hanc cauſſam intime, lenteque diſcuſ
„cum videlicet eam cognoſcendi n
„neceſſitas & officium premeret. Eg
„illam omni ſtudio expendi: ego no
„curſim, nec obiter libavi, ſed mult
„cum cura moraque, non mecum tan
„tum, ſed etiam cum ipſo Deo co
„tuli, ejusque gratiam ac lumen, t
„ſorte errore aliquo abriperer, demiſ
„imploravi. Nec vero in hoc ſtadiu
„tanti ſudoris ac pulveris plenum
„liam ob cauſſam decurri, quam quo
„perſuaſum haberem, niſi id agere
„præcipuis mei muneris partibus de
„futurum; atque hæc opinio nunqua
„deleri ex animo meo potuit, imo ſem
„per invaluit. Cum enim graviſſim
„morbo ultimis annis conflictarer, m
„que jam morti accingerem, vehemen
„ter animum meum ea cogitatio pulſa
„cæpit, qua tangi me, promoveriq
„ſentiebam, ut ultimos hujus vitæ me
„annos, ac pauca, quæ ſupererar
„momenta, Deo unice adjicerem, in
„pigreque officio meo perfungerer a
„præcipue in cauſſa Regaliæ, qua im
„plicatum me cernebam, novum fide
„litatis exemplum poſt me relinqu
„rem. Et quia cauſſæ rationesqu

„qu

„quæ animum meum primo imbuerunt, Sæc. XVII.
„semper eædem, ac immutatæ per- A.C. 1676.
„sistunt, fieri quoque non potest, ut
„propositum mutem, aliamque viam
„insistam. Recordetur Majestas Vestra,
„me in ea ætate versari, qua nihil a-
„liud quam vicinam mortem redden-
„dasque Deo rationes cogitare jam lu-
„bet. Infelicissimus ergo & miserrimus
„fuerim, si, ut quiete ac malacia fruar
„brevissimi temporis, conscientiæ meæ
„vim faciam, ac stimulis, quibus agi
„me sentio, lubens prudensque obnitar,
„periturus videlicet momenti amore.
„Id vero, si agam, fateor, me hac una
„culpa indignum eo gradu ac digni-
„tate reddi, in quam me Deus pro-
„vexit, nullamque mihi amplius fidu-
„ciam fore pro Majestatis Vestræ, ejus-
„que Regiæ familiæ sospitate cælestem
„gratiam implorandi. Equidem per-
„suasum semper habui, neminem Prin-
„cipi suo fidelem fore, qui Deo infide-
„lis esset, eamque semper regulam ob-
„servandam duxi, quam ab Apostolo
„hisce verbis consignatam didiceram,
„videlicet: Deum time, & Regem
„honora. „

## §. XXXV.

Sæc. XVII. A. C. 1676.

## §. XXXV.

## *Bellum in Belgio & ad Rhenum continuatum.*

*Theatr. Europ. t.* 11. *Godfrid hist. Chron. l.* 9. *tom.* 3.

Hic annus non tam præliis ac victoriis, quam promiscuis ditionum vastationibus atque incendiis insignis erat; Galli enim in Bipontinum Ducatum irrumpentes, Palatinatum immensis pecuniarum exactionibus exhauserunt, ac Bruchsalium Spirensis Episcopi urbem, necnon Tabernas Montanas post numeratam ingentem auri vim, qua Cives incendii calamitatem redemerant, funditus exussere, pluribusque aliis urbibus primo direptis, ac postea incensis, Leodiensem arcem solo æquarunt: alii ex Philippopolitano propugnaculo identidem erumpentes, totam late regionem continenti incendio fœde devastarunt, atque inter alios Monclassius Alsatiæ Gubernator & Brossius Tribunus cum duorum millium agmine faces ubique circumferebant. His obviam processit Schulzius Cæsaris Tribunus, qui iterata clade protritis potissimam prædæ partem eripuit, atque ambos hosce peritissimos incendiorum Magistros captos in Neostadiensem custodiam abduxit. Sub idem tempus Wertmüllerus interim cum Cæsareo mili-

milite Philippopolin cinxit, donec Hermanus Badenſis Dux Gallis multiplici ſtrage fuſis, ac trucidato Hamiltone eorum Ductore, Lucenburgicum Ducem, qui obſeſſæ urbi ſuppetias ferre feſtinabat, repuliſſet: tum vero Carolus V. Lotharingiæ Dux Cæſareis copiis adjutus, poſt trimeſtrem obſidionem die octava Septembris munitiſſimam hanc urbem deditione cepit: Magis ſecundo Marte Galli pugnabant in Belgio, ubi feſtinata armorum felicitate Condatum, Buchainium & Ariam ſuæ poteſtatis fecere, atque in finibus Burgundiæ Mompelgradium ad deditionem compulerunt: Obtendebat quidem Franciæ Rex, ſe hujus ditionis Protectorem eſſe, atque illam eo duntaxat nomine occupaſſe, ne in Cæſareorum manus deveniret, ejus tamen milites præſente adhuc Wirtenbergico Duce, cui Urbs parebat, contra datam fidem omnia cubicula perſcrutati, urbem diripuerunt, civesque variis moleſtiis excruciantes, in eorum conſpectu uxores & filias pudenda inhumanitate vitiarunt: Interim etiam fœderati Principes, Brandeburgicus, Monaſterienſis, & Brunsvicenſis Sueco Caroloburgum & Stadam eripiunt, atque inter eos Brandeburgus Anclamum & Demminum aliasque Pomeraniæ urbes occu-

Sæc. XVII. A. C. 1676.

Sæc. XVII. A. C. 1676.

occupat, Suecosque a Wolgasti obsidione repellit, Monasterienſis vero Frisiam Orientalem depopulatur.

## §. XXXVI.

### *Incassum pax a summo Pontifice & Cæsare agitata.*

*Wagner vit. Leopold. l 6. Hode Hist. Louis XIV. lib. 37.*

Dum tota ferme Europa rapinis, cædibus, hostilibusque incendiis coluxerat, Imperator Ratisbonæ pacem maturare satagebat, ac Principum Legatis deliberandum proposuit, an non timendum esset, ne Franciæ Rex Imperii Deputatos a Neomagiensi Conventu excluderet. Sub idem tempus die decima septima Junii Bevilaqua Apostolicus Papæ Nuntius, & die quarta Julii Angliæ Regis Orator Ratisbona Viennam advenerant, pacis negotium procuraturi. Hi ergo primis a Cæsare petebant, ut suos quoque Legatos Neomagum decerneret, & Guilielmum Principem Fürstenbergium cujusdam exteri Principis custodiæ traderet: Ad hæc reposuit Imperator, se pro ineunda pace suos Oratores ablegaturum, Fürstenbergium autem ultro promisisse, se usque ad belli finem in custodia mansurum: Urgebat Papæ Nuntius, ut Cæsar tanquam Sedis Apostolicæ Protector habita Eccle-

siasti-

siasticæ dignitatis ratione Fürstenbergium summo Pontifici legitimo suo Judici traderet, interim vero belli inducias procuraret, & pacificationis articulos, ut desuper cum belligerantibus agi posset, proponeret. His addidit, quod Pontifex quidem partium interpretem, pacisque conciliandæ Internuntium lubenter ageret, optaret tamen, aliam præter Neomagum, urbem seligi, eoquod hæc hæreticis repleta Pontificium Nuntium admittere recusatura esset: Ad hæc Nuntio responsum, Pontificis operam Cæsari, Dano, Brandeburgo, & Protestantium potissimis pergratam fore, inducias autem Gallis nonnisi respirandi spatium indulturas, Papæ vero Nuntium Ravensteinii, urbe haud procul Neomago sita cum ceteris Legatis conferendi oportunitatem habere, ac denique Fürstenbergii ob sua crimina Ecclesiasticæ immunitatis indigni libertas Cæsari ac Imperio noxia foret: Haud feliciore successu Farnesius Papæ Nuntius & Angliæ Orator Barclaius in Franciæ Regis Aula pacem conficere adlaborabant: Solitæ insuper altercationes circa Legatorum prærogativas, ac rituum & titulorum formulas integrum annum tenuerunt: disceptabatur etiam circa Conciliatorum selectum; quippe Sæc. XVII. A. C. 1676.

Sæc. XVII. A. C. 1676.

præter ſummum Pontificem etiam Angliæ & Luſitaniæ Reges, necnon Respublica Veneta ſuas offerebant partes; aſt Luſitanus de colluſione cum Gallis ſuſpectus, & Venetus Hiſpanis exoſus rejiciebantur: omnibus placuit ſummi Pontificis opera, exceptis Hollandis, qui pro inveterata ſua, cæcaque Romani Pontificis averſatione eundem rerum ſuarum Procuratorem deſignari renuerunt: His tamen prævaluit ceterorum numerus, auctoritasque.

## §. XXXVII.

## *Clementis X. ſummi Pontificis obitus.*

*Priet. cont. Annal. pag. 957. Chronol. Rom. Pontif. p. 123.*

Attamen promovendæ pacis ſpem, laboremque intercidit invidia mortis, qua ſublatus Clemens X. Pontifex Maximus die vigeſima ſecunda Julii ſeptimo regiminis ſui anno vix inchoato in pace requievit. Attigerat annum ætatis ſuæ octogeſimum ſextum, unde non tam mortis violentia, quam virium defectu omnibus Eccleſiæ Sacramentis rite munitus vivere deſiit, ſepultus triduo poſt in Baſilica D. Petri in Sacello SS. Euchariſtiæ: Funebrem habuit orationem Abbas Malagonellus.

§. XXXVIII.

Sæc. XVII.
A. C. 1676.

## §. XXXVIII.

## *Ejusdem Pontificis gesta in Pontificatu.*

Toto Pontificatus sui tempore Clemens X. in constituenda vel revocanda Ecclesiæ disciplina omnem sollicitudinem impendit. Absolvit etiam posito primo lapide Basilicæ Liberianæ seu Mariæ Majoris fabricam, inchoatam a suo Prædecessore Clemente IX. cujus cineres ad Nobile Mausolæum a se erectum transtulit. Feliciter quoque dissidia ob præcedendi jus inter Principum Oratores exorta non sine proprii sui Nepotis dispendio composuit, Sabaudos etiam, qui cum Genuensibus circa fines regundos bello impliciti erant, ad pacis consilia inclinavit, impendensque Italiæ periculum avertit: Insuper Bernardum Christophorum Monasterienſem Episcopum, atque Electorem Colonienſem Gallo fœderatos contra Batavos ad quietem, irrito licet conatu, retrahere adlaborabat, sæpius ingemiscens, quod cædes, incendia, multasque calamitates inde in Christianam Rempublicam redundantes prævideret, præpedire tamen haud ultra posset: Vacuum etiam responso dimisit Moscorum Legatum, quia Du-

*Palat. vit. Pontif. pag. 661.*

*Vid. supra l. 206. §. 80 pag. 676.*

Sæc. XVII. A. C. 1676.

cem ſuum titulo *Cæſaris* ſalutari poſtu-
labat: Luſitanum vero Oratorem Co-
mitem de Prado tanquam Legatum
pace compoſita veneratus eſt, quam-
vis ejus Prædeceſſores, ne Hiſpaniæ
Regem offenderent, hunc Luſitano
honorem deferre recuſarent. Polono-
ſuppetiis valide ſubmiſſis, ac decimis
Italiæ Clero impoſitis tam potenter
adjuvit, ut Turcas Tartarosque non
modo prope Cocimum funderent, ſe-
trina etiam clade protritos ad ineun-
dam paeem compellerent, vi cujus
abolito tributo, regnante Michaele ex-
torto, Ucrania unacum potiſſima Po-
doliæ parte Polonis reſtituta, & ſacrum
Chriſti ſepulcrum extinctis omnibus in-
de motis diſſidiis denuo Chriſtianis red-
ditum fuit: Diſplicuit tamen Pontifici
quod Poloni Caminieckam cum finitimo
diſtrictu, ejusque loci Epiſcopatum
Turcis ceſſerint; quocirca per ſuum
Nuntium adverſus hunc pacis articu-
lum reclamabat, quinquies centena
aureorum millia quotannis offerens,
quamdiu ad recuperandam hanc ditio-
nem bellum proſequi neceſſe foret. Ve-
rum Sobiesckius Rex certam paceм
dubio armorum ſucceſſu potiorem ha-
buit. Denique præter alibi memoratos
Pontifex Beatorum numero adſcripſit
Albertum Magnum Ord. FF. Præd. d
Ludo-

Ludovicum Albertonum patria Romanum: Porro Clemens eam vivendi regendique methodum semper tenebat, ut ne quidem Protestantes, vigilantissimi Pontificum censores, quid jure carperent, ullatenus haberent: solus Weismanus illum fugillat, quod ob ætatem ad res gerendas ineptus, Cardinali Nepoti totum imperium tradiderit, hicque unice sub auctoritate & nomine Clementis regnarit: si autem Clemens solus regnasset, fors ab eo tanquam Vir nimium sibi confidens, & alieni consilii contemptor exagitatus fuisset. Quis corruptis horum stomachis escam ad soporem coxerit? Sæc. XVII. A. C. 1676.

## §. XXXIX.

## *Benedictus Odescalchus Cardinalis in Papam electus, atque Innoc. XI. nominatus.*

Justis defuncto Pontifici pro more persolutis, Romanæ Urbis servatores centum viginti aureorum millia ex arce S. Angeli ad instruendum Conclave, deficiente ærario Pontificio extrahebant: die autem secunda Augusti sexaginta quatuor Cardinales, auditis Principum Legatis, sacris comitiis initium fecere: Cuncta, quæ a Conclavium Historico referuntur, huc adducere mini- *Hist. des Conclav. Priorat. Fast. Card.*

Sæc. XVII. A. C. 16-6.

me vacat; certum enim est, quod A thores de ejusmodi argumento ag tes; cum nec ejusmodi comitiis int fuerint, nec cum rerum gnaris con rendi honorem promeriti sint, pot mam partem duntaxat conjectando divinando assequantur, & non raro popinis relata, vel proprii sui cere partus, vel privati affectus comme affingant illis, quos in Pontificum lectionibus præcipuas partes habu referunt: Ceterum Purpuratos aliqua diu inter se fuisse discordes, haud ficiamur; quamvis enim potissimi Benedictum Odescalchum conspirare huic tamen gallicæ factionis Cardi les vehementer obstiterant, Jaco Rospilioso, Viro sincero, prudenti, doc proprii sui commodi inimico faven cum autem suffragantium numero teris prævalere desperarent, plures lios Cardinales promovere nitebant potissima autem ceterorum parte, toque populo Odescalchum expeten ipsi quoque Galli Hispanis juncti in e sua contulere suffragia: quominus men illius electio statim promulga tur, reluctabatur Estræus Cardinal asserens, hunc in Clementis X. comit a Galliarum Rege fuisse exclusum, pri ergo Regis mentem esse explorandam Annuere ejus petito Cardinales, mi

me dubii, hunc Virum Gallis fore ac- Sæc. XVII.
ceptum, quippe ejus moderatione, qua A. C. 1676.
ſui excluſionem nullo dato indignationis ſigno ferebat, Gallorum animos in ſe rapiebat, ac inſuper in Corſorum diſſidio ſeſe plurimum commendatum reddebat, cum enim in Purpuratorum Senatu deliberaretur, utrum ad Regis poſtulata Imperialis Cardinalis in exilium demandandus eſſet, Odeſcalchus intrepido animo reſpondit, expedire, ut unus homo pro populo moriatur. Poſtquam igitur Rex hujus Cardinalis electionem ſibi acceptam fore, miſſis ad ſuum Legatum literis teſtabatur, Cardinales die vigeſima prima Septembris Odeſcalchi cubile ingreſſi, in ſignum proximæ electionis ejus manum exoſculati ſunt, ac diu reluctantem, mæſtumque tam aſſiduis precibus, allatisque tanti momenti rationibus pene oppreſſerunt, ut Deo contradicere, ſibi religioni duceret; præcipue cum ejus vocationem cæleſte augurium comprobare videretur; columba enim, poſtquam diu libratis pennis in aere ſuſpenſa ſtetiſſet, in conſpectu omnium rapido iteratoque volatu in Odeſcalchi caput deſcendens, renitenti ſuaviter ablandita eſt: Priusquam vero is in ſui electionem conſentiret, ſcripta Cardinalibus quædam ad morum reformationem ſpectantia propoſuit

Sæc. XVII. A. C. 1676. posuit capita, quibus Purpurati præstiti juramento subscriberent; quæ licet v vendi licentiæ, & corrupto sæculi ge nio adversa essent, nullam tamen i Patribus discordiam excitavere, imo eadem adhuc nocte eorum plures, ce teri vero summo mane diei sequentis cunctos restaurandæ disciplinæ articu los suo chirographo firmarunt: quo facto die vigesima secunda ejusdem Mensis Divo Matthæo sacra Cardinales unaomnes illum more consueto Papam salutarunt, mutuis certantes lacrimis. Ubi vero Barbarinus sacri Collegii De canus electionem promulgaturus, pro more interrogaret: An aquiesceret Ode scalchus, hic de sella surgens, accurrit ad Aram, ibique pronus in terra, se tanto oneri imparem elata voce profes sus, sese ideo aquiescere declaravit, quia sui vocationem, quam nulla hu mana ope præpedire potuit, a Deo esse crederet: Porro Innocentius XI. vocari voluit, ut gratus renovaret me moriam Innocentii X. a quo Purpura torum Senatui adscriptus est. Ceteris prior erat Christina Sueciæ Regina, quæ venerando pedum osculo neo electo Pontifici filiale exsolvit obsequium, quod postea Principum Oratores & qua tuor præcipue Senatores a Veneta re publica designati pariter præstiterunt.

Ad

Ad hanc venerationem solus Pontifex tantam humilitatem ac modestiam præ- Sæc. XVII. A.C. 1676.
seferebat, ut de hoc honore erubescere, atque in lacrimas uberrimas dissolvi videretur. Ipsa electionis suæ die Livium Odescalcham Nepotem suum ad se evocatum monebat, ut deinceps iis, quæ ex Paterna hæreditate Deus abunde ei contulisset, contentus more privati viveret, nec Ecclesiæ dignitates prensaret, nec Principatus aut Principum affinitates ambiret; procul enim ab Aula sua Nepotum auctoritatem, indeque pullulantes corruptelas abesse voluit. Adeo ab omni pompa & jactantia alienus erat, ut in numismate, quod eo coronato Senatus Romanus cudi fecerat, hæc verba: *Innocens manibus & mundo corde* deleri, hancque epigraphen: *Salva nos Domine* substitui juberet. Inito etiam Pontificatu palam declarabat, se deinceps novos Principum Oratores non admissurum, nisi immunitatis privilegium abdicarent, eoquod exin non modo publicis vectigalibus damnum ingens inferretur, sed etiam ob delictorum impunitatem, ac promeritæ pœnæ exemptionem peccandi licentia magis magisque foveretur. Denique a primis Pontificatus sui diebus coram Purpuratis declaravit, se nulla carnis & mundi ratione habita

Sæc XVII. A. C. 1676. duntaxat illos ad Pontificatus Mini- ſtros ſelecturum, qui virtutum calcul probarentur, atque ab Eccleſia non di- vitias ſperarent, ſed ſecum curas & labores partiri vellent.

## §. XL.

## *Hujus Pontificis geſta ante Pontifi- catum.*

*Ughell. Ital. ſacra. Souverain. Europ. pag. 1547. Vita Innocentii XI.*

Natus erat Benedictus Odeſcalchus Anno Incarnationis Dominicæ mil- leſimo ſexcenteſimo undecimo Novo- comi Mediolanenſis Ducatus urbe: Or- tum duxit ex pervetuſto ac Patritio ge- nere, cujus inſigne decus erat Hero ille Odeſcalchus, qui jam anno Chri octingenteſimo primo Viennæ in Del phinatu collectis copiis Carolo Magn Imperatori ſuppetias tulerat, fixoqu domicilio apud Longobardos ſuam gen tem ſummo decore propagaverat prout plurimæ inſcriptiones ſepulcra les ac monumenta in Comenſi urbe, a Longobardica ditione hodiedum adhu exſtantia luculenter teſtantur: Numer rantur etiam inter hujus Pontificis A vos Viri Inſulis, legationibus, primis que dignitatum ſubſelliis inclyti: Hin merito exſibillandi ſunt Proteſtante qui, dum in hujus Pontificis regimin ac moribus omnia commendare coge rentur

rentur, generis sui splendorem obfuscare nituntur, atque ipsum ex Comensi Mercatore Campsore progenitum fuisse, fingunt, necnon in commenti sui subsidium, mendacem, maledicum & omnium calumniarum bajulum Pasquinum, dignum sane ejusmodi scriptoribus testem, evocant, qui hæc Evangelii verba: *Invenerunt hominem sedentem in telonio* detorsit in Innocentium, eoquod die Divo Matthæo sacra ad Pontificatus dignitatem vocatus fuisset: Porro Benedictus adhuc juvenis ingenii sui acie, ac discendi ardore incitatus, tam assidua diligentia studiis sese impendit, ut supra vires & ætatem ad sublimiora procurrenti frœnum injicere oportuerit: Comi politioribus literis, Genuæ vero Mathesi, & Romæ ac Neapoli Jurisprudentiæ operam dedit, Doctoratus laurea insignitus: Erubescant igitur mendaces illi Fabulatores, qui Innocentio summam latini idiomatis ac literarum ignorantiam affingunt, atque impudentia haud toleranda scribunt, quemdam Cardinalem, dum Odescalchum eligi intelligeret, exclamasse: *Date nobis saltem Pontificem, qui Breviarium & Missale suum latine intelligat*, ipsum quoque Innocentium, conspecta Bulla a Favoritio Abbate suo secretario scripta, lacrimas

Sæc. XVII. A.C. 1676.

*Vassor. Apostato Hist. Louis XIII. t 4. p. 70. Bayl. Apostat. Dict. tom. 2.*

Sæc. XVII A. C. 1676

crimas fudiſſe, ac dixiſſe: *Quid de nobis cenſebunt poſteri, cum viderint pulchram hanc latinitatem noſtram.* Ita nempe genuina ejusmodi Apoſtatarum teſſera eſt mentiri, convitiari, & calumnias effundere in Pontifices: Ex fætore noſcuntur upupæ.

Ceterum Odeſcalchus, priusquam Eccleſiaſticum vitæ genus amplecteretur, militiæ nomen dedit, atque in Germania & Polonia Tribunus bellicis expeditionibus interfuit: ex caſtris vero reverſus, Romam venit, ubi ab Urbano VIII. Protonotarius, Comiſſarius, & Secretarius Apoſtolicus, necnon Marchiæ Romanæ Gubernator renuntiabatur, quo in munere pecuniarum mulctas criminoſis impoſitas, quas *pretium ſanguinis* appellare conſueverat, mox in egenos diſtribuit. Expleta autem hac Præfectura Romæ primo Cameræ Clericus, ac demum ab Innocentio X. Cardinalis, creabatur, ab eodem Pontifice Legatus Ferrariam miſſus, quem Pontifex his verbis dimiſit: *Mittimus Ferrariam patrem pauperum*: legatione hac perfunctus Epiſcopatu Novarienſi donatus eſt, cujus tamen proventus præter magnam hæreditatis ſuæ partem in Eccleſiæ Cathedralis ornatum, atque in pauperes diſtribuit: poſtquam vero annuente Papa

hanc

hanc Ecclesiam Julio Mariæ Benedi- Sæc. XVII.
ctino Fratri suo cesserat, ipse Romam A.C. 1676.
redux pluribus Patrum cætibus præfuit, necnon Apostolicam vitæ methodum instituit ab omnibus laudatam, ac sanctitatis opinione ornatam: præprimis vero modestiæ, temperantiæ ac justitiæ studiosissimus erat, dicere solitus, *cæcam esse justitiam, quæ non considerat personam pauperis, nec honorat vultum potentis; tribunalia enim esse erecta non ad decorem judicantis personæ, sed personam electam esse ad custodiam Magistratus.* Præterea, cum moribus omnino inculpatus esset, Apostolica libertate sese corruptelis opposuit, & Romanis Proceribus, qui Colosseum in hastiludium designare tentabant, imperterrito animo restitit, asserens, indignum fore, terram sacro Martyrum sanguine adhuc madidam profano pollui usu, ipsus quoque suo exemplo ac iterata hujus loci religiosa lustratione populum ad tantam excitavit pietatem, ut plurimi deinceps nonnisi solutis calceamentis hanc terram calcare auderent. Denique quod ab Ecclesia receperat, id ferme totum in dotandas Virgines, alendas pauperum familias, reficiendos peregrinos dextera manu, quin id resciret sinistra, largiter effudit, plura etiam Monasteria & Templa tam in urbe,

Sæc. XVII. A. C. 1676.

urbe, quam extra urbem ære suo reparavit, atque in pauperum usum Hospitium S. Gallæ erexit, & clanculum ingentem auri vim ad Xenodochium SS. Trinitatis transmisit, ut separatus lectulus pro singulis peregrinantibus inde confici posset: Denique inter tot alia munificentiæ suæ monumenta, quorum potissimam partem ejus humilitas nostræ cognitioni subduxit, recenseri merentur validæ quinquaginta aureorum millium suppetiæ, quas Polonis Turcico bello ad incitas ferme redactis submiserat. Talis demum tantusque Cardinalis non minore in terris præmio, quam supremo Ecclesiæ fastigio decorari potuit.

## §. XLI.

## *Friderici Sfortiæ Cardinalis obitus.*

*Mem. du Card. Bentiv. Ciacon. in vita Innoc. X.*

Inter Cardinales hoc anno defunctos primo occurrit Fridericus Sfortia, nobilis Romanus, qui humanioribus, necnon Theologicis literis apprime imbutus, ab Innocentio X. Papa Referendarius utriusque, ut vocant, *Signaturæ*, necnon Protonotarius Apostolicus renuntiabatur: quo munere laudabiliter expleto ab eodem Pontifice ad regendam Avenionensem Provinciam assumptus, tandem Cardinalium Col-

Collegio adscriptus est. Postea pluribus Patrum Purpuratorum cætibus annumeratus, Ariminensem Ecclesiam Episcopus aliquamdiu rexit, qua demum annuente Pontifice dimissa, Hispaniæ Regis Oratorem, & Siculæ Monarchiæ Protectorem Romæ egit, cujus Urbis pauperes eleemosynis quotidie liberaliter erogatis magno numero alebat: Decessit tandem ibidem annos natus septuaginta tres. Sæc. XVII. A. C. 1676.

## §. XLII.

## *Caroli Bonelli Cardinalis decessus.*

Mortis vestigia post Sfortiam proxime pressit Carolus Bonellus Pii V. Pro-Nepos patria Romanus, qui emenso humaniorum literarum curriculo in Academia Perusina utriusque Juris scientiæ vacabat, Doctorum Laurea decoratus. Inde Romam profectus, ab Urbano VIII. Cubicularius, & Signaturæ Referendarius, ac diversarum Provinciarum Rector nominabatur; postea Corinthiacus Archipræsul in Hispaniam ad Philippum IV. Regem pacis Interpres ac Sedis Apostolicæ Nuntius ablegatus, ab Alexandro VII. Papa, absens licet, applaudente tamen Rege, Romanam Purpuram obtinuit, ac Romam reversus, in variis Congregationibus

*Eggs Purp. doct. suppl. pag. 596. Palat. fast. Card.*

Sæc. XVII. A. C. 1676.

nibus præclara Ecclesiæ obsequia præstitit: Mortuo præfato Pontifice a Cardinale Imperiali, aliisque Chigianæ familiæ addictis in summum Pontificem expetebatur, a Gallis tamen præpeditus. Obiit Romæ die vigesima septima Augusti anno ætatis suæ sexagesimo quarto.

## §. XLIII.

## *Ludovicus Guilielmus Moncada Cardinalis mortuus.*

*Eggs l. c. pag. 605.*

Tandem etiam pari fato sublatus est Ludovicus Guilielmus Moncada de Arragonia, qui Antonio Patre suo societatem ingresso, ejusque Matre Catharina inter Carmelitas Discalceatas sub nomine Theresiæ a Spiritu sancto professa, vix decimum quintum ætatis suæ annum ingressus, paternarum ditionum possessionem adire compulsus est, quocirca Ducis Alcalæ filiam in matrimonium accepit, qua tamen sine filiis præmortua, secundas nuptias cum Catharina de Moncada celebravit, atque a Philippo IV. Hispaniarum Rege Siciliæ, Sardiniæ, & Valentiæ Pro-Rex, necnon Regii stabuli Præfectus, pluribusque honorum titulis auctus, ad Cæsarem Legatus decernebatur. Interim vero, dum Viennæ hac legatione

tione fungeretur, denuo uxore sua orbatus, militiæ sacræ Madriti nomen dedit, ab Alexandro VII. Papa absens Purpuratorum Albo insertus: Tum vero totum se virtutum exercitiis dicabat, atque ob pietatem in Deum, fidelitatem in Regem, clementiam in subditos, humanitatem in exteros, munificentiam in amicos, & liberalitatem erga pauperes omnium admirationem sibi conciliabat. Ineunte autem hoc anno Madriti obiit expleto anno ætatis sexagesimo secundo. Sæc. XVII. A.C. 1676.

## §. XLIV.

## *Innocentii XI. summi Pontificis Constitutiones.*

Inter varias, quas Innocentius XI. hoc anno promulgavit, Constitutiones celeberrima, magnæque contentioni obnoxia erat illa, qua, uti memoravimus, die decima quinta Januarii, nec Cardinales, aut Legatos a latere, nec Duces aut Principes, Papæ Nepotes, aut affines vel alios quoscunque deinceps a vectigalibus, oneribusque publicis exemptos fore declaravit, eoquod ejusmodi exemptionibus ærarium imminuatur, & non exempti plus æquo graventur: cum autem a quibusdam iniquitatis filiis pixidem sacram cum

*Bull. magn. Const. Innoc. XI. pag. 1. Abregé de l'Hist. Eccl. t. 3. p. 480.*

Sæc. XVII. A. C. 1676.

Hostia consecrata furto ablatam fuisse inaudierat, ejusmodi fures, & eos qui sacras Hostias retinent, Curiæ sæculari tradi, hujus vero caussæ cognitionem sacræ Inquisitioni die duodecima Martii attribui jussit. Inhibuit etiam Jesuitis, ne Novitios susciperent; quocirca hi illum tanquam Jansenistam traduxere, & ut fertur, publicas preces pro ejus conversione indixerunt. Sub idem tempus Fratres Minores duas Pontifici proposuere quæstiones. I. Utrum Parochus, per cujus Parochiam funus processionaliter defertur ad Ecclesiam regularium, pro transitu possit quicquam exigere? II. An Parochus defuncti possit libere & licite per alterius Parochiam processionaliter transire cum cadavere ad Ecclesiam cum stola & Cruce elevata? Ad primam quæstionem Pontifex respondit negando, ad secundam affirmando.

## §. XLV.

## *Diversæ sacrarum Congregationum decisiones.*

*Decis. sanctæ Congr. Imm. Rit. &c.*

Ex decisionibus sacrarum Congregationum paucas referimus, & primo quidem in sacra Immunitatis Congregatione Patres die nona Maij decreverunt, quod Vicarius Capitularis absolvens

solvens censuratum, talem a se declaratum ob violatam Immunitatem Ecclesiasticam, reintegret Censuras, & consulat conscientiæ suæ: die autem vigesima tertia Junii sacra Indulgentiarum Congregatio approbante Innocentio XI. declaravit, quod clausula: *volumus, ut si qualibet alia die visitantibus alia Indulgentia perpetua, vel ad tempus nondum elapsum duratura fuerit concessa, præsentes literæ nullæ sint*, non comprehendat Altaria Privilegiata pro defunctis. Denique Theodorus ab Asculo reformatorum Fratrum Minorum Procurator Generalis supplicavit, quatenus sacra Rituum Congregatio eis concedat, ut officium omnium Sanctorum Ordinis sui die particulari recitare valeant: Huic petito die decima quarta Novembris Patres annuerunt. Sæc. XVII. A. C. 1676.

## §. XLVI.

## *Quorumdam Principum, atque Illustrium obitus.*

Hoc item anno Augustissimam Cæsaris domum denuo ingens afflixit calamitas; vix enim Leopoldus ex Claudiæ Felicitatis lectissimæ uxoris suæ suavissimo consortio tædiorum suorum levamen percipere cæperat, cum in flore juventutis suæ, alioquin vivaci *Wagner vit. Leopold. l. 6.*

Sæc. XVII. A. C. 1676.

corpore, ſpiritusque ardore præſtans. Fœmina præmaturo nimis fato die octavo Aprilis nonniſi viginti tres annos nata eripitur: immodica autem concitatione, & venandi intemperantia pulmones vitiaſſe, & hecticam febriculam ac denique mortem ſibi accerſiſſe creditu eſt: Nullam poſt ſe reliquerat prolem maſculam, quocirca Imperator ad tertia vota tranſire ſtatuit: Viduato Auguſto thoro Daniæ Rex Ulricam Sororem ſuam immenſis pollicitationibus, factoque abjurandæ ſectæ promiſſo ſubrogare nitebatur: aſt Imperator hanc dudum Carolo Sueciæ Regi deſponſam comperiens, ac Lutheri opinionibus enutritam in vitæ conjugalis ſocietatem admittere recuſavit, ſibique Eleonoram Magdalenam Neoburgici Ducis Filiam ſelegit, eamque Paſſavii hoc adhuc anno die decima quarta Decembris ſolemni pompa duxit. Præceſſerat Imperatricis fatum Adelhaidis Henrieta Ferdinandi Mariæ Bavariæ Electoris Conjux: Hæc Victoris Amadæi Sabaudiæ Ducis Filia inſigni vitæ ſanctitate, omnibusque tanta Principe dignis naturæ dotibus exornata Monachii anno ætatis ſuæ quadrageſimo die decima octava Martii deceſſit, non ſine incredibili Mariti ſui mærore. Feralia illius veſtigia preſſit Alexius Michaelo

*Theatr. Europ. t. 11.*

chaelowitz Moscoviæ ac Russiæ Monarcha, qui Polonis Cosaccorum ope, & Suecis in Polonorum subsidium arma inferens, plus pace, quam bello sibi profuit: cetera Princeps erat religioni Græcæ addictissimus, suis subditis percharus, moribus oppido mitis, atque in pauperes liberalis. Hunc mortalitatis comes ad æternitatem secutus est Carolus Caspar de Leyen Trevirensis Archiepiscopus & Elector, qui Confluentiæ die prima Junii obiit, successoremque habuit die vigesima tertia Julii electum Joannem Hugonem de Orsbeck antea Spirensem Episcopum: Eodem anno naturæ debitum solvit Carolus Fridericus Badensis Marchio, ac Cardinalis Friderici Hassiæ Landgravii Nepos, qui omni scientiarum genere excultus, sub Suecorum Rege Bellidux militaverat, ejurata autem secta ad Catholicam fidem reversus, ac Melitensibus Equitibus adscriptus Viennæ pientissime obiit. Denique Venetorum Dux Nicolaus Sagredo non sine magno Nobilium plebisque luctu die vigesima prima Augusti fatis cessit, postquam nonnisi septendecin Menses Reipublicæ præerat, & paucis antea Mensibus Arnoldum Apostolicum Papæ Nuntium, necnon Estraden Franciæ Regis Legatum exceperat: Huic subrogatus est

Sæc. XVII. A.C. 1676.

Sæc. XVII A. C. 1676.

paucis post diebus Ludovicus Contarinus jamjam septuaginta quinque annos natus.

## §. XLVII.

### *Scriptorum religione Catholicorum lucubrationes & mors.*

*Cimarol. Mem. mund. Sæc. XVII. Du Pin Bibl. nouv. t. 18. pag. 227. Thuan. Hist. lib. 62.*

Inter Scriptores Ecclesiasticos hoc anno denatos non pauci occurrunt, qui suis lucubrationibus nominis sui memoriam posteritati commendarunt. Hos inter primus Franciscus Bosquet Montpessulanus Episcopus scripsit Historiam Galliæ Ecclesiasticam, vitas Pontificum, qui Avenione sedem suam habuerunt, Synopsin legum Michaelis Pselli cum notis, pluraque alia scripta magnæ apud eruditos æstimationis. Pronuntiabat etiam Anno 1655. in Cleri Gallicani comitiis eruditissimum sermonem de Regaliis in favorem Episcoporum Occidaniæ. II. Joannes Grancheus Bariensis Archiepiscopus edidit suas Constitutiones Diæcesanas. III. Josephus Maria Soresinus posteris reliquit tractatum de capitibus SS. Petri & Pauli in Laterano asservatis, de imagine SS. Servatoris ibidem custoditæ de scala sancta in Laterano culta, Encomium sacrum B. Francisci de Sales & descriptionum duas partes præter alia

alia nonnulla. IV. Franciſcus Delfavius Benedictinus Congr. S. Mauri, edidit tractatum in duas partes diviſum *de Abbate Commendatario*, in quo corruptelas, ſacrilegas bonorum Eccleſiaſticorum uſurpationes, necnon tyrannicam ejusmodi Mercenariorum Abbatum auctoritatem carpſit, ſolideque hanc corruptelam confutavit, propterea tamen plurimorum indignatione preſſus a ſuo monaſterio ad Diæceſin Claromontanam exulare juſſus eſt: Enimvero P. Gabriel Gerberon ejusdem Congregationis Benedictinus ſe in quodam commentario hujus libri Auctorem exſtitiſſe aſſerit, forte duntaxat ſecundæ illius partis, primam enin e Delfavii calamo profluxiſſe, vix dubitari poteſt. Scripſit inſuper proſpectum in novam editionem operum S. Auguſtini præter diſſertationem in Authorem libri de imitatione Chriſti, de qua jam ſupra mentionem fecimus: denique poſteris reliquit apologiam pro Principe Fürſtenbergio Coloniæ capto & epitaphium Caſimiri Poloniæ Regis. Hic idem Pater Delfavius, dum die decima tertia Octobris prope Breſtiam, quo orationem panegyricam apud PP. Carmelitas in honorem S. Thereſiæ dicturus contenderat, nauffragio facto unacum aliis ſeptem periit, nonniſi tri-

Sæc. XVII. A.C. 1676.

*Vid. ſupra l.* 206. §. 42. *pag.* 577.

Sæc. XVII A. C. 1676

ginta novem annos natus. V. Antonius Reginaldus Ord. FF. Prædicatorum ſcripſit diſſertationem de Catechismi Romani auctoritate, theſes apologeticas circa mentem Concilii Tridentini quoad gratiam efficacem, vindicias harum Theſium, quæſtionem Theologico-Hiſtoricam & Juris Pontificii de mente Synodi Tridentinæ circa ſcientiam mediam, chronicon Inquiſitorum Toloſanorum præter alia. VI. Victorius Riccius ejusdem Ordinis Miſſionarius Malabaricus, qui acta & pretioſam mortem F. Timothei Dominicani deſcripſit, atque anno hujus ſæculi ſeptuageſimo quarto die prima Junii ex Inſulis Philippinis ad Cardinales Congregationis de Propaganda fide epiſtolam transmiſit, in qua de Orientalium Eccleſiarum ſtatu rationem redditurus, inter alia hæc retulit: „Japonia tam arcte ſuas portas occludit, „ut eo ingrediendi vix ulla ſpes ſuperſit, quamvis Divina virtute Chriſtianorum corda adeo ſint obfirmata, ut „etiam Sacerdotibus deſtituti fidem „propagent, & infideles baptiſent, ſingulisque annis nonnulli pro religione „crudeliſſima tormenta, imo & mortem „ſubeant, imbellesque infantes, ac fœminæ ad equleos, ollasque ferventes „intrepide currant: magnis equidem „ſum-

„sumptibus ad Coream Peninsulam Mis- Sæc. XVII.
„sionarii mittebantur, sed sævæ tem- A.C. 1676.
„pestatis vi ad nostras Insulas redire
„coacti sunt. Quam atrocem vexatio-
„nem in Sinis passi simus, jam ex tri-
„bus libris a me Romam missis constat:
„ego in quadam Christiani domo lati-
„tans nil intentatum relinquo, ut Mis-
„sionarios ex Ordine SS. Francisci &
„Dominici Sinas mittere possem: nos
„autem inutiliter laboravimus, & Fran-
„ciscani Macaum adventantes, a Jesui-
„tis ingredi prohibiti sunt, nihilominus
„clam ingressi ab iisdem vexati, atque
„apud Cantonensem Pro-Regem de-
„nuntiati Macaum reverti cogebantur:
„Hic idem Pro-Rex hos Missionarios
„non proprio motu sed ex metu, ne
„exteros in Provinciam invexisse ac-
„cusaretur, a Regni accessu exclusit,
„unde exclamavit: *malam intentionem*
„*habent Jesuitæ:* pariter P. Bonaventura
„Ibagnez Franciscanus hæc nuper mihi
„rescripsit: *Quis in Europa credat, quod*
„*Societatis Religiosi Ministros Evangelii eo*
„*fine accusent & comprehendi curent, ut e*
„*Regno, quod nonnisi ad annuntiandum*
„*Evangelium ingrediuntur, ejiciantur: nec*
„*ipse Sathan ad arcendos a Sinarum fini-*
„*bus Christi Ministros efficaciora remedia,*
„*artioresque Macajenses limites opponere*
„*posset.* Ergo hac ratione quarto in Mis-

Sæc. XVII. A. C. 1676.

„ſionibus laborandi voto ſatisfaciun
„dum Evangelii prædicationem impe
„diunt, & Chriſti Miniſtros propellunt
„incredibile hoc videtur, & nihil t
„men verius eſt, non modo nunc, ſe
„pluribus aliis occaſionibus Chriſti Mi
„niſtros ex eodem Regno ejecerun
„Hæc referre cogor, ut veſtræ Emi
„nentiæ tam impudenti & ſcandalo
„agendi modo remedium opponant
„non enim Jeſuitæ in Sinis tales ſun
„quales ſaltem exterius Romæ com
„parent; nec eos pudor, nec erga Apo
„ſtolicas literas reverentia, nec ſcan
„dali timor ab ejusmodi violentiis re
„tinet. Poſt vexationem ante bien
„nium extinctam omnes quidem reli
„gioſi ad ſuas Miſſiones reverſi ſun
„ſed ſuperſunt duntaxat duo Fran
„ciſcani, & quinque Dominicani. A
„Inſulam Formoſam quatuor miſimu
„Dominicanos, ſed hi a quodam S
„nenſi, qui ejectis Batavis hanc Inſ
„lam ſibi ſubjecit, capti hoc anno re
„dire compulſi ſunt. Quid in Regn
„Tonquino, Cochinchino, Champay
„Camboja & Siam agatur, aliund
„veſtris Eminentiis notum eſt; id mih
„certo conſtat, quod Jeſuitæ ibide
„(*anno hujus ſæculi ſeptuageſimo ſexto* in
„*expulſi fuere*) Epiſcopos verbo & oper
„inſectati ſint, eosque Janſeniſtas ap
„pell

„pellarint; ipsimet hi Præsules de in- Sæc. XVII.
„juriis sibi illatis testari poterunt, unice A.C. 1676.
„referam, quod Jesuitarum impulsu &
„accusationibus Gabriel Sacerdos ab his
„Episcopis eo missus perinde acsi Fran-
„ciæ Regis explorator esset, ab Hispa-
„nis captus, mox Siamam reverti co-
„actus fuerit: nos vero hunc Sacerdo-
„tem protecturi unacum aliis quatuor
„Missionariis in Sinarum Regnum pe-
„netrare tentavimus, sed ab iis pro-
„hibiti sumus, qui suarum actionum te-
„stes oculatos abhorrent, quamvis nun-
„quam soli in aliquo loco esse deberent,
„ut Ecclesia de eorum doctrina certior
„reddi posset; quamdiu enim soli in Si-
„nis erant, quas in doctrina & ritu no-
„vitates invexerint, vobis sat notum
„est. Bullæ etiam Clementis IX. qua
„Ecclesiasticis negotiatio interdicta,
„etsi ab ipso Rege in omnibus suis di-
„tionibus fuisset promulgata, non se
„subjecerunt, negotiantes ut antea, sub
„alieno tamen nomine &c.„ Præ-
ter hanc epistolam Riccius insuper e-
tiam Sinarum Historiam composuit.
Refert P. Echard illum nonnisi anno
hujus sæculi octogesimo quinto Manilæ
die decima quinta Februarii decessisse.
VII. Martinus de Esparsa S. J. edidit
tractatum de immaculata Conceptione
B. V. cursum Theologicum, epistolas
S. Au-

Sæc. XVII. A. C 1676.

S. Augustini collectas, tractatum de virtutibus moralibus. VIII. Joannes Paulus ab Epiphania Carmelita Excalceatus posteris reliquit cogitationes sacras, morales ac politicas de naturæ vicissitudinibus, Historiam civitatis Messanensis, artem concionandi, discursum Academicum in epistolam B. V. ad Messanenses præter plurimas orationes & Venerabilium vitas. IX. Matthias a Corona Carmelita typis vulgavit duodecim tomos de Ecclesia Romana, ejus Primatu, Pontificum auctoritate, Episcoporum spirituali & judiciali potestate, de Missionibus Apostolicis, de dignitate Cardinalium, Legatorum &c. & de Sanctitate ejusdem Ecclesiæ.

## §. XLVIII.

## *Acatholicorum scriptorum lucubrationes & obitus.*

*Du Pin Bibl. des Aut. Eccl. t. 17. Rolli Bibl. nob. Theol. Witte mem. Th.*

Celebre sibi nomen inter Scriptores Acatholicos hoc anno defunctos comparabat Gisbertus Voetius Calvinianus Præco; cum enim Sylvaducenses Protestantes ad certamen Catholicos ejusdem Urbis Parochos provocassent, & Cornelius Jansenius edito suo *Alexi*

*Alexipharmaco* Calvinianæ ſectæ principia evertiſſet, eisque iniquitatem ac fraudes, quarum ope diſputationem haberi vellent, exprobraſſet, & eos ad liberum publicumque certamen invitaſſet, Gisbertus Voetius pudore ſuffuſus, quod Sylvaducenſes Præcones in ejusmodi certamine comparere auſi non fuiſſet, ſaltem Janſenii ſcriptum notis inficere, ſategit, ubi vero contra eum Janſenius ſuam *Spongiam notarum* ediderat, Voetius ſuam *cauſſam deſperatam Papatus* jam mortuo Janſenio oppoſuit, a Liberto Fromondo egregie confutatus. Præter hoſce libellos Voetius etiam edidit Bibliothecam ſtudioſi Theologici, Diſputationes ſelectas, Politiam Eccleſiaſticam, fabulam de Joanna Papiſſa, vindicias pro lege & Imperio contra Hobbeſium, & nonnulla alia. II. Daniel Feſſelius ſcripſit libros quinque adverſariorum Sacrorum, Theatrum Theologico-Hiſtoricum, Chriſtum Myſticum, Promptuarium Biblicum, Regnum Chriſti & Diaboli, Theoſophiæ myſticæ nucleum præter alia. III. Joannes Tombes publici juris fecit animadverſiones de juſtificatione, Antipædobaptismum, atque animadverſiones in Bulli harmoniam Apoſtolicam. IV. Petrus Haberkorn vulgavit vindicias Lutheranæ fidei con-

Sæc. XVII. A. C. 1676.

Sæc. XVII. A. C. 1676.

contra Hunnium, syntagma disputationum Theologicarum, Heptadem disputationum Anti-Wallenburgicarum & Anti-Valerianum &c. V. Nicolaus Rudbeckius prælo subjecit disputationem in Epistolam ad Rom. memoriale locorum Theologicorum, & tractatum de gratia. VI. Joannes Vorstius scripsit commentaria de Hebraismis & Adagiis N. T. Dissertationes Sacras, conciliationem inter Joannem & Paulum circa justificationem, de gratiæ Divinæ efficacia, & de Paradiso. VII. Joannes Seld edidit idolum Syncretisticum, scrutinium articulorum fundamentalium, Topicam Calvinianam, & Harmoniam Orthodoxiæ Paulinæ circa Prædestinationem &c. VIII. Thomas Tully scripsit Enchiridion didacticum præcipuorum Theologiæ capitum, expositionem Symboli Apostolici, & justificationem Paulinam sine operibus. IX. Jacobus Schallerus edidit disputationes de tarda Dei vindicta, de fraterno amore, de Divinatione, superstitione, blasphemia, homine avaro, hospitalitate, abstinentia circa cibum, de expositione infantum &c. scripsit etiam de tortura in Christiana Republica non exercenda, de contumelia, de Simonia, de bono & malo morali, de indulgentiis, de Christo offensionis lapide.

pide, pluraque alia. X. Guilielmus Moma a Leidenſibus Lugduno, & a Principe Auriaco ob Cocæianas opiniones Medioburgo ejectus ſcripſit de Oeconomia teſtamentaria, de adventu Schilo, & meditationes in Catechismum Heidelbergenſem & epiſtolas D. Pauli. Sæc. XVII. A. C. 1677.

## §. XLIX.

## *Salubria ſummi Pontificis edicta pro morum correctione.*

Hujus anni poſt Chriſtum natum milleſimi ſexcenteſimi ſeptuageſimi ſeptimi auſpicia Innocentius XI. ſummus Pontifex tollendis, quæ ſubinde irrepſerant, morum corruptelis ſacrabat, hancque in rem quatuor Cardinales, inter quos Recanetus eminuit, ſeligebat, præprimis igitur conſtanter, totoque conatu Nepotes fovendi, ditandique conſuetudinem abrogare aggrediebatur, ac propterea veritus, ne fors hæc corruptela poſt ejus obitum reviviſceret, cunctos Cardinales excitabat, ut adjecta anathematis pœna Nepotismum, uti vocant, ſacramento ejurarent; ipſus quoque eis exemplo præluxerat; per integros enim duodecim Pontificatus ſui annos Nepoti ſuo nec unicum obulum ex Eccleſiæ pro-

*Godfrid cont. Hiſt. Chron. t. 3. pag. 232. Theatr. Europ. tom. II. Palat. in vita Innocentii XI.*

Sæc. XVII. A. C. 1677.

proventibus adjudicavit, imo ipsum e
tiam compulit, ut quotannis ex pro
prio suo patrimonio decem vel duode
cim aureorum millia vel in pauperes
vel in bellum Turcicum erogaret: Dei
Palatii sui Ministris tot salubria præ
scripsit instituta, ut ejus Aula in Tem
plum, ac virtutis palæstram migrasse
videretur: composita igitur Domo su
reformandi conatum ad ipsam Roma
nam Curiam extendit, judicibusque &
Advocatis causas agendi leges, &
mercedis exigendæ limites præscripsit.
Apostolicæ etiam Cancellariæ litera
& scripta discuti, atque in commisso
errores, fraudesque severius inquir
jussit, capitis pœnam justitiæ Admi
nistris comminatus, si a litigantibus
munera acciperent, aut justitiæ ad
ministrationem protelarent: Præter po
liticas leges quamplurimas insuper
prohibuit, ne Sanctimoniales musicam
profiterentur, aut eam in suis Ec
clesiis exercerent, omnesque utrius
que sexus Regulares ad vitæ com
munis leges & primævum Instituti fe
fervorem reduxit, cunctosque Clerico
interdictis etiam sericis vestibus a luxu
omnique actione statui Ecclesiastico
minus decente tanta monitorum effi
cacia cohibuit, ut ne ipsi quidem Car
dinales vel unquam publicis spectaculis
inter

intereſſe auderent: Ut vero Templorum ſanctitas ſemper illibata ſervaretur, fœminis nonniſi velata facie ingreſſum conceſſit, prohibuitque, ne ulla porrecto aut nudo pectore incederet, atque Eccleſiarum prophanatores, etiam Nobiles ac divites exilio mulctavit, quamdam inſuper Nobilem fœminam, quæ ſpreto Pontificis interdicto per plateas nudo pectore indecentius incedebat, palam virgis cæſam, Roma expelli, ac judicem quemdam de male adminiſtrata juſtitia convictum triremium ſupplicio plecti juſſit. Præterea epiſtolam Paſtoralem ad omnes totius Orbis Chriſtiani Epiſcopos dedit, qua eis injunxit, ne ullum absque beneficii titulo, & ſine præmiſſis ſaltem triduanis exercitationibus; ſacris initiarentur: Inſtituit quoque Congregationem, cui incumberet inquirere in mores illorum, qui ad Epiſcopatus dignitatesque promovendi eſſent; ſolo enim meritorum, non perſonæ habita ratione Pontifex dignitates Viris; non Viros dignitatibus quærebat, quocirca cuidam Cardinali monenti, ut decem vacantes ſedes nova Purpuratorum inauguratione ſuppleret, reſpondit, *hucusque nonniſi unicum tanto honore dignum inveni.* Denique imperterrito animo reſtitit Hiſpaniæ & Franciæ

Sæc. XVII. A. C. 1677.

Sæc. XVII. A. C. 1677. Oratoribus, qui contempta ejus auctoritate & mandato, Romæ milites conscribere, atque etiam invitos ad signa rapere non cessabant: Institit etiam acriter nupero edicto, quo immunitatem a vectigalibus, atque Asyli jus Oratoribus ademerat, quocirca Marchionem de Lieve Hispaniæ legatum, qui die vigesima octava Martii urbem solemni pompa ingressus, in suo Palatio sceleratis omnibus eo confugientibus immunitatem concesserat, a suo alloquio excluſit, ac die undecima Augusti suum edictum innovavit, immunitatemque ad Sixti V. decretum restrinxit: Inde autem vehementer commotus Hispaniæ Legatus, deinceps Pontificis Nuntios viciſſim a Principum Aulis fore excludendos minitabatur. His minis nondum quidem terrebatur Pontifex, imploratis tamen Regularium precibus hanc Sedis Apostolicæ necessitatem Deo ferventer commendabat, firmius vero respirare cæperat, dum Franciæ Legatus eidem Regias porrexit literas, quibus Ludovicus XIV. Pontifici, sacræque Sedi omne pollicitus est auxilium, suoque Legato injunxit, ut illico omnes facinorosos e suo Palatio ejectos justitiæ Ministris traderet: Inde Pontifex haud parum recreatus, Mense Decembri cum Franciæ

ciæ Miniſtris ſecreta habuit colloquia, quo comperto Hiſpaniæ Legatus, qui hucusque ſibi ſatisfieri vehementer urgebat, a ſuo Rege Pontifici cedere juſſus, eidem etiam omne obſequium præſtitit. Ita demum ingens hoc diſſidium, eo ſaltem tempore, ſat manifeſte ipſo Deo pios Papæ conatus ſecundante, ſublatum eſt, & Roma in novam veluti formam renovota eliminatis omnibus iis criminibus, quæ per impunitatem ex hiſce aſylis nutritam urbem fœdabant, reſloruit. Sub idem tempus Apoſtolicus Papæ Nuntius Leopoldum Cæſarem Viennæ ſupplicatum adibat, ut Pontificis edictum abolito Legatorum aſylo, ſua quoque auctoritate firmare vellet, eoquod ob Palatiorum immunitatem Romæ ab exteris Legatis prætenſam homicidiis, aliisque malis innumeris hucusque via fuiſſet aperta: Verum Cæſar huic privilegio ſeſe penitus abdicare, adhucdum tergiverſabatur.

Sæc. XVII. A.C 1677.

## §. L.

## *Continuata Proteſtantium rebellium ſeditio in Hungaria.*

Quamvis Calviniſtæ in Hungaria anno priori iterata clade a Zatmarienſi, & Kallenſi obſidione repulſi fuiſſent,

*Theatr. Eur. tom. 11. Godfrid. Chron. cont. l. 9. tom. 3. pag. 225.*

Sæc. XVII. A. C. 1677.

sent, & Balassus Imbre eorum Dux ob tenta Cæsaris venia a rebellium figu receſſiſſet, nihilominus hoc item ann Hungariam majore, quam unquam furore devaſtare continuarunt, Turc rum Gallorumque ſuppetiis firmat Nil intentatum reliquerat Imperator ut ſeditioſos Proteſtantes clementi non ferro ad obſequium revocare po ſet: opportune etiam Franciſcus Ar meniæ Epiſcopus ex Ordine FF. Pra dicatorum unacum quinque ſociis a Perſia Viennam venit, qui Cæſarem de Perſiæ Regis ac Catholicorum Pa triarcharum amicitia & auxilio certio rem reddidit, ipſe etiam Sultanus mi ſis Viennam Legatis Cæſari nuntiabat quod ab omni hoſtilitate alienus, Bu denſem Baſſam, eoquod rebellibu Hungaris opem tuliſſet, ibidem ſtra gulari, ac Gallos, qui Turciæ, Moldæ viæ & Valachiæ populos ad seditiom ſocietatem pellicere tentabant, ejic juſſerit. Habuit etiam Viennæ Le poldus Imperator inferioris Auſtriæ & Hungariæ Procerum comitia, in qu bus Auſtriaci ne ſoli exactionum onera ferre cogerentur, deinceps nulla in mobilia bona per donationes, teſta menta, vel emptiones ad Religioſo transferri petebant, Hungariæ ver Proceres ad reducendos rebelles a

consultius esse proponebant, nisi ut temperata suppliciorum severitate imposterum rebelles vivi palo per medium corpus adacto haud ultra suspenderentur. Ad horum igitur preces mox Imperator Coppio Belliduci in mandatis dedit, ne amplius sævo hoc supplicii genere in captos rebelles animadverteret. Enimvero oblata Cæsaris venia promissaque bonorum restitutione ac libero sectæ suæ exercitio, concessa insuper tam Lutheranis quam Calvinistis una in quolibet comitatu Ecclesia, publicasque officii sine Religionis discrimine obeundi facultate seditiosi ad saniora inclinassent consilia, nisi Bethunius Marchio Franciæ Orator e Polonia reversus, illos multo auro ad continuandam rebellionem induxisset, necnon jubente Rege Gallorum copias Ductore Bohano Comite, & sex Polonorum nuper a signis dimissorum millia in opem seditiosorum Cassovienſium adduxisset. His enim militum, aurique suppetiis suffulti Calvinistæ, Cæsareos iterata clade repulerunt, ac in Hungariam superiorem irruentes, ferro & flamma totam circum regionem devastarunt, necnon pudenda crudelitate non modo in Viros sed & inermes puellas & mulieres desævierunt. Præterea Wesselenius rebellium Ductor datis li-

Sæc. XVII. A. C. 1677.

Sæc. XVII A. C. 1677.

teris Ragotſiam Principem, atque omnes ſuperioris Hungariæ Comitatus ſollicitabat, ut ſua arma jungerent, ac Germanos ex Hungariæ Regno expellerent. Hujus epiſtolæ ſumma erat hæc: „Calamitatum memoriam, & remedii „neceſſitatem vobis exponere, ſuper„vacaneum eſt, ad excitandos veſtros „animos ſufficit, quod potentiſſimus „quidam Rex veſtra mala miſertus, vos „a miſera ſervitute duroque jugo libe„rare feſtinet: accurrite ergo ad ſigna „veſtrorum Commilitonum, qui bona „patriam & familiam relinquere, quam „propudioſo jugo collum ſubmittere „maluerunt: meritis veſtris parantur „præmia, & congrua fidei ſtipendia „honores & officia. Pro Religionis li„bertate, veſtrisque privilegiis ſtrenue „certate, & brevi hoſtes veſtros omnino protritos, & vincula in palmas „verſa videbitis.„ Præterea Tarvallius Comes apud Tranſylvanos Franciæ Orator die trigeſima Novembris promulgato edicto Hungaros oblatis militum ſtipendiis, factaque ſecuritatis, præmii atque impunitatis pollicitatione ad rebellium caſtra accerſebat: Accurrerat equidem ad ſedandos hoſce tumultus Coppius Cæſareus Bellidux, qui etiam Caſſoviæ trecentos rebelles palo affigi juſſit, ſimulque Schmittius alter

alter Cæsarei agminis Ductor Polonis die prima Octobris obviam processerat, ab his vero sub amicitiæ obtentu delusus, dum rebelles trucidato Ferrentio eorum Duce incautius insequitur, a tergo instantibus fugam arripere coactus est. Magis secundo successu Coppius Calvinianos rebelles, dum pari crudelitate Mungatsianos excarnificare parabant, oppressit, ac quatuor Nobiles, præcipuos rebellionis incentores infixo palo suspendi jussit. Auxit nihilominus rebellionis furorem Abasius Transylvaniæ Princeps: hic enim conspirationem, qua ipsemet petebatur, tempestive quidemdetexerat, a Cæsaris tamenMinistris conflatamratus,palamsese rebellium partibus addixit: Emericus quoque Töckelius cum bis mille armatis sese rebellibus adjunxit, quamvis autem hi exercitum viginti circiter millibus validum recenserent, præter excursiones tamen & rapinas nil tanto apparatu dignum exequebantur, donec perfidi Turcæ anno hujus sæculi octogesimo secundo ab eis stimulati omnes suas illis vires jungerent. Ceterum hic idem Armeniæ Episcopus Vienna Romam venit, summo Pontifici referens, fidem Catholicam in Persia magnis incrementis florere, Armenorum Patriarcham se totum Sedi Apostolicæ subjicere, spem-

Sæc. XVII. A. C. 16[illegible].

Sæc. XVII. A. C. 1677.

que fore, ut ipsemet Rex parem submissionem professurus sit.

## §. LI.

## *Holsatiæ, & Hassiæ Principes ad fidem Catholicam reversi.*

*Kraus exempla Convers. pag. 281. Cimer. mem. mund. pag. 726.*

Cum interea Protestantes suam sectam non Evangelicæ veritatis gladio, sed rebellium armorum potentia in Hungariæ Regno stabilire niterentur, quinquaginta duo Prædicantes in Hungaria hoc anno a Calvini castris ad fidem Catholicam reversi sunt: insuper Deus, in cujus manu sunt corda Regum, plures Principes in Germania a vera fide dudum devios ad agnoscendam sectæ falsitatem, & detestandos humani commenti errores impulit, atque inter eos præprimis Alexandrina Juliana Georgii III. Hassiæ Landgravii Vidua, ac postea Caroli Hasso-Rheinfelsiæ Landgravii Catholici Conjux die quarta Junii Calvini venenum publice evomuit, ad Romanæ Ecclesiæ sinum reversa: Hanc jam antea præcesserat Georgius Christianus Hasso-Homburgensis Landgravius, qui non sine cæleſti prodigio Bruxellis in Belgio hæresin, in qua enutritus erat, ejuravit, atque ex Acatholico zelosissimus fidei Catholicæ Defensor factus, hoc anno Francofordiæ pien-

pientissime decessit. Anno autem sequenti Dorothea Hedwigis Holsatiæ Nordburgensis, & Sleswicii Ducissa olim Lutherana Gandersheimii Abbatissa religionem Catholicam, cui sese jamjam anno hujus sæculi septuagesimo addixerat, Bambergæ in Templo Jesuitarum palam professa est, secuta exemplum Joachimi Ernesti Holsatiæ Plönæ Principis, qui Anno 1674. e sectæ suæ tenebris ad Catholicæ veritatis lucem traductus est. Sæc. XVII. A. C. 1677.

## §. LII.

## *Indecens quædam Consuetudo in Galliis abolita.*

Inter corruptelas, quas fœminarum incontinentia invexit, atque ignorantia seu morum perversitas a sæculo decimo quinto usque nunc in Galliis propagavit, haud infima erat consuetudo, qua fœminis Maritos suos velut ad perficiendum conjugii actum ineptos accusantibus, Judices experimentum, quod in Galliis *congressus* dicebatur, in judicio fieri præcipiebant, ac juxta hujus probationis successum ejusmodi matrimonium aut validum aut nullum esse pronuntiabant: Ejusmodi experimentum olim Justinianus Imperator, ac dudum leges Canonicæ prohibuere, *Mem. Chron. & Dogm. l'An 1677. Abregé de l'Hist. Eccl. tom. 3.*

Sæc. XVII A. C. 1677.

legitimam, honeſtamque ſubrogantes probationem (*). Poſtquam vero hæc conſuetudo in Galliis invaluerat, ac ſolam eorum, qui ejusmodi congreſſui intererant, teſtificationem plurima divortia ex Judicum ſententia ſucceſſerant, atque inter alia etiam Marchionis de Langers connubium die octava Februarii anno hujus ſæculi quinquageſimo nono nullum irritumque fuit declaratum, poſtquam vero inſuperhabito Parlamenti interdicto hic idem Marchio ad ſecundas tranſierat nuptias, & ex altera Conjuge ſeptem ſuſceperat filios, Marchionis affines, ſe hæreditate privari indignantes, alterum hoc matrimonium diſſolvi urgebant: His Parlamentum ſuffragabatur, captaque exin occaſione die decima octava Februarii edito decreto hunc congreſſum abrogabat, tanquam omnibus honeſtatis, religionisque legibus adverſum, atque ad comprobandum matrimonii valorem minus idoneum.

## §. LIII.

## *Mariæ Stuartæ connubium Jacobo Stuarto Eboracenſi Duci & Catholicis infauſtum.*

Inte-

(*) Vid. cuncta capit. tit. de frigidis & maleficiatis.

Interim Proteſtantes in Anglia ſupremum dominium in Carolum II. Regem, & ſummam tyrannidem in Catholicos exercere continuabant; præprimis enim Regem, ut eidem in meditatæ oppreſſionis eventum paratam validi ſubſidii ſpem præciderent, vehementius urgebant, ut cum Batavis inito fœdere Franciæ Regem bello peteret: His poſtulatis Rex irritatus reſpondit, nunquam hactenus auditum eſſe, quod belli pacisque jus Regiæ Majeſtati annexum ſubditi ſibi uſurpare præſumerent, ac ideo ſe palam declarare, quod potius extrema quæque perpeti vellet, quam ſemetipſum ſuo jure ſpoliare: quocirca Parlamenti Seſſiones usque ad primam Decembris diem differri præcepit: Premebant interim ſuam indignationem Calviniani Senatores, quibus jam firmum fixumque erat, ſi Carolum ſolio deturbare non poſſent, ſaltem ejus Fratrem Eboracenſem Ducem ſubrogato Principe Calviniano, a ſucceſſionis ſpe, ac diademate Anglico excludere. Ad hujus inſuper propoſiti executionem ipſemet Rex peropportunam eis ſuppeditabat occaſionem; quamvis enim proprii ſui judicii teſtimonio præter Catholicam religionem, nullam aliam eſſe veram probe cognoſceret, nec etiam ignoraret, quod Calviniſtæ

Sæc. XVII. A. C. 1677.

*Rapin Thoiras Hiſt. d'Angl. t. 10.*

Sæc. XVII. A. C. 1677. viniſtæ inverſo ſucceſſionis ordine ſceptrum Fratri ſuo utpote Catholico eripere, illudque in ſectæ ſuæ Principem transferre molirentur, nihilominus tamen, quo impellente incertum, nil ardentius deſiderabat, quam ut Maria Fratris ſui Filia natu major Guilielmo Henrico Naſſovio Arauſionenſi Principi Calviniano nuberet. Obſtabat primo ejus Pater Eboracenſis Dux, cujus plurimum intererat, adeo ambitioſum, ſummisque votis a Calviniana factione expetitum Regni Anglici Corrivalem longius ſubmovere, & populi Catholici, fideique libertati proſpicere: poſtea tamen, invitus licet, Regis voluntati ceſſit, *ut ſuo exemplo*, inquiebat ipſe, *ejus ſubditi obedientiam Regi ſuo debitam, tandem præſtare addiſcerent.* Die igitur decima quarta Novembris infauſtæ hæ nuptiæ perficiebantur, quibus peractis Sponſi, ut injurias ſibi a Regiæ partis hoſtibus paratas declinarent, tanta feſtinatione Londino excedere cogebantur, ut Cantuariam delatis in caupona etiam neceſſaria defuiſſent, niſi Tillotſonus Doctor illorum ſortem miſertus, pecunias & ſuppellectilem argenteam ſubminiſtraſſet. Quibus autem artibus poſtea Calviniſtæ Eboracenſem Ducem a ſolio ſuo deturbarint, & Arauſionenſem Principem ſubſtitue-

stituerint, necnon Catholicos oppressserint, confictæ conjurationis commentum demonstrabit, cujus catastrophen ad annum hujus sæculi octogesimum octavum recensebimus. Sæc. XVII. A. C. 1677.

## §. LIV.

## *Initia conjurationis contra Angliæ Regem confictæ, & nequissime Catholicis imputatæ.*

Nil igitur opportunius aptiusque ad arcendum Catholicum Regni hæredem necnon ad opprimendos Angliæ Catholicos excogitari poterat, quam meditatæ in Regem conjurationis fabula, quam Titus Oates omnium, qui sunt, quive unquam fuere, mortalium nequissimus atque ab omni honestatis simulatione longe remotissimus homo hoc anno in Catholicos luserat. Hic Calvinianæ sectæ addictus variis artibus, ac simulata pietate tandem impetrabat, ut a Londinensibus Ecclesiæ Anglicanæ Prædicantibus in ministerii societatem admissus, subinde exigui proventus Parochiis ad tempus præesse permitteretur, ubique tamen ob linguæ intemperantiam, libidinum, omniumque scelerum maculas & præcipue ob crimen, quod nequidem inter Christianos nominaretur, adeo tristem nomi-

*Hode Hist. de Louis XIX. t. 4. lib. 39. Relat. Tit. Oates Conspirat. d'Angl.*

nis

Sæc. XVII. A. C. 1677.

nis sui notam reliquerat, ut hoc anno ab animarum cura amotus, atque ab omnibus probis, honestisque Viris derelictus precario victum conquirere cogeretur. Hisce angustiis pressus, apud sibi similes nequitiæ socios opem quæsivit, brevique invenit in Israele Tongio, Viro erudito quidem, ad omnia tamen audenda proclivi, necnon in excogitandis nefandissimis consiliis admodum fæcundo. Hic ergo libratæ novi sui Discipuli indole, cum illum ad exequenda quævis detestanda molimina aptissimum censeret, se brevi illum fortunis cumulaturum pollicitus est, dummodo arctiorem cum Catholicis ac præcipue cum Jesuitis vitæ societatem quærere, atque eorum actiones, nomina, & officia exacte explorare vellet; harum enim rerum notitiis probe instructus, novæ conspirationis Historiam levi brachio conscribere posset, cujus ope, si periculosam ejusmodi conjurationem detegeret, absdubio fœcundam auri fodinam sibi aperturus esset: Placuit hoc consilium Tito, qui pro suo ingenio ad omnes malitias & fingendi modos nato paucis posthac diebus ad Catholicos ejurata Calvini secta transiit, & ut nonnulli referunt, Jesuita factus hoc anno Mense Majo Vallisoletum in Hispaniam pro-

*Abregé Chron. de l'Hist. Eccl. tom. 13.*

*Calmet Hist. Univ. t. 13. Rapin Hist. d'Angl. l. 23. pag. 391.*

fectus

fectus est, ibidem in Collegium Jesuitarum directioni commissum admissus. Evolutis septem mensibus in Angliam reversus, dignissimus hic tanto Magistro discipulus, Tongio confictæ suæ conjurationis Historiam exhibuit, quam tamen hic nondum satis elaboratam ratus, Tito suasit, ut Audomaropolin in Belgio ad Jesuitarum Collegium pergeret: Paruit huic consilio, atque ibidem etiam integrum quidem semestre degebat, ob vitam tamen omni flagitiorum genere contaminatam, cum de ejus emendatione conclamatum esset, a Jesuitis dimissus est. Tum vero spirans ultionis, minarum & cædis in Jesuitas & Catholicos denuo Londinum ad Magistrum suum contendit, quocum etiam horrendam illius conspirationis in Regem a Jesuitis, Catholicis ipsoque Duce Eboracensi meditatæ, ac brevi, ut fingebat ipse, erupturæ historiam consarcinavit, eamque typis edendam Basseto Bibliopolæ tradidit. Hic vero cum nonnisi male consutam esse fabulam cerneret, quædam delevit, alia vero substituit, quo compeito Titus apud plebejum Parlamenti Ordinem vehementer questus, anni sequentis die decima Aprilis ab eodem impetravit, ut perfecta ac integra Historia conjurationis, ac circumstantiarum

Sæc. XVII. A.C. 1677.

Sæc. XVII. A. C. 1677.

rum a se composita Parkhurstanis & Cocheillanis literis excuderetur, sub hoc titulo, *vera relatio execrandæ conspirationis a Papistis contra Regem, Angliæ regimen & Protestantium religionem conflatæ unacum complicum nominibus jussu Parlamenti a Tito Oates Theologiæ Doctore vulgata, Regique porrecta.* Enimvero vix unquam scriptum quoddam famosum pejus consarcinatum, insanum, veroque minus simile publicam lucem aspexit, quam turpissimum hoc Titi commentum, cujus ipsa Historia, omnesque circumstantiæ soli & unico falsoque testimonio innitebantur nequissimorum duorum hominum, qui, quamvis innumeras complicum literas in manibus se tenere mentirentur, nunquam tamen etiam interpellati vel ullum genuinum scriptum proferre poterant: nihilominus tamen Calvinistæ tam opportunam in Catholicos Nationis Anglicæ odium concitandi, atque Eboracensem Ducem ab Angliæ throno excludendi occasionem haud negligendam esse rati, rem serio agere, & Regis salutem ac vitam effuso etiam plurium innoxiorum cruore tueri simulabant. Cui autem vero simile videri potest, quod Catholici in Regem, quem tamen sibi valde indulgentem ac religioni Catholicæ faventem noverant, ani-

amplioresque ab eo favores haud temere sperare poterant, sine omni caussa, quam ipsimet iniquissimi hujus Fabulæ Architecti confingere obliti sunt, conspirare, eique vel ferro vel sclopeti ictu vel veneno (de mortis genere hi accusatores ipsimet non convenere) vitam adimere moliti fuerint, cum tamen sat prospectum haberent, quod mortuo hoc Rege, Calviniſtæ excluso Eboracensi, Calvinianum Principem, a quo acerbiora adhuc, quam unquam passi essent, exspectarent, in solium intrusuri sint: Horrendæ hujus fabulæ falsitatem tot luculenta detegunt documenta, ut ipsimet Protestantes æquitatis magis studiosi mendax hoc commentum detestentur, proin Catholicorum innocentiam vindicare prorsus superfluum sit: *dum enim palam falsa sunt, quæ nobis objiciunt, negare satis est* (*). Sæc. XVII. A. C. 1677.

## §. LV.

### *Conflictæ hujus conjurationis capita.*

Præcipuum hujus conjurationis Authorem Calvinianus hic rabula pro antiquo hæreticorum more fingebat Innocentium XI. summum Pontificem, qua-

(*) Quintil. lib. 5. cap. 13.

Sæc. XVII. A. C. 1677.

*qualis nempe vir, talis & oratio*: nec enim Oates apud Calviniſtas fidem habuiſſet, niſi juxta ſuæ ſcholæ regulas Papam tanquam tyrannum ac cruentum Principum hoſtem in ſcænam produxiſſet. Mentiebatur ergo, quod hic Pontifex Menſe Decembri hujus anni præſentibus plusquam trecentis hominibus (fors ad majorem tanti ſecreti fidem tantam hominum frequentiam convocabat) Angliæ Regnum ob Regis populique hæreſin ad Sedem Apoſtolicam eſſe devolutum palam declarit, ſimulque per Apoſtolica diplomata, quæ Paulus Oliva Jeſuitarum Generalis expedire juſſus eſſet, præcipua Regni munia inter Catholicos diſtribuerit, & quidem Bulla, aut Menſe Novembri aut Decembri deſuper edita, cujus copiam ſibi a Blundelo die 30 Auguſti monſtratam mentiebatur Oates, Cardinali Howardo Norfolciæ Duci Archiepiſcopatum Cantuarienſem, Eboracenſem Perroto ſacerdoti, cetera vero Epiſcopatus Jeſuitis (hos in conjurationis typo præteriiſſe, piaculum fuiſſet) aliisque Sacerdotibus, Abbatias autem Weſtmonaſterienſem & Sionhuſanam Benedictinis, quinque vero decanatus Bettoni Sorbonæ Doctori, Leyburnio Cardinalis Secretario, Howardo & duodecim Canonicis Benedicti-

nedictinis, Morgano Laico, & Watkinsono Ulyssiponensis Collegii Præsidi, reliquas vero dignitates Ecclesiasticas Hispanis, aliisque exteris adjudicarit. Postea Oates fæcundissimus hic mendaciorum Parens fingebat. I. Richardum Strange Provincialem ac quatuor alios Jesuitas die vigesima nona Aprilis Patri Suimano Jesuitæ Hiberno Madriti agenti scripsisse, quod Presbyterianos in Episcopales suis sermonibus concitare velint, has vero literas a Jesuitis Tito datas, & a se Burgis apertas fuisse mentiebatur idem Titus, cur quæso, eas coram Parlamento non exhibuit? II. Quod Hispani Jesuitæ suos Alumnos Anglos adegerint, ut fidelitatis juramentum utpote hæreticum, diabolicum & religioni contrarium detestarentur, atque in Collegio Vallisolitano die vigesima nona Septembris coram Tito docuerint, Carolum II. Regem non esse legitimum, sed Nothum ex Scotiæ Mago natum. III. Jesuitas Audomaropolitanos die decima Junii perscripsisse, quod Londinenses Jesuitæ Eboracensem Ducem, si eorum votis non annueret, interficere parati essent, Titum vero has literas inspexisse, simulque detexisse, quod Jesuitæ nuperi belli, Londinensis & Suthwarciensis incendii Authores exstiterint,

Sæc. XVII. A. C. 1677.

Sæc. XVII
A. C. 1677.

ibidemque unionum & sexdecim mil-
lium librarum sterlingicarum opimam
prædam fecerint. IV. Suimanum Je-
suitam ad Vallisoletanos Jesuitas di-
prima Julii scripsisse, quod Angliæ Re
veneno sublatus fuerit, applaudentibus
Jesuitis Londinensibus, qui Stuarto
deservire parati essent, dummodo Pro-
testantium sectam everturus sit. V.
Petrum Richardum Strange die vigesi-
ma Junii & Julii perscripsisse, quod ipse
pro trucidando Rege aptos sicarios in-
venire satageret, Williamus autem il
exequi renuerit, etsi ei mille quin-
gentæ libræ fuissent promissæ: die au-
tem tertia Novembris Patrem Petrum
de Corduba Jesuitam suis literis ad Ri-
chardum & Keinsium datis significasse
quod in præmium decies mille libras
sint accepturi, si Regem e medio to-
lerent, alios decem Jesuitas Audoma-
ropolitani Collegii Rectori scripsisse,
quod Regem delitiis suis immersum vel
per suos vel per Vakemanum Reginæ
Medicum veneno interficere intende-
rent, atque a Patre La Chaise Fran-
ciæ Regis Confessario, pro interfectore
decem librarum millia apud quemdam
Aurifabrum esse depositа, item Jesuitam
die duodecima Decembris scripsisse a
eundem P. La Chaise, quod Presbyte-
rianos in Scotia ad seditionem conci-
tarint

tarint, eorumque viginti millia arma sumere parati essent, si Rex Franciæ Anglo Regi bellum denuntiare & in Hiberniam, Catholicis ibidem conspirantibus, irrumpere vellet, insuper alios Jesuitas die vigesima sexta Decembris præfato Regis Confessario suis literis nuntiasse, quod quinquaginta circiter Jesuitæ Londini in Popina ad equum album deliberassent de modo, quo Regem ejusque fratrem e medio tollere possent, nisi eorum votis accesserint, sique illos trucidandi occasio deesset, ipsum Regem saltem e Regno ejicere vellent, huic autem consultationi Titum interfuisse. Has pluresque alias ejusmodi literas vel sibi ab ipsis Jesuitis ad legendum fuisse traditas, vel a semetipso perlectas, audacter mentiebatur impiissimus Oates: Postea se partim ex conjuratorum literis, partim ex eorum colloquiis hausisse referebat, inter eos conventum esse, ut duo Benedictini quatuor Hibernis sicariis stipati Regem pugione transfoderent, Wakemanus autem Eques adstipulante ipsamet Regina eum veneno interficere pollicitus esset, jamque in cædis præmium quinque librarum sterlingicarum millia receperit: in præcipuis quoque locis Londini ignis subjiceretur, ac grassante incendio omnes Protestantes

Sæc. XVII. A. C. 1677.

Sæc. XVI. A. C. 1677.

interficerentur, ad cujus rei executionem quinquaginta hominum millia in armis essent, atque ex Gallia decem armatorum millia, ex Hispania vero triginta millia partim Peregrini partim Fratres Laici præstituto tempore adventuri sint: insuper septuaginta Hibernorum millia unacum Gallicis copiis clam in Hibernia (absdubio, nemine cogitante) convenirent, ac demum signo ex Anglia dato totam Insulam Ductoribus Talbot Duce, ejusque Fratre Dublinensi Archiepiscopo ferro flammaque devastarent: Hæc præcipua erant hujus calumniatoris mendacia, ac somnia, quæ ex ipsa relatione falsitatis, ac turpissimi commenti notas produnt, duntaxat ab illis in hanc usque diem credita, quibus ad Catholicos vexandos atque eliminandos, calumniæ & quævis mendacia sufficiunt. Porro hujus commentitiæ conjurationis successum ac mala anno sequenti recensebimus.

## §. LVI.

### *Andegavensis Episcopi querelæ ad Papam circa corruptam morum doctrinam, & Jansenianæ hæresis convitium.*

Per

Sæc. XVII. A.C. 1677.

Percrebuit brevi per universum Orbem fama de singulari studio, quo Innocentius XI. Papa Romæ suam Curiam, totamque Ecclesiam a morum corruptelis expurgare adlaborabat; inde vero excitata Lovanienſis & Duacenſis Facultas Theologica, cum fidelium mores ob corruptam laxamque doctrinam indies magis ac magis depravari cerneret, quam plurimas propositiones moralem disciplinam corrumpentes censuris notavit, ac Christianum Lupum, Martinum Steyaert Romam ablegarunt, ut Innocentii XI. sententiam de censuris contra gratiæ hostes dudum latis rogarent, quas Pontifex omnino integras reliquit. Sub idem quoque tempus Franciæ Episcopi, & præcipue Andegavenſis, Alectenſis, Atrebatenſis & sancti Pontii apud Innocentium Papam depravatam Jesuitarum doctrinam moralem denuntiarunt, insuper questi, quod eversa Clementis IX. Pace Episcopos laxiores doctrinæ hostes tanquam Janseniana hæresi infectos palam traducerent, atque ab ipso Ludovico XIV. Rege edictum, ut vocant, Castri de Ninove extorquentes (*) dissidia non ita pridem sopita

*Vid. supra* §. 29. p. 63.



(*) Hujus edicti occasio erat Episcopus Ande-

Sæc. XVII. A. C. 1677.

innovarint, malorumque inde emergentium nova cauſſa exſtiterint, atque ad honeſtandam ſuam agendi intemperantiam du Chenium, & Vibertum Eccleſiaſticos, aliosque, quibus juxta prudentem ſacræ Sedis conniventiam limitata formulæ ſubſcriptio ad tollendas conſcientiæ anxietates conceſſa fuerat, de Janſeniana hæreſi accuſarint. Hanc in rem Nicolaus Pavillonius Aletenſis Epiſcopus ad Innocentium Papam die trigeſima Junii has dedit literas: Beatiſſime Pater: Præſtitum ab „humilitate noſtra, Veſtræ in Petri „Cathedram exaltationi gratulationis „ac devotionis officium benigne adeo „& peramanter excepit ſanctitas Veſtra, „ut hoc ipſo animatus majori cum fi„ducia iterum ad illam de graviſſimis „Eccleſiæ Gallicanæ malis, nec niſi ab „apo-

Andegavenſis quosdam ſuæ Diæceſis Clericos, ut cum limitatione formulæ ſubſcriberent, cogere moliebatur, hi autem inſtigantibus Jeſuitis deſuper querebantur, & Pariſienſis Archiepiſcopus Regem eo adegit, ut anno priori edictum Campis de Ninove datum promulgaret, vi cujus declaratum, quod in pacis Clementinæ negotio facta conceſſio limitatæ ſubſcriptionis duntaxat ſit indulgentia erga quosdum ſpeciales perſonas, non autem quod univerſim extendi poſſet.

„apoſtolica Authoritate & charitate ſub- Sæc. XVII.
„levandis, ſcribere inſtituerim. Quid A. C. 1677.
„epiſtolæ a pluribus hujuſce Regni Epi-
„ſcopis ad Sedem Apoſtolicam de per-
„verſis recentiorum Caſuiſtarum dogma-
„tibus deſtinatæ nuper acciderit, jam
„credo, Beatiſſime Pater, Sanctitas
„Veſtra tum fui apud Chriſtianiſſimum
„Regem Nuntii relatione, tum aliorum
„forte querelis inaudivit. Qua de re
„pluribus hic agere minime opus fue-
„rit, cum univerſam hiſtoriæ ſeriem
„harum dator literarum auribus Ve-
„ſtris referre poterit. Sane vulnus iſtud
„Epiſcopali Dignitati inflictum, Bea-
„tiſſime Pater, ſentiet, & graviter no-
„biſcum feret Sanctitas Veſtra omnium
„Eccleſiarum ſollicitudine anxia, & ad
„Epiſcoporum voces eo propenſius ſeſe
„inclinabit, quo eas indigniſſimis mo-
„dis & artibus intercluſas fuiſſe per-
„ſpexerit. Nec vero alienis egebat hor-
„tatoribus Beatitudo Veſtra ad Ethicæ
„Chriſtianæ corruptores cohibendos.
„Sat illam ſtimulat morum inſtituen-
„dorum & diſciplinæ in melius infor-
„mandæ zelus a familiariſſimis ſibi
„ſacræ ſynodi Tridentinæ decretis, do-
„meſticoque S. Caroli exemplo excita-
„tus: Unde plane confidimus fore, ut
„omnes illas doctrinæ corruptelas tanto
„diſtrictius configat, quanto eas a fau-

Sæc. XVII. A. C. 1677

„toribus audacius disseminari intellexe-
„rit. Dolore siquidem imo & indigna-
„tione afficietur Sanctitas Vestra, Bea-
„tissime Pater, in tantum illos Chri-
„stianissimi Regis religioni obrepsisse,
„ut quæsitis coloribus nostrum de scri-
„benda ad Sedem Apostolicam epistola
„consilium crimini verterint, Episco-
„posque, abrogato jam pridem contra
„fas omne Provincialium synodorum
„usu, etiam de rebus Ecclesiasticis in-
„ter se communicandi, & ad Sedem
„Apostolicam communi nomine refe-
„rendi antiquo & præcipuo jure inter-
„dicere tentaverint. Quod quid est
„aliud, Beatissime Pater, quam Ec-
„clesiastici Regiminis a Christo Domi-
„no instituti, & omnium retro sæcula-
„rum usu comprobati formam pessum-
„dare, unius per totum orbem Episco-
„patus vinculum solvere, & ipsius, quo
„Romana gaudet Ecclesia, primatus
„jura convellere: Nova hæc, & hucu
„usque apud nos inaudita, minus ta-
„men quis fortasse mirabitur, si fre-
„quentes & pene quotidianas in Ec-
„clesiæ libertatem molitiones attende-
„rit, quibus Aulici homines Ecclesia-
„sticæ disciplinæ & doctrinæ caussas
„sæcularibus Magistratibus ac Regiæ
„potestati addicere conantur. . . . Jam
„ad corrupta morum dogmata redeo,
„quo-

„quod malum latius patet, & pleris- Sæc. XVII.
„que animabus adhuc nocentius est. A.C. 1677.
„Huic curando, quantum ab initio
„pontificatus studium Sanctitas Vestra
„adhibuerit, universi norunt: quod ut
„ipsa brevi assequeretur, nihil demum
„utilius aut promptius occurrit, quam
„ut præcipua laxioris Doctrinæ capita,
„jam dudum a plerisque Ecclesiæ Gal-
„licanæ præsulibus in famoso Casuista-
„rum Apologista damnata, iterum ad
„eorundem Episcoporum relationem a
„Sede Apostolica solemni decreto dam-
„narentur. Id autem ut ad optatum
„exitum, obsistentibus licet Casuisticæ
„corruptelæ patronis, perducatur, op-
„tamus vovemusque. Verum Beatis-
„sime Pater rerum nostrarum experi-
„mentis edoctus, & paterna Vestra be-
„nignitate fretus ausin dicere, nihil
„pene in damnandis Casuistarum er-
„roribus operæ pretii fore, nisi eadem
„Vestra Authoritate Jansenianæ hære-
„seos phantasma, quo jam diu plurimi
„in his partibus ludificantur, evane-
„scat. Confidentius fortasse quis hoc
„dictum existimaverit: verissimum ta-
„men est Beatissime Pater, & nobis
„res cominus intuentibus quotidiana
„experientia certissimum, Apostolicas
„constitutiones prædecessorum Vestro-
„rum Innocentii X. & Alexandri VII.
„sub-

Sæc. XVII. A. C. 1677.

„ſubmiſſa omnes plane mente accipiunt.
„Nec ullus eſt, qui cum Eccleſia Ro-
„mana & Catholica perverſos atque
„hæreticos ſenſus in quinque propo-
„tionibus damnatis contentos non et
„animo damnet, quod prædictarum
„Conſtitutionum præcipuum eſt caput:
„& in ceteris etiam nemo eſt, qui il-
„lis perpetuo Eccleſiæ uſu debitam Re-
„verentiam non præſtet. Id quod probe
„intellexit Clemens IX. Alexandri VII.
„Succeſſor, dum Galliæ Epiſcopis ac
„Theologis jam diu vexatis pacem tan-
„dem pro Apoſtolica Sapientia, & re-
„quitate conceſſit. Verum Beatiſſimæ
„Pater hujus tam optatæ pacis fructum
„hactenus nobis invidit, & vanis arte-
„bus ſubripuit pertinax adverſariorum
„factio, & imperitus ac præpoſterus
„nonnullorum zelus. Janſenianæ ſiqui-
„dem hæreſeos nomen prorſus jam va-
„num & inane ſummo ſtudio retinue-
„runt, nec illis præſentius aut vali-
„dius telum, quo ſe tueantur, & cujus-
„libet ordinis homines ſibi adverſantes
„diſturbent. Hac futili accuſatione
„ſanctiorem quamque de moribus doc-
„trinam exſufflant, viros pietate ac
„doctrina præſtantes traducunt, atque
„Eccleſiæ miniſteriis ſubmovent, non
„Theologos modo, ſed Epiſcopos po-
„pulis ſuſpectos efficiunt, pios eorum
„labo-

„labores, & saluberrima instaurandæ „disciplinæ consilia intervertunt, libros „informandis moribus aptissimos fide„lium manibus excutiunt, omnem de„nique instituendæ Christianorum vitæ, „& ad normam Evangelii componen„dæ viam occludunt. Illud vero Bea„tissime Pater summopere animadver„tendum est, non solum hujus fictitiæ „hæreseos prætextu grassantem ubique „morum corruptelam foveri, sed fidei „quoque solidissima dogmata convelli. „Quis enim non doleat castissimam & „saluberrimam sanctorum Augustini & „Thomæ de gratuita Dei prædestina„tione & gratia Christi ad singulos pie„tatis actus necessaria, doctrinam sub „invidioso Jansenii nomine a plerisque „repudiari, & tanquam erroneam, & „hæreseos nota dignam in cathedris, „in pulpitis, in colloquiis traduci? ita „doctrina, quam a multis pontificibus „acriter assertam ac vindicatam hære„ditario quasi jure Ecclesia possidet, ut „ajebat doctissimus Clemens Papa VIII. „passim hodie conculcatur. Ita dog„mata, quæ inconcussa, tutissimaque „nuncupavit Alexander VII. temerario „ausu a multis impetuntur. „

Sæc. XVII. A. C. 1677.

§. LVII.

Sæc. XVII. A. C. 1677.

## §. LVII.

### *Gallici belli continuatio.*

*Hodc vie de Louis XIV. Wagner vita Leop. l. 6. Theatr. Europ. tom. 11. Gottfrid. cont. Hist. Chron. l. 9.*

Dum interea Proteſtantes Angli variis artibus & dolis Regis ſui, & Catholicorum excidium maturare feſtinant, Catholici Principes in Germania mutuis ſeſe cladibus & damnis conficere certabant, & Galli quidem in Belgio non tam ferro, quam igne pugnare videbantur; nondum enim aſperior hyems miteſcere cæperat, cum ubique Broſſii Gallici Tribuni incendiis hiberna incaleſcerent: Tabernarum Urbs jam priore anno magnam partem everſa, funditus exuritur, Hanonia, Valencenæ, Cuſſa, Doxburgum, Bipontum, ac plurimi pagi poſt immanem direptionem paſſim Gallico igne collucent. Cameracum denique victricibus Ludovici armis cedere cogitur, Carolus Lotharingiæ Dux Cæſareis copiis auctus Saravi-Ponti imminet, Gallosque, qui urbem jamjam continenti incendio deleverant, ad arcis deditionem compellit, ac præſidiarios Croatarum furori immolat, inde in Lotharingiam penetraturus, Metas contendit, aſt a Crequio viam relegere ſuosque milites in hyberna reducere coactus eſt, quæ vix ſubierat, cum Galli

ino-

inopina obsidione Friburgum munitissimam Briscoviæ urbem adorti, festinatis impressionibus deditione caperent. Tum vero Monclassius Alsatiæ Gubernator totam circum regionem ferro flammaque vastabat, Brossius autem, cum Molsheimium, Muzingam aliasque Alsatiæ civitates exurere pararet, a Cæsareis circumventus, multoque vulnere concisus, promeritas crudelitatis suæ pœnas dedit; nihilominus Lucemburgius Dux in Belgio Sitterium, Tungrim aliasque Brabantiæ urbes primo direptas postea emissis incendiariis in cineres redegit, jactitans se a Rege jussum esse, omnem regionem, quæ inter Saram, Mosellam & Rhenum porrigitur, feralibus flammis addicere. Ad tantam barbariem exhorruit ipsemet Monclasus, qui tot infelicium sortem misertus exclamabat, Parisienses Ministros absdubio a Diabolo esse obsessos, tam sæva Tyrannide debacchantes in Catholicos. Sub idem ferme tempus Philippus Aurelianensis Dux Regis Frater Audomaropolin urbem suis armis subjecit, ad turpem fugam coacto Auriaco Principe, qui obsessæ urbi suppetias ferre festinabat: non minus infausto successu idem Princeps Carloreum oppugnare aggrediebatur, a Lucemburgio obsidionem cito citius sol-

Sæc. XVII. A.C. 1677.

vero

Sæc. XVII. A. C. 1677.

vere coactus: solus Sueciæ Rex Gal-
lis fœdere junctus improspero mart
pugnabat, qui quamvis Danos terr
viciſſet, nihilominus maritima pugn
devictus claſſe ſua ab eis detrita Ma-
monenſem urbem, atque Inſulam Ru-
giam Chriſtiano Daniæ Regi, & Ste-
tinum Brandeburgico Electori ceder
compellebatur. Inter horrendos hoſt
bellorum ſtrepitus ægre audiebantu
pacis monita, quæ ſummus Pontifex
ac Leopoldus Cæſar Neomagi belliga-
tibus identidem ſuggerebant: Poſſe-
labat Imperator Imperio ac fœderati
hucusque a Gallis erepta, & Carol
Lotharingiæ Duci Barium & Lothe-
ringiam reſtitui, nec minora petebat
Daniæ Rex, Auriacus Princeps, &
Batavi: Brandeburgicus vero damn
ſibi illata reſarciri & Bremam, necnon
Pomeraniam relinqui exoptabat. Ha
propoſitiones diſplicuere Gallis, qu
ſeorſim, ut ceteros eo facilius ad ſu
vota compellerent, cum Batavis pa-
cem, & cum Anglis inducias facer
tentabant. Attamen horum molimin
evertit Templius Angliæ Legatus, cu
jus conatui mire adſpirabant diſſidi
inter Legatos ſubinde exorta; neglect
enim præcipuo pacis negotio Princ
pum Oratores Lotharingiæ Ducis, &
Fürſtenbergii Argentinenſis Epiſcop

Lega

Legatis hanc prærogativam abnegare moliebantur: inde vero ingens exorta eſt altercatio, quam importunius augebant Galli, qui a Pontificis Nuntio Anglisque pacis Conciliatoribus Guilielmum Fürſtenbergium libertati reſtitui poſtulabant: His vero Cæſaris Orator, ſe pro pace concilianda, non autem procuranda libertate privati cujusdam Principis, cujus cauſſa in foro competenti, non autem Neomagi dijudicanda eſſet, huc adventaſſe reſpondit: Hoc reſponſo exacerbati Franciæ Oratores, ut vices rependerent, Ludovicum Bevilaquam Pontificis Nuntium exagitare decreverant, arrepta occaſione ex Apoſtolicis literis, quas Pontifex ad Oratores Catholicos perſcripſerat: Objectant ergo, quod Papa duos Oratores Gallos Eſtradio primo Legato inferiores non niſi *præſtantes Viros* appellarit, ambos igitur Cæſaris Oratores viciſſim hoc duntaxat nomine compellandos eſſe poſtulant: Cavillantur inſuper, quod in diplomate, quo Nuntio plena agendi facultas fuiſſet demandata, nonniſi Cæſaris, non item Regis Chriſtianiſſimi nomen legeretur, cum tamen Paulus III. in Bulla, qua Mantuanam indixit Synodum, poſt Cæſarem Franciæ Regis nomen appoſuiſſet, Julius III. quidem illud omiſe-

Sæc. XVII. A. C. 1677.

Sæc. XVII. A. C. 1677.

rit, Regi tamen Carolo IX. desuper querenti, respondens, oblivionem obtenderit: Insuper Galli Oratores Pontificem tanquam pacis Interpretem agnoscere detrectabant, eoquod in Principum Catholicorum mandatis de Pontificia mediatione nulla fuisset facta mentio: cum vero annuente Hispaniæ Rege Imperator ad honorandas Pontificis tanquam Conciliatoris partes novum mandatum expediri jussisset, Nuntius Galliæ Legatos rogabat, quatenus & ipsi eundem honorem summo Pontifici deferre non recusarent: verum hi culpam in Austriacos Hispanosque detorserunt, caussantes, quod ipsimet suasissent, duplex diploma esse conficiendum, quorum uno cum Protestantibus (expresso nonnisi Angliæ Regis nomine) altero cum Principibus Catholicis plena agendi potestas, simulque Pontifici congrua Mediatoris elogia darentur: cunctos tamen fœderatos præsentibus Kinskio Comite Austriaco & Petro Ronquillo Hispano obstitisse, consultius igitur esse, ut confecta pace de opportunis agatur mediis, quibus salvo Angliæ Regis honore, debitus Pontificiæ mediationi decor amplior elogio reddi posset. His perceptis Apostolicus Papæ Nuntius, ne pacis negotium retardasse videretur, rem ulterius urgere

urgere deſtitit, quin propterea pacis negotium maturari poſſet, cunctis parta retinere, nihilque cedere aut reddere intentis. Sæc. XVII. A. C. 1677.

## §. LVIII.

## *Tumultus in Hiſpania.*

Eodem anno, quo Enecon Toletanus Oranienſis Gubernator Barbaros, qui iterato hanc arcem in ora Africæ ſitam obſederunt, internecina aggreſſione oppreſſos in turpem fugam conjecerat, Hiſpaniæ regnum inteſtino aulæ diſſidio concuti videbatur; cum enim, Carolo Rege per ætatem adhuc Regiminis impare, Aulæ Miniſtri propriis commodis intenti ſubditos graviſſimis oneribus premerent, alii vero Gallicæ factioni plus æquo addicti varia in Hiſpanici Regni detrimentum molirentur, Rex nova Regiæ auctoritatis adminiſtratione ſuſcepta, in eos præprimis inquiri juſſit, quos plurimorum querelæ reos notaverant: Hos inter Ferdinandus de Valenzuela Villaſerrienſis Marchio, ac primus Regni Miniſter accuſabatur, quod ſupremum ſibi imperium in Reginam, Regnumque arrogans, ad ſatiandam avaritiam ſuam præcipua Regni officia & dignitates vendidiſſet, atque immenſam auri vim *Gottfrid. Hiſt. cont. tom 3. p. 231. l. 9.*

Sæc. XVII. A. C. 1677.

inde corraſam in Eſcuriali Palatio abſcondiſſet: Alii etiam Proceres ea, quam ſub Mariæ Annæ Reginæ auſpiciis captaverant, auctoritate abuſi, damnorum, quibus Regnum imminutum erat, vel authores, vel complices audiebant: Ut ergo Rex turbatas Regni res componeret, in laboris ſubſidium ac præcipuas gubernationis curas evocabat Joannem Auſtriacum Philippi Regis Nothum, qui tamen Madritum venire recuſabat, niſi prius Regina omni adminiſtrationis cura ſeſe abdicaret, regiisque ſatellitibus exauctoratis Villaſerrienſis Marchio toto Regno excedere jubereretur. Haud cunctatus Rex Monaſterium, quo hic Marchio confugerat, militibus cingi ac demum e ſuis latebris erutum, ad Regis Palatium, & triduo poſt vinculis onuſtum ad Conſuegranam arcem deduci jubet: Querebatur violatam immunitatis Eccleſiaſticæ ſanctitatem Apoſtolicus Papæ Nuntius, qui cunctos hujus detentionis reos anathematis pœnæ ſubjecit: ipſe etiam Pontifex rem edoctus, novas cenſuras infligi juſſit, niſi Marchio ad Monaſterium, a quo vi extractus fuerat, redderetur: Rex igitur Sedis Apoſtolicæ voluntati cedendum ratus, Cardinali de Arragonia Toletano Archiepiſcopo negotium dedit, ut Marchionem immu-

nitatis

nitatis loco redditum postea Judicibus consignaret, quo facto Joannes Austriacus Madritum reversus, quosdam officio amovit, alios exilio, vel mulcta pecuniaria, alios capite plecti jussit, ac Regina Vidua Toletum secedere jussa, brevi temporis spatio Regis ærarium auro, subditos vero Regnumque omni felicitatum genere cumulavit. Rebus ita domi compositis Carolus Rex Batavos pecuniis, militumque suppetiis ad Gallos e Belgio compulsandos incitabat, necnon Villa-Hermosam Ducem hortabatur, ut Viros integritate conspicuos publicis officiis præficeret, totusque in eo esset, ut justitiam exacte coleret, ac reorum suppliciis, necnon criminum vindicta irati Dei flagella a Regno avertere satageret: Postea Rex pro more Majorum in Arragoniam se contulit, ut in Episcopali Ecclesia Procerum privilegia jurato confirmaret: ubi vero Hispanas Monterei Comitis copias in Catalonia a Gallis profligatas compererat, die trigesima Octobris edictum promulgavit, vi cujus omnes natione Galli Regno emigrare jussi sunt.

Sæc. XVII. A.C. 1677.

Sæc. XVII. A. C. 1677.

## §. LIX.

## *Franciſci Caulet Apamienſis Epiſcopi oppoſitio contra Regaliæ jus recens invectum.*

*Gallia vindic. p.* 180. *Abregé de l'Hiſt. Eccl. tom.* 10. *pag.* 431.

Recruduit hoc anno contra Regaliæ uſum mota nuper contentio, quæ ex ipſa quorumdam Franciæ Præſulum oppoſitione, ac aliorum conniventia plurimum augebatur; poſtquam enim Franciſcus Stephanus Caulet Apamienſis Epiſcopus adverſus Regaliſtas Aletenſis Epiſcopi mandatum Pariſios ad Regis Aulam delatum compererat, ipſe etiam violata immunitate Eccleſiaſtica nonnullos, & præcipue Pauccetum Diæceſis Leonenſis Presbyterum viri regalium in Diæceſis ſuæ beneficia intrudi cernens, die vigeſima ſeptima Aprilis æquale mandatum promulgari juſſit, hujus tenoris: „Tam Epiſcopalis „ipſum officium, quo, licet indigni „perfungimur, quam etiam œcumenici „nici Lugdunenſis Concilii Decretum, „cujus initium eſt: *Generali conſtitutione* „gravem nobis imponunt neceſſitatem „Eccleſiæ noſtræ jura tuendi impe„diendique, ne Regalia in eas Eccle„ſias ac Provincias irrepat, quæ huic „ſervituti nunquam obnoxiæ fuere; ide„niſi cenſuras a præfato Concilio in„tent

„tentatas incurrere, ac insuper gravi „Conscientiam nostram delicto obstrin- „gere vellemus, non potuimus ullo „pacto permittere, ut silentibus nobis, „ac turpi conniventia defixis, idem jus „Regaliæ in hanc nostram diæcesin in- „duceretur; tantoque magis, quia, „licet in hac nostra diæcesi Regaliæ „locus aliquis esse posset, quod tamen „minime concedimus, tamen ad ca- „thedralem Ecclesiam extendi haud „posset; quippe quæ ex sua institutione „regularis est ac reformata, adeoque „nisi a Deo ad Religiosum statum evo- „cati, probatique diuturno ac consueto „tyrocinio, ad nullum canonicatum aut „dignitatem aliam ejusdem Ecclesiæ „nostræ cathedralis promoveri possunt, „quod etiam Pontificio Alexandri VII. „Regisque diplomate cautum est. Ac „tandem toto trium annorum cursu, „quibus huic nostræ Ecclesiæ præfui- „mus, quamvis indigni, omnia ejus- „dem Ecclesiæ vacantia beneficia sine „contradictione, libereque contulimus. „Ex his igitur aliisque causis, utque „partibus a Deo nobis impositis deesse „ne videamur, hisce nostris præsenti- „bus literis capitulis cathedralis, & „collegiatæ Dominæ nostræ Ecclesia- „rum districte inhibemus, ne ad bene- „ficia, locumque in choro, aut capi-

Sæc. XVII. A. C. 1677.

Sæc. XVII. A. C. 1677.

„tulo recipiendum, aliasque prætactis „beneficiis annexas functiones exer„cendas hujusmodi ex titulo Regaliæ „proviſos admittere præſumant, idque „ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incur„rendæ; qua omnes illi obſtricti tenean„tur, qui quovis modo, aut quæſito „colore hujusmodi beneficiorum uſur„patores Conſilio, aut Auxilio adju„verint, aut alias eorum conatus pro„moverint. Ipſos vero ita, ut præfer„tur, titulo ac colore Regaliæ provi„ſos ac beneficiatos, ne ſe hujusmodi „beneficiis ingerant, ſub pœna excom„municationis ipſo facto incurrendæ, „æque prohibemus. Præcipimus etiam „omnibus perſonis Eccleſiaſticis, ne „ullum auxilium, conſilium ac aſſiſten„tiam ad capiendam, aut ineundam „poſſeſſionem hujusmodi uſurpatoribus „præſtent, idque ſub pœna excommu„nicationis ipſo facto incurrendæ &c.

## §. LX.

### *Epiſtola ejusdem Epiſcopi ad Regem.*

Hoc Apamienſis Epiſcopi mandatum non modo Joſephus de Monpezat Toloſanus Archiepiſcopus Metropolita die prima Septembris tanquam nullum irritumque declaravit, ſed inſuper illi, qui Regiam cauſſam tuebantur, Epiſcopum,

pum Ludovico Regi exosum reddere, variis calumniis nitebantur, simulque Joannem Franciscum Le Juge Augustinianum impellebant, ut in Apamiensi Ecclesia Cathedrali Canonicatus possessionem spreta anathematis comminatione adiret: quocirca Episcopus denuo die vigesima septima Octobris tam præfato Augustiniano, quam aliis ita provisis censuras interminavit, atque ab Tolosani Archiepiscopi sententia provocavit, eoquod ab eo lata fuisset contra Constitutionem, quæ nil nisi mera executio Lugdunensis Concilii generalis in Gallia recepti, & diplomatis Alexand. VII. Regiis literis confirmati esset: hanc vero interpositam appellationem Episcopus Archipræsuli, & Guilielmo Cezamagioni ejus Promotori, necnon prædicto Augustiniano die vigesima sexta ejusdem Mensis insinuari curabat; ut vero apud Regem innocentiam suam contra suos calumniatores vindicaret, die vigesima nona Junii ad eum sequentes dedit literas: *Persuadere conati sunt Majestati vestræ* inimici mei, *me non morari tantum, sed nec ferre eos posse, qui militiam profitentur: ac sacerdotibus sacramenti pœnitentiæ ministris in mandatis dedisse, ne quemquam, qui eam vitam amplexi essent, nec illi abnuntiassent, peccatis expiarent, facile equidem mihi esset, tam*

Sæc. XVII. A.C. 1677.

Sæc. XVII A. C. 1677. *fœdæ calumniæ diluendæ, eorum numerum recenſere, qui ex mea diœceſi ſub Auſpiciis Majeſtatis Veſtræ, aut ducum, aut gregariorum militum conditione nomen militiæ dederunt: ſed vereor, ne Majeſtatis Veſtræ patientia abutar. Poſſem etiam atteſtationes ac Chirographa exhibere quamplurium confeſſariorum ex locis, ubi miles hyberna egit, aſſeverantium, ſacramenta quamplurimis adminiſtrata eſſe, imo omnibus, modo illis rite accipiendis animum aptaverant; & ego nonnullos ſacramento confirmationis initiavi. Non potui igitur non vehementer mirari, fuiſſe ex inimicis meis, qui ut animum Majeſtatis Veſtræ a me averterent, auderent illam tam falſis juxta, & invereundis criminationibus imbuere. Num ergo ignorare Epiſcopus potui, artem vitamque militarem non ſolum innoxiam eſſe, niſi ex illa unde inquinetur, ſed etiam tuendæ ac regendæque Reipublicæ neceſſariam? quocirca aliquando cum militum nonnullis hac de cauſſa locutus ſum, id ſolum fuit, ut eos exemplo Joannis Baptiſtæ cohortarer ad innocenter militiam exercendam, ac juſſa Majeſtatis Veſtræ obſervanda, quæ a nonnullis calcata videbam, dolebamque populum variis exactionibus injuriisque vexato; adeo ut opus fuerit, in eorum nonnullos animadvertere.*

*Patietur quoque Majeſtas Veſtra, ut hac ipſa occaſione rationem ei omnium re-*

*dam*

*dam, quæ inter me & Ecclesiasticum quemdam peracta sunt, cum prætextu Regaliæ Archidiaconatu Apamiensis Ecclesiæ potiri vellet; ego illum mandato ac censuris Ecclesiasticis procul arcendum duxi; idque ut agerem, non alias plane ob caussas permotus sum, quam ut conscientiæ meæ ac juramento satisfacerem, quo, cum Episcopalem cathedram conscendi, ad Ecclesiæ meæ jura, ac libertates conservandas sancte me obstrinxi. Ecclesia Apamiensis, cujus ego curam quamvis indignus sustineam, nunquam Regaliæ subjacuit, idque non tam privilegio, Principum liberalitate accepto, quam naturali & a prima fundatione coæva libertate: qui ergo connivere ego possem, ut illa in diœcesin meam inveheretur, nisi & dignitate, qua fungor, indignum me redderem, & decretis Lugdunensis Concilii quatuor sæculorum observantia subnixis, & Regum Galliæ edictis, ac præsertim Henrici Magni, glorioseque memoriæ Ludovici Majestatis Vestræ Patris adversarer? accedit, quod novi hujus juris invectione totam eam reformationem Ecclesiæ meæ penitus everti contingeret, quam pari felicitate ac favore tum Pontificis Alexandri VII. tum Majestatis Vestræ eam Regio diplomate protegentis ad metas perduxi; nec enim sperare licet, eum, qui Archidiaconatum nuper obtinuit (primam videlicet Ecclesiæ meæ dignitatem) quique illum deinceps sequentur, eo animo*

*huc*

Sæc. XVII. A. C. 1677

*huc festinasse, ut sacræ militiæ Tyrocinium facerent, communique bonorum societate contenti, mundum ejusque cupiditates deponerent. Si ergo, qui jam Deo vocante religionem amplexi sunt, professione sua, votisque obsistere cogantur, ac certum animarum suarum adire naufragium, aliis videlicet alienisque beneficia sua, quibus sustentabuntur, relinquere, illud quoque & necessario consequeretur, ut divinis officiis Ecclesia mea destituatur; nec enim ut Majestati Vestræ suggestum fuit, ea Congregationi sanctæ Genofevæ unita est, sed suis ac particularibus statutis & legibus gubernatur.*

Ceterum Apamiensis Episcopus ejusmodi beneficiorum usurpationibus non modo Lugdunensis & Tridentinæ Synodorum prohibitionem oppofuerat, sed præcipue, quia per Alexandri VII. Bullam a Rege confirmatam sancitum esset, *ne quis, nisi post inchoatum, expletumque jussu Episcopi tyrocinium, secretamque professionem, deinceps ad Ecclesiæ Apamiensis beneficia recipiatur:* ante aliquot enim annos auctoritate Pontificia ac Regia Canonicos suos sub Regula S. Augustini abdicatis patrimoniis omnique temporalium cura ad primitivæ Ecclesiæ statum, necnon ad Regularis instituti normam revocaverat, suamque Ecclesiam reddiderat Regularem ac reformatam: Eo etiam potissimum

ex

ex capite Apamienſes Canonici Petro Pauceto die vigeſima nona Junii declararunt, quod eum ad Canonicatum Regularem admittere non poſſent. Sæc. XVII. A.C. 1677.

## §. LXI.

## *Rationes ab Archiepiſcopi Toloſani ſententia appellandi ab Apamienſi Epiſcopo allatæ.*

Die decima octava Octobris idem Epiſcopus coram Regio Notario declarabat, ſe ſententiæ ab Archiepiſcopo Toloſano pronuntiatæ haud deferre poſſe. I. Cum lata ſit non auditis nec citatis partibus, quarum intereſt. II. In ea dicatur: *Epiſcopi mandatum legibus Regni Gallici adverſari*, perinde acſi Archiepiſcopo competeret de legibus Regni, earumque transgreſſionibus judicare. III. Quia in ea contineantur multa falſa & injuria, ſcilicet Apamienſem Regi promiſiſſe, ſe juramentum fidelitatis in acta publica referendum præſtiturum dein non ſine primi & antiquiſſimi Antiſtitis contumelia referatur, quod Pauccetus Epiſcopo objecerit, male ab eo decreta Lugdunenſis Concilii fuiſſe intellecta, cenſuras ab eodem intentatas duntaxat ad concitandum populum, & Regiis legibus rebellem efficiendum ſpectare. *Gallia vind. doc. 9. pag. 185.*

IV.

Sæc. XVII. A. C. 1677. IV. Dicatur, quod Toloſanus ſit judex competens, cum tamen de Synodi Oecumenicæ obſervantia, proin de cauſſa totam Eccleſiam ſpectante agatur &c. Hujus appellationis acta Epiſcopus Romam ad Alderanum Cardinalem Cibo transmiſit, ſummi Pontificis patrocinium implorans, cui etiam idem Cardinalis die octava Decembris Roma hanc epiſtolam reſcripſit: *Accepi unacum humaniſſimis literis tuis inſtrumentum appellationis interpoſitæ a ſententia Archiepiſcopi Toloſani, in quo Sanctitas ſua non permittet, ut paterna ſua erga te, & Apoſtolicam Eccleſiam charitate quicquam diminui deſideres, ſicuti occaſione ſe dante certius cognoſces.*

Acceptis hiſce literis Epiſcopus non nihil reſpirare cæperat, æquitati cauſſæ confiſus: ab Aula tamen nil niſi moleſta ſperare poterat; quamvis enim Rex indole mitiſſimus, docilis, ac juſtitiæ tenaciſſimus eſſet, a regiis tamen Miniſtris, qui Regalium jus Regiæ poteſtati annexum cenſebant, circumventus, cunctos hujus juris executioni adverſantes tanquam de Janſenismo, novandique cupidine ſuſpectos, necnon contemptæ Majeſtatis reos habebat: Adſtipulabantur etiam Harlæus Archiepiſcopus Pariſienſis & Pater La Chaiſe Jeſuita, qui Regi a con-

confessionibus erat: utriusque autem indignationem sibi adsciverat Apamiensis, partim quod antea formulæ subscriptioni pertinaciter restiterit, partim quod Anno 1669. tres Jesuitas Apamienses publice excommunicatos declararit. Sæc. XVII. A. C. 1677.

## §. LXII.

## *Nicolai Pavillonii Alectensis Episcopi epistola ad Innocentium XI. Papam.*

Præter Episcopum Apamiensem strenuum hunc libertatis Ecclesiasticæ vindicem solus adhuc in arena stetit Venerandus senecio Nicolaus Pavillonius Alectensis Episcopus: ex ceteris enim Franciæ Episcopis nonnulli Principis gratiam quovis pretio captandi studio, præmiorum, ac proferendæ dignitatis spe, excæcati, palam Regaliæ servitutem jugumque sibi imposuerunt, alii tamen aut temporalium vel Regiæ offensionis metu territi, Regiis edictis aperte obniti recusabant, ac suis capitulis permittebant, ut Regaliæ subscriberent, potissimi vero in corde suo gemebundi dolebant, querebanturque se invitos cogi, ac propterea, ne hoc silentio suæ libertati, atque Ecclesiarum immunitati nocerent, coram Notariis & testibus suam oppositionem in tabu-

Sæc. XVII. A. C. 1677. tabulas referri curarunt. Hic eo tem- pore miſerrimus erat Gallicanæ Eccle- ſiæ ſtatus, de quo Alectenſis Epiſco- pus hoc anno die trigeſima Junii Inno- centium XI. Papam certiorem reddidit hæc perſcribens:

„Inter alias, Beatiſſime Pater, tur- „bas occaſione juris, ut vocant Rega- „liæ huic noſtræ Diæceſi invectas ad- „diſcet Sanctitas Veſtra quod jus juris „ultra antiquas metas extenſione, ab „quot abhinc annis, Narbonenſis no- „ſtræ & aliarum quatuor aut quinqu „Eccleſiaſticarum Provinciarum, & non „nullarum præterea Diæceſium nativam „& Canonicam libertatem evertere, in „dem aſſentatores moliantur. Equi- „dem cum edicto Regio hac de re pro „mulgato parere, Conſcientia proh „bente, renuerim, præcipua noſtra „Diæceſis beneficia in Regalia, ut vo „lunt, vacantia per Regium diploma „pleno jure, pulſis legitimis & pacifi „cis poſſeſſoribus, collata ſunt: quod „etiam in Apamienſi Diæceſi, & forte „aliis quibusdam, ſicubi Epiſcopi non „paruere edicto, factum eſt. Cum au- „tem, Beatiſſime Pater, ex decreto „Concilii generalis Lugdunenſis ſecundi „quod incipit, generali conſtitutione „& pro ſolemni ſacramento a me in „Epiſcopali conſecratione præſtito jura „&

„& libertates Ecclesiæ mihi commissæ Sæc. XVII.
„per censuras Ecclesiasticas tueri vel- A. C. 1677.
„lem; eo res addacta est, ut duorum
„Ecclesiæ cathedralis Canonicorum e
„familiaribus nostris, Archidiaconi sci-
„licet, & Promotoris, indicta per si-
„gilli Regii literas relegatione, uno
„abhinc anno mulctatus fuerim. Et
„ecce mihi hanc epistolam meditanti,
„& pro manibus habenti nova advenit
„mulcta, nova orbitas, dum simili jus-
„sione longe amandatur Canonicus no-
„ster Theologus, quem in priorum lo-
„cum suffeceram, & in ministerii Epi-
„scopalis subsidium lateri meo adscive-
„ram. Imo & mihi eadem sors jam
„hinc a priore anno impendebat, ad-
„versariis Ecclesiæ Regiam Authorita-
„tem ad id enixe sollicitantibus, nisi
„eorum consilium nativa sua æquitate
„& moderatione Christianissimus Rex
„posthabuisset. Sed de hoc quantum-
„cunque gravi negotio plura Sanctitati
„Vestræ proloqui supersedeo, tum ne
„longiori privatæ calamitatis queri-
„monia molestus fiam, tum quia hu-
„jus vexationis adhuc vigentis acta a
„nobis transmissa, quo pacto res tota
„gesta sit, declarabunt.„

. . . . En Beatissime Pater, Eccle-
„siæ Gallicanæ vario morborum genere
„laborantis status brevi Sanctitatis

Sæc. XVII. A. C. 1677.

„Veſtræ oculis delineatus, ſolet quidem ægrotantium dolor multas medendi artes excogitare, ſed non omnes æque commodas & utiles, unde ſatius erit, pateſactis jam noſtris vulneribus totos nos Apoſtolicæ Veſtræ charitati & prudentiæ committere, niſi forte etiam noſtros ea de re ſenſus cognoſcere Veſtra Sanctitas opportunum duxerit. Certe fauſta omnia a Veſtra Beatitudine exſpectamus, maxime pro tuendis divinæ gratiæ dogmatibus, pro ſtabiliendis Ethicæ Chriſtianæ regulis, pro ſancienda veteri, & canonica Eccleſiarum libertate. Hæret enim cordi ejus impreſſa hæc unius ex ſuis deceſſoribus Sententia: *Optamus, ſi fieri poteſt, in diebus noſtris Apoſtolicam fidem, & Ecclæſiæ regulas cum ſubjectis nobis populis cuſtodire, & omnem novam doctrinam ſpire.* Equidem Beatiſſime Pater, eo ætatis profectus ſum, ut hæc, antequam moriar, in Eccleſia videndi vix ſpes ſuperſit: peregrinationis tamen meæ curſum jam majori cum alacritate, Pontificatus Veſtri ſpecie recreatus & confirmatus proſequar; quæ & quanta in Eccleſiam univerſam bona ſanctitatis Veſtræ opera diffundenda ſint, animo proſpiciens.„

Ejus-

Ejusdem Menſis die vigeſima octava Sæc. XVII.
idem Epiſcopus ad Ludovicum Regem A.C 1677.
literas dedit, in quibus decretum ſuum, quod officii ſui inſtituto compulſus ediderat, pluribus allatis rationibus vindicare nitebatur.

## §. LXIII.

## *Innocentii XI. Pontificis reſponſum ad Alectenſis Epiſcopi literas.*

Ad haſce Alectenſis Epiſcopi literas Innocentius XI. ſummus Pontifex die decima nona Septembris hæc reſpondit: „Suſceptam a nobis de paſto„rali in Alectenſi Eccleſia regenda, ac „Eccleſiaſtica Diſciplina inſtauranda „Fraternitatis tuæ zelo opinionem mi„rifice confirmarunt literæ, quas tri„geſima Julii ad nos dediſti. lis enim „refertæ ſunt cum pii tum vigilantis „animi ſenſibus, ut nullum nobis de „eo dubitandi locum relinquant. Pro „comperto autem te habere volumus, „religioſis ſtudiis tuis conſtanti Nos „præſidio atque Authoritate affuturos, „libenterque occaſiones omnes ample„xuros, ex quibus propenſam erga te „voluntatem Noſtram agnoſcere valeas. „Quod attinet ad ea, quæ fuſe nobis „tum per literas, tum per earum ex„hibitorem ſignificaſti, tanti profecto

Sæc. XVII. A. C. 1677.

„momenti sunt, iisque implicata difficultatibus, ut diligenti & matura discussione prorsus indigeant. Pro meneris itaque Nostri debito accurate eadem examinari mandabimus, illudque super his consilium capiemus, quod in Domino expedire judicaverimus. Assiduis interim apud supremum Patrem luminum juvari precibus vehementer a te petimus, dum nostræ dilectionis Nostræ pignus Fraternitati tuæ Apostolicam benedictionem peramanter impertimur„

## §. LXIV.

## *Archiepiscopi Narbonensis sententia contra Alectensis Episcopi mandatum.*

Interea vero Petrus Cardinalis de Bonzi Archiepiscopus Narbonensis ac Metropolita unacum Domino du Mas suo Officiali Alectensis mandatum seu Constitutionem velut sacris Canonibus, Regnique legibus ab Ecclesia Gallicana hactenus servatis & quieti conscientiarum, ac Hierarchicæ disciplinæ contrariam, necnon censuras in eadem Constitutione latas omnino irritas, nullasque declaravit, ipsique Episcopo interminatis pœnis Canonicis, ne deinceps ejusmodi Constitutiones pro mul-

mulget, inhibuit, ac sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ vetuit, ne Canonici, aliique Ecclesiastici præfatæ sententiæ executionem præpedirent. Adversus hanc Archiepiscopi sententiam Alectensis coram publico Notario reclamabat, questus, quod Cardinalis ad rationes, ob quas Episcopus suum mandatum promulgavit, nequidem respondere dignatus sit, postea vitia, quibus hujus Officialis sententia scateret, carpens, objicit I. quod hic se ex delegata potestate id facere testetur, cum tamen Vicarius Generalis sit Judex ordinarius. II. Ipse tanquam unicus & solus Presbyter nulli alteri Episcopo junctus, Episcopum dijudicare, ejusque Constitutiones irritas declarare præsumpserit, sique id liceret, posset etiam Episcopus a Diaconis ab Episcopo delegatis exauctorari, nullibi autem ostendi valeat, quod Officialis Archiepiscopalis de Episcoporum Constitutionibus judicandi jus habeat, cum nequidem Archiepiscopo potestas sit, ut solus caussa non cognita, nec auditis partibus de Episcopi Constitutione extra Synodum & casus in jure allegatos judicet. III. Queritur Episcopus, quod Officialis Regni leges in Ecclesia Gallica observatas ab Alectensi violatas afferat, cum tamen Regis declara-

Sæc. XVII. A. C. 1677. ratio circa Regaliam ab Ecclesia non r recepta, hæc autem lex in tota Eccle- sia recepta sit, quod Episcopus in ma- nifestos Concilii Oecumenici transgres- sores etiam excommunicationem a ipso Concilio indictam denuntiare va leat. IV. Quod officialis sine ullo fun- damento asserat, *Regaliæ negotium fuis a Judicibus competentibus jam judicatu decisumque*, cum tamen hoc jus benef cia conferendi Regibus aquiri non po sit, nisi aut expresso privilegio in Synod Oecumenica concesso, aut perpetua & immemoriali possessione: neutrum au tem in hoc casu occurrat. V. Quo perperam dixerit, Clerum Gallicanu hac in re Regii Senatus jurisdictione agnovisse, cum id falsum sit de illim tato Regaliæ jure, sed duntaxat verum sit de particularibus quorumdam con troversiis. Quod minus apte inferat quia Vicarius Generalis Ecclesiastico in Curia Romana provisos & ab Episcop rejectos admittere potest, etiam Epi scopi Constitutionem, Episcopo no citato damnare valeat; nam Eccles sticos ita admittendo non de potestat Pontificis eos nominantis vel de ju conferendi judicat, sed duntaxat de pr visi qualitatibus Personalibus: un hujusmodi Vicarii sententia nec leg vim habeat, nec ullum Pontificiæ pot fit.

ſtati præjudicium pariat: in hoc autem caſu Officialis ſibi poteſtatem attribueret, coram ſuo tribunali, ne vocatis quidem Epiſcopis decidendi, an tota Provincia omnibus retro annis exempta Regaliæ ſubjaceat, &c. Sæc. XVII. A. C. 1677.

Hanc ergo appellationem ſuam Epiſcopus etiam ad ſummum Pontificem & Sedem Apoſtolicam die duodecima Novembris interpoſuit, ſimulque famulum ſuum Narbonam decrevit, ut appellationis factæ declarationem Officiali inſinuaret, cum autem hic idem famulus Narbonæ in carceres fuiſſet conjectus, & Epiſcopus ob valetudinem lecto affixus actum appellationis expedire haud poſſet, Stephano Durando negotium dedit, ut ipſe ejus nomine contra Officialis mandatum, illatamque famulo violentiam reclamaret, quam etiam appellationem Epiſcopus eadem die ratam habuit, eamque ſuo Clero jam antea die vigeſima tertia Octobris inſinuavit, data ad eos ſequenti epiſtola encyclica: „Nullus du„bito, ſententiam Vicarii, & Officialis „Narbonenſis tanta cura, ſtudioque „ubique locarum vulgatam, & qua bina „a me edita mandata evertere conatur, „in manus Veſtras deveniſſe. Enim„vero perſuaſum ego habeo, eodem „temporis momento, quo illam rece-

Sæc. XVII. A. C. 1677.

„pistis, una etiam recordatos vos esse, „quanta mihi incumberet necessitas, „jura libertatesque Ecclesiæ meæ, ac „dignitatem Episcopalem, quæ in hac „causa æque periclitantur, impigre „tuendi. Id ego conatus sum efficere „constitutione, quam hisce meis anne„xam legetis, & ex qua facile colli„gere licebit, non unius tantum, sed „communem, omniumque hujus Pro„vinciæ Ecclesiarum causam, ac peri„culum verti. Vos ergo, uti spero, „nec partibus Vestris defuturi estis, nec „omittetis in Vestris quisque Diæcesi„bus ea omnia curare, quæ huic senten„tiæ remorandæ, ejusque effectui su„spendendo necessaria fuerint. Tan„tum id agite, ut sociatis junctisque „viribus communem causam amplexa„mini, Vosque Dignitatem Authorita„temque nostram oppugnantibus face„dotali libertate occuratis, & quod „hactenus nimia forte indulgentia pec„catum est, pari zelo, oblataque oc„casione obliteretis.„

## §. LXV.

### *Alectensis literæ ad Innocentium XI Papam & Ludovicum Franciæ Regem.*

Cum

Cum Alectensis Episcopus vitæ suæ finem appropinquare præsentisceret, suæ famæ, honori ac saluti consulturus, de impacta Jansenismi calumnia, sese coram summo Pontifice purgare decreverat: Hanc ergo in rem die vigesima quinta Octobris sequentes ad eundem dedit literas: In hac confectæ „ætatis & affectionis paraliticæ sini„stram corporis partem occupantis in„valescente ægritudine, arctissimam „meam cum Apostolica Sede commu„nionem, & singularem erga Pontifi„catum Sanctitatis Vestræ Reverentiam „& devotionem hoc monimento testa„tam volui: simul & extrema Eccle„siæ mihi commissæ amoris officia ex„hibere satagens ad Authoritatem & „tutelam Vestram, qua maxime modo „indigeo, confugio. Nativam illius & „perpetuam Regaliæ jure immunitatem, „quæ illi cum tota Provincia Eccleslia„stica Narbonensi & aliis quibusdam „communis est, juxta Concilii gene„ralis Lugdunensis constitutionem pro „parte mea hucusque tuitus sum. At „eam novo & insolito Regaliæ juri post „discessum meum jam instantem peni„tus subjectum iri prospicio, nisi in„tercessione summæ Vestræ Authorita„tis apud Christianissimum Regem ab „ejusmodi jugo vindicetur. Quare hoc

Sæc. XVII. A. C. 1677.

Sæc. XVII. A. C. 1677.

„unum reſtat Beatiſſime Pater, utipſa
„in eadem libertate & immunitat
„cum qua quadraginta abhinc ann
„eam ſuſcepi, Beatitudini Veſtræ c
„ſtodiendam commendem. Eſt &
„liud grave mihi Beatiſſime Pate
„quippe quod meæ cum Apoſtolica ſe
„communioni umbram aliquam offu
„dere videatur, Cenſura ſcilicet a R
„manis inquiſitoribus Rituali libro, q
„a me ad uſum noſtræ Diæceſis edit
„eſt, inuſta. Libri illius a plurimis
„cet fratribus coepiſcopis ſolemni a
„probatione laudati, novum exam
„ſubire non detrecto, imo peropto:
„modo Sanctitas Veſtra per ſe pro ſ
„benignitate oculos, & animum a
„vertere dignata fuerit. Quidquid
„eo emendandum pro ſua ſapient
„duxerit, hoc pro Reverentia mea
„mendandum duco. Ac priſtinum i
„quiſitorum judicium acerbum nim
„& injurioſum eo magis deprecor, qu
„pleraque Ethicæ Chriſtianæ dogma
„tanquam ſub generali Ritualis noſt
„cenſura damnata, a viris illuſoribus
„qui ſupra populum, juxta prophetam
„dominantur, paſſim traduci dole
„Hanc labem a me, hanc a ſanctiſſim
„dogmatibus fraudem & calumniam
„ut amoliatur Sanctitas Veſtra, ult
„mum obſecro, & ſupplico. Itaqu
„vot

*Vid. ſupra l. 205. p. 292.*

„votorum tum hujus, tum ſuperioris „Epiſtolæ ſumma in ſinu Sanctitatis „Veſtræ repoſita, mortem exſpecto, „Apoſtolica Veſtra benedictione jam „mihi conceſſa munitus, & neceſſario „maxime precum Veſtrarum præſidio „apud ſummum judicem adjuvandus.„ Sæc. XVII. A. C. 1677.

Eadem quoque die idem Epiſcopus offenſam, ſi quam irrogaſſet, deprecaturus hanc ad Ludovicum Regem epiſtolam perſcripſit: „Mihi ultima vitæ „meæ momenta numeranti, & quid fa„ciendum ſuperſit, ut Divino tribunali „ſecurus ſiſtar, animo repetenti, oc„currit illa Chriſti Domini Noſtri ſen„tentia, qua jubemur: *priusquam Sa„crificium ad altare offeramus, fratri noſtro, „qui aliquid adverſum nos habet, recon„ciliari.* Cum ergo jam tempus acce„dat, ultimum ſacrificium, hoc eſt, „vitam meam Deo immolandi, cre„didi, neceſſitatem mihi præcipue in„cumbere, placandi animum Majeſta„tis Veſtræ, quam ab aliquo jam tem„pore, ob ea, quæ circa Regaliam „contigere, offenſam mihi averſamque „experior; tamen poſſum Majeſtati Ve„ſtræ aſſeverare, me ſemper eo ſenſu, „animoque fuiſſe, quæ fideliſſimum ſub„ditum decet; quantumvis Rega„liam quod attinet, officii ac dignitatis „meæ ratio eo impulerit, ut cogerer „ali-

Sæc. XVII. A. C. 1677.

„aliqua facere, voluntati, ac manda-
„tis Majestatis Vestræ minus, quam
„cuperem accepta, & tamen idipsum
„per literas meas ausus sum eidem si-
„gnificare, idque ea libertate, quæ Epi-
„scopos decet, sacrorum jurium depo-
„sitarios: ut nunc quoque in hoc vitæ
„mortisque meæ confinio Majestati Ve-
„stræ profitear, me nihil aliud egisse,
„quam quod crederem, Conscientiæ ac
„officio meo deberi; idque unicum esse
„dolori meo solatium, in quo spero,
„Deum non esse mihi eam indignatio-
„nem adscripturum, quam in pectore
„Majestatis Vestræ dolens mærensque
„experior; nec ideo tamen has ultimas
„obligationis meæ partes explere om-
„mittam, simulque hanc ultimam a
„Majestate Vestra gratiam expetere,
„dignetur tribus illis ex familia mea
„Ecclesiasticis personis, ejusque man-
„dato proscriptis veniam clementer im-
„pertiri, quippe nullius culpæ reis,
„quam quod Episcopi, legitimi superio-
„ris sui, quemque divinæ voluntatis
„interpretem agnoscebant, præceptis
„obediverint. Non diffido, si modo
„Majestati Vestræ placuerit id secum
„reputare, veniam merituros ac præ-
„sentibus angustiis, quibus conflictan-
„tur, ereptum iri. Impleat Deus Ma-
„jestatem Vestram cælestibus suis bene-
„ficiis,

„ficiis, eamque ad amussim divini sui „cordis ac voluntatis Regem efficiat. „ Sæc. XVII. A. C. 1677.

## §. LXVI.

## *Nicolaus Pavillonius Alectensis Episcopus vita functus.*

His Episcopi literis Ludovicus Rex ad miserationem permotus, quorumdam adulatorum, qui Episcopum ad revocandum suum mandatum exilio, ac temporalium bonorum jactura adigi suaserunt, consiliis nullo pacto acquiescere voluit, potius Tellieri, ejusque Filii Rhemensis Archiepiscopi monita secutus, qui Regi Authores erant, ut senio ac virtutibus venerando huic Antistiti vitæ suæ finem in tranquilla pace indulgere velit. Enimvero hic die octava Decembris anno ætatis suæ octogesimo pie in Domino obiit: Præsul erat morum probitate, vigilantia, prudentia, religionis zelo, doctrina, rerum usu & experientia longe præstantissimus, tamque sinceræ, puræque mentis, ut Clero suo disciplinæ, & gregi virtutis simulacrum esset, incertumque relinqueret, an eruditione, vel sanctitate emineret: Præter plurimos, quos suo exemplo, ac sermonibus Divina sancti Spiritus unctione plenis e vitiorum cæno ad sanctioris vitæ

*La Croix du Maim. Bibl. Franc. San. Marth. Gall. Christ.*

Sæc. XVII. A. C. 1677.

vitæ ſemitam reduxerat, præcipuus erat Princeps Contius, qui ab eodem Epiſcopo ad Chriſtiani hominis officium feliciter redigebatur. Immerito autem Pavillonius Janſenismi a quibusdam poſtulabatur; ſemper enim damnatas Janſenii propoſitiones ex animo deteſtatus eſt, quod autem quæſtioni facti ſubſcribere tergiverſatus fuerit, id firmæ æquitatis perſuaſioni, non depravatæ voluntati, aut cognitum errorem defendendi ſtudio tribuendum, quod ex ipſa ejus integritate elucet; cum enim Bellovacenſis & Andegavenſis Epiſcopi ſuis mandatis, in quibus circa quæſtionem facti duntaxat ſilentium obſequioſum ſpondebant, epiſtolam, in qua plenam & ſinceram ſubmiſſionem ſine limitatione polliciti ſunt, Pontifici ſubmittendam exhiberent, Alectenſis huic epiſtolæ ſubſcribere renuit, aſſerens, in hac quoque epiſtola ſummo Pontifici diſertis verbis eſſe declaranda, quæ in mandatis eorum continentur, non enim ajebat Pontifici reticendum, quod in noſtra doctrina in mandatis expreſſa firmi perſiſtamus: nec etiam, ut his literis ſuum chirographum apponeret, ullo pacto adduci potuiſſet, niſi Senonenſis Archiepiſcopus die vigeſima octava Auguſti Anno 1668. eidem fidem feciſſet, quod *hic idem pacem* con-

*conciliandi modus a Papa, Rege, Pontificis Nuntio, Aulæ Ministris, ceterisque Episcopis fuisset approbatus, ut hac ratione Romanæ Curiæ cavillis satisfieret, quin tamen veritas ac Christiana sinceritas læderetur.* Scripsit Pavillonius egregium tractatum de fide humana. Sæc. XVII. A.C. 1677.

## §. LXVII.

## *Bernardi Gustavi Marchionis Durlacensis Cardinalis obitus.*

Inter Purpuratos hunc annum emortualem habuit Gustavus Adolphus Marchio Durlacensis Caroli Friderici Ducis & Eleonoræ Solmensis Comitissæ Filius. Hic anno Christi millesimo sexcentesimo trigesimo primo die decima quarta Decembris natus, Lutheri sectam paternæ educationis vitio imbiberat: Adolescens literis probe excultus varias peragrabat regiones, ac demum militiam profanam professus, primo sub Venetorum signis contra Turcas, & postea Suecici Regis stipendia merens, in Polonos motis expeditionibus bellicis interfuit, ac demum Morunganæ arci Borussicæ Gubernator aliquamdiu præfuit: Dudum haud tenuis de sectæ suæ veritate scrupulus ejus animum cruciabat, tandem ex crebra sacri Codicis, ac sanctorum Patrum *Imhoff Not. Princ. l. 4. c. 8. §. 33.*

Sæc. XVII. A. C. 1677.

trum lectione, frequentique cum Catholicis colloquio ac concertatione leculenter deprehendit, quod Lutheranhaud magis certa, quam quivis alte e Novatoribus, vocatione munitus novdogmata juxta ſuum aliorumque beneplacitum, & non raro ſuis æmulis contradicendi pruritum procuderit, aſibimetipſi ſæpiſſime adverſatus fuerit igitur nebulas & mendacia, quibus Catholicam religionem a ſuis Prædicantibus unice impugnari cognoverat, dicutere, atque ad veritatis lucem properare feſtinabat: opportune ad Hemolsheimenſe Monaſterium prope Molsheimium in Alſatia anno hujus ſæculſexageſimo divertit, ubi pluribus probe inſtructus clam fidem Catholicaprofeſſus, Argentinenſem Canonicatum, quem pacis Weſtphalicæ beneficio obtinuerat, dimiſit, inde vero Rmam profectus, tertio poſt anno ſolemni ejuratione ad Romanæ Eccleſiegremium confugit: Poſtea ſub Leopoldo Cæſare ſigna ſecutus, in prælcontra Turcas apud montem S. Gotardi luculenta fortitudinis ac militarexperientiæ ſpecimina edidit, ac glorioſo vulnere inclaruit: miſerentis verDei benignitate impulſus, relictis ſæcucaſtris anno hujus ſæculi ſexageſimoctavo ſub regula ſancti Benedicti vo

sua solemni ritu Deo nuncupavit, assumptoque Bernardi Gustavi nomine post plurima virtutum exempla tertio post anno in Fuldensem Abbatem, & biennio post in Campidunensem Principem assumptus est. Meritorum fama demum ad Clementis X. Papæ aures personante, ab eodem anno Christi millesimo sexcentesimo septuagesimo etiam Romana Purpura decoratus est. Tandem vero, cum ad Hammelburgensem arcem contenderet, in itinere periculoso morbo correptus, paulopost die vigesima sexta Decembris anno ætatis suæ quadragesimo sexto meritis plenus pie in Domino obiit: Successorem habuit in Fuldensi Abbatia Placidum de Drost ex nobili apud Westphalos genere prognatum. Sæc. XVII. A. C. 1677.

## §. LXVIII.

## *Julii Gabrielii Cardinalis decessus.*

Eodem fato sublatus est Julius Gabriellius patria Romanus, qui a piissimis parentibus liberaliter educatus, ac scientiis politioribus apprime excultus coram Gregorio XV. elegantissimam orationem habuit, & ab Urbano VIII. Cameræ Apostolicæ Clericis adscriptus anno hujus sæculi quadragesimo primo ab eodem Cardinalis, & sequenti anno

*Palat. Fast. Card. t. 4. Cornar. relat. de la Cour de Rom. p. 74. Purpur. doct. suppl. Eggs. Ciacon. in vita Urban. VIII.*

Sæc. XVII. A. C. 1677. Aſculanus Epiſcopus renuntiabatur, ad quam etiam Eccleſiam, ut Barberinorum indignationem declinaret, relicta Roma ſeceſſit, moxque Urbini Legatione defunctus rediit: Perperam ac maledico ore fidei noſtræ hoſtes eidem affingunt, quod populum Urbinatenſem hujus Provinciæ Epiſcopus a Clemente IX. creatus graviſſimis exactionibus ad ſublevandam extremam ſuam paupertatem exhauſiſſet, atque ad ſeditionem concitaſſet: præterquam enim quod hic Cardinalis familiæ ſuæ divitiis, atque Eccleſiarum proventibus abundaret, paſſim ab omnibus vitæ ſuæ ſcriptoribus præcipue commendatur, quod ſuas facultates in pauperes & pia legata largiter effuderit, ac uni Deo & conſcientiæ ſuæ addictiſſimus ſuperfluum luxum abhorruerit, necnon Clerum, Paſtores & ſuæ Diæceſis oves ſalutaribus decretis, verbo, & exemplo tam efficaciter paverit, ut Synodales ejus Conſtitutiones tam in Aſculana, quam Urbinatenſi & Reatina Eccleſiis, quas ſubinde moderabatur, hodiedum obſerventur. Celebratur quoque ab omnibus ob miram morum comitatem, atque integritatem, ſolertiam, & prudentiam: tandem vero die decima ſexta Maij Romæ placidiſſime obiit annos natus ſeptuaginta quatuor. §. LXIX.

Sæc. XVII.
A. C. 1677.

## §. LXIX.

## *Paschalis de Aragonia Cardinalis extrema.*

Hoc item anno die decima Septembris Toleti in Hispania supremum diem obiit Paschalis de Aragonia Cardonæ Ducis Filius. Hic a puero sedulam humanioribus literis operam navabat, adultior autem factus in Salmanticensi Universitate emenso omnium ferme scientiarum stadio Doctoratus Lauream, & Toletanæ Ecclesiæ Canonicatum promeritus est, raroque tanti Principis exemplo publice in præfata Academia Jurisprudentiæ Professorem egit: inde ad sacræ Inquisitionis, & postea Aragonici imperii Senatum evocatus, non tam ad Philippi IV. Hispaniarum Regis preces, quam ad proprii meriti famam ab Alexandro VII. sacro Purpuratorum Collegio annumeratus est. Postea ex Hispania Romam profectus, ibidem Regis negotia procurabat, ab eodem vero Pro-Rex creatus, Neapolitanum Regnum sapientissime regebat: Mortuo autem Philippo Rege a Regina Vidua primo Quæsitor, postea Archiepiscopus Toletanus renuntiatur, ubi commissi sibi gregis forma factus cunctas vigilantissimi optimique

*Eggs Purp. doct. l. 6. Ciacon. in vita Alexand. VII.*

Sæc. XVII. A. C. 1677.

mique Paſtoris partes explevit, col lapſa reſtauravit, eliſa ſolidavit, infir ma curavit, confracta refecit, abjecta que reduxit, & ne ab ejusmodi sacra curis præpediretur, publicæ Quæſtu ris munere ultro ſe abdicavit.

## §. LXX.

## *Synodi Tornacenſis decreta.*

*Concil. Germ. t. 10. pag. 54.*

Indixerat hoc anno ad diem primam Junii Gilbertus de Choiſeul Torna cenſis Epiſcopus Synodum Diæceſa nam, in cujus auſpiciis levis erat con tentio circa Sedis prærogativam inte Abbates S. Martini & S. Nicolai d Pratis, ubi tamen mox deciſum, u ſine alterutrius præjudicio tum Abba S. Martini priorem locum occupare His amice compoſitis inter cetera præ cipue ſancitum, ne ullus Parochus i denuntiationibus diſpenſationem peten audeat, niſi conſtet de Parentum con ſenſu, pariter declaratum eorum ma trimonia eſſe nulla, qui duntaxat pro prium Parochum declinaturi in alien Diæceſi contrahunt ſtatim reverſur inculcatum pariter omnibus Clericis ne ſe condendis vel exequendis La corum teſtamentis ingerant, cum fecu non raro ſeſe non ſine Eccleſiæ dede core Laico tribunali ſiſtere cogantur

dec

denique ob abrogata quædam Sancto- Sæc. XVII.
rum festa novum Calendarium confici A. C. 1677.
jussum est. Porro Monasterienſis etiam Episcopus die octava Octobris Synodum celebravit, in qua tamen nonnisi priorum Synodorum decreta fuere innovata.

## §. LXXI.

## *Diversæ Sacrarum Congregationum decisiones.*

Petente Ludovico XIV. Galliarum Rege summus Pontifex hoc anno ab Archiepiscopatu Bituricensi sex Episcopatus segregavit, atque ex illis novum constituit Archiepiscopatum Albiensem: Ejusdem quoque Pontificis jussu sacra Rota die octava Februarii decidit, Regularibus duntaxat prohibitum esse facere Processiones extra eorum Ecclesias, illarumque ambitum, ceteras autem processiones dirigere ad Episcopum pertinere, consulto tamen Capitulo majoris Ecclesiæ, a qua processiones in festo Corporis Christi incipi & terminari deberent, in eodem autem festo Missam Conventualem, absente Episcopo celebrandam esse per digniorem de Capitulo ejus Ecclesiæ, in qua dies festus celebratur, & sic in Collegiata, in qua incipit & desinit

*Decis. S. Rotæ Congr. Congr. Concil. Rit. Episc. &c.*

Sæc. XVII A. C. 1677.

ipsa Processio. Præterea die vigesim tertia ejusdem Mensis Pontifex præc pit, ut festum S. Augustini in omnib Hispaniæ Regnis semper de præcep servetur: quarto autem post die fac Concilii Congregatio decidit, quod n Pœnitentiarius, nec Theologus pos Commissarium ad quamcunque causs particularem deputare. Sacra etia Rituum Congregatio die decima sex Junii declaravit, quod Coadjutor C nonicus habeat verum honorem in veros Canonicos, & ideo Canonici t neantur ministrare eidem, sicut ve Canonico: decisum quoque habetu quod nova consecratio sit adhibend quando Ecclesia in majori parte devastata.

## §. LXXII.

## *Scriptorum Ecclesiasticorum decess & opera.*

*Du Pin nouv. Bibl. des Auth. Siecl. XVII. Erhard Script. Ord. Præd. t. 2.*

EX Scriptoribus Ecclesiasticis hoc a no denatis primo celebratur Joa nes Lucidus Palumbaria patria Rom nus Pisaurensis Episcopus, qui præt Mathematica posteris reliquit Synodu suam Pisaurensem, & sermonem p festo Pentecostes. II. Jacobus Sai beveus Sorbonæ Doctor, qui Jansen propositiones, priusquam ab Innoc. fuisse

fuissent damnatæ, palam propugnabat, & postea formulæ subscribebat. cum autem censuræ contra secundam Arnaldi epistolam pronuntiatæ calculum suum adjicere renueret, Professoris Sorbonici officio amotus ab omnibus publicis curis segregatam duxit vitam, donec die decima quinta Decembris, apoplexia tactus anno ætatis suæ sexagesimo quarto decederet. Edidit ejus frater tres posthumos tomos de disciplina, Sacramentorum administratione, veteribus consuetudinibus, donationibus & contractibus & Simonia præter Galliæ Ecclesiarum breviaria & ritualia &c. & tractatum de confirmatione & extrema unctione contra Dalæum. III. Augustinus Carmelli Ord. FF. Præd. scripsit vitam S. Hieronymi, & Augustini & aliorum, Catenam in Job, Monita Prælatorum, Principem Catholicum, & sacra Cantica. IV. Petrus Godoy ejusdem Instituti, qui quinque tomos disputationum Theologicarum Oxomensibus literis excudi curavit, quas tamen Paulus a Conceptione Hispanus Carmelita excalceatus solide confutavit. V. Petrus Maria Passerinus de Sextula ex eodem Ordine, publici juris fecit tractatus de electione Canonica, inspectiones morales de hominum statibus & officiis, commen-

Sæc. XVII. A.C. 1677.

Sæc. XVII. A. C. 1677. taria in libros Decretalium, tractatu de Indulgentiis, de Sacramentis, I carnatione & Eucharistia, præter Regulare Tribunal. VI. Joannes Bisselius S. J. edidit præter poetica Decades IV. Illustrium ruinarum, Medullam historicam, Leonem Galleatum, digitum Dei, Argonauticon Americanum, Palæstinæ Topothesiam &c. VII. Albertus Koialowicz itidem Socius, scripsit colloquia de sincero usu S. Scripturæ, & de dissidiis inter Catholicos & Calvinistas, instructionem circa casus reservatos, elogia Imperatorum e Domo Austriaca, Historiam Lithuaniam præter alia. VIII. Franciscus a Jesu Maria Carmelita Discalceatus elucubravit commentarium in Apocalypsin, tractatum de sensibus S. Scripturæ, tomum primum Cursus Theologiæ moralis Salmanticensis de Sacramentis &c. præter incentiva animæ fidelis ad amorem. IX. Antonius a Spiritu sancto Angolæ Episcopus ex eodem Ordine edidit tres tomos de Sacramentis, censuris & privilegiis Regularium præter consulta varia & directorium Theologiæ mysticæ. X. Franciscus Bonæ spei Carmelita elucubravit sex tomos in universam Theologiam, noctuam Belgicam contra Aquilam Germanicam Caramuelis, disputationem

tationem apologeticam de ignorantia invincibili & opinionum probabilitate, Eliæ visionem de Conceptione B. V. Christianum monitum contra Christianum Lupum, Causſam Christorum Dei pro Joanne XL IV. Patriarcha Hierosolymitano adversus eundem, Parochiale Apologeticum contra Parochophylum, Christi Fidelium contritionale, Clypeum contritionis, Examen Theologicum instructionis Vam-Buscensis Romæ damnatæ, Lupum captum, Luctam D. Thomæ, Motivum juris pro excusatione Mendicantium a gabellis &c. præter suum Armamentarium. Sæc. XVII. A. C. 1677.

## §. LXXIII.

## *Scriptorum Acatholicorum lucubrationes & obitus.*

Paucos ex Scriptoribus Acatholicis adjungere lubet, & primo quidem apud suos eminuit Christophorus Bulæus, qui censuram Historiæ a Joanne Hofero de suo ad Catholicos transitu scriptæ, Lusus Afranos, Cunam Christi, Mensas Atticas aliaque edidit. II. Daniel Ludeman scripsit sermonem Irenicum pro pace Germaniæ, descriptionem Historicam B. Virginis Margarethæ, & tractatum de extremo Judi- *Freher theatr. Erud. Mem. Carol. p. 180.*

Sæc. XVII. A. C. 1677.

cio. III. Ludovicus Jacobi typis vu gavit tractatum de Jeremiæ Proph. vo catione, fidei confessione in Messiam & ejusdem Auditoribus, scripsit etian de schola Regia Nathanaelis & de ab usu cometarum. IV. Petrus Aurivi lius elucubravit Hypothypesin doctrinæ Papisticæ de merito operum, & di sputationes de igne, de una anima, de bono Principe, & Epicuri voluptate. V. Christianus Ravius posteris reliqui versionem novam in Caput IV. Geneseos concordantiarum Hebr. & Chald. epi tomen, Catalogum MS. Orientalium, Chronologiam Biblicam, Catenam magneticam annorum Mundi, disputa tiones de vindicta & de plenitudine ad ventuali Jesu Christi in carnem. VI. Guilielmus Lucii prælo subjecit censu ras in Hobbesii Leviathan, & quæ dam Socinianorum & hæreticorum sen tentias, præter tractatum de natura Ministri Divini. VII. Joannes Con radus Dürrius, scripsit institutiones Ethicas, problemata moralia, Chri stianismi eversionem per dogmata So cinianorum, compendium Theologiæ moralis, & centuriam problematum moralium. VIII. Bonifacius Höltzlin edidit Praxin Biblico - Catecheticam, libellum de Turcarum origine, præter alios exigui momenti libellos. IX. Gui liel-

lielmus Momma, qui ob Cocceianas novitates ſuo officio amotus poſteris reliquit Oeconomiam temporum, prælectiones Theologicas, explicationem epiſtolæ D. Pauli ad Galatas & Romanos, & meditationes in Catecheſin Heidelbergenſem. Sæc. XVII. A. C. 1677.

## §. LXXIV.

## *Calvinianæ Pſeudo - Synodi contra Pajonii deliria.*

Inter plurima Novatorum monſtra, quæ omni ferme decennio Calviniana ſecta, fœcundiſſima illa commentorum Parens progerminare ſolet, haud infima ſunt Pajonianorum deliria: Horum author erat Claudius Pajonius Aurelianenſis Præco, & Salmurienſis Profeſſor, qui ex Amyraldi erroribus (ita ex Monſtris monſtra procreantur) pro ingenii ſui intemperantia novam hæreſin procudit: docuit enim. I. Deum ad actiones creaturarum non immediate concurrere, ſed Deum mundi machinæ in primæva ejus creatione actu liberrimæ voluntatis motum quemdam generalem impreſſiſſe, vi cujus omnium creaturarum particulares motus, etiam contingentes ita dependent, fluuntque, ut nova Dei actione, ſeu concurſu creaturæ non indigeant. II. Cor-

*Leyd. verit. Evang. triumph. Erud. Lipſ. ad An.* 1689.

Sæc. XVII. A. C. 1677.

II. Corruptionem hominis, quæ merum morale, & nihil physicum est, principaliter consistere in malis cogitationibus, erroribus & præjudiciis, adeoque etiam peccatum originale consistere in inclinatione ad falsa judicia, malasque cogitationes. III. Caussas nostræ conversionis esse mere morales, non physicas. IV. Voluntatem semper sequi necessario judicium ultimum intellectus practici, sufficere igitur illuminationem ad voluntatem & affectus attrahendos. V. Verbum Dei continere demonstrationes morales per se absque ullo alio auxilio capaces efficiendi convictionem plenam & integram de veritate mysteriorum, illudque congruo tempore locoque prædicatum, disponente Providentia, posse gratiam facere irresistibilem, omnemque malitiam cordis humani superare. Hæc pluraque alia ejusmodi deliria Pajonius tam densa propriæ sapientiæ præsumptione, ac judicii pertinacia propugnabat, ut etiam morti proximus Calvinistis suæ sectæ ruinam, ac Dei Vindicis flagellum præsagiret, eoquod veritatem a se prædicatam amplecti renuerint. Nihilominus quamplurimos tam insulsi ac impii commenti Sectatores non modo in Galliis, sed & in Belgio numerabat Pajonius; semper enim hominum

Sæc. XVII. A.C. 1677.

minum ingenia sunt proclivia ad novitates; hæc ipsa enim novandi cupiditas, nullatenus vero veritatis cognitio Luthero, Calvino, aliisque hæreticis tantam Sectatorum frequentiam conciliabat: Cum autem Calviniſtæ in Galliis ſuorum numerum tot transfugis imminui reformidarent, hoc anno plures Synodos præcipue in Normania, Andegavi, & Pariſiis habuere, in quibus Pajoniana dogmata de Providentia & Gratia damnarunt, & poſtea Roterodami declararunt, quod nulla futura ſit pro ejusmodi doctrinis tolerantia, ac principiorum nimis craſſorum moderatio: Cur autem Calviniani hi Inquiſitores non itidem, uti olim Caſſelæ, ex plenitudine Pontificiæ ſuæ auctoritatis pronuntiarunt: *Viſum eſt nobis, controverſias iſtas non ita comparatas eſſe, ut diſſenſum in fundamento fidei inducant.* Sint Pelagianæ, non tamen evertunt Calvinianæ fidei fundamentum, ſeu *firmam Salutis ſpem per Dei miſericordiam propter merita Chriſti*; & Spanhemius in Pajonii doctrina Pelagianismum non odorabatur. Cur Pajonio non eandem, quam Calvino, libertatem nova dogmata excogitandi indulſerunt, cum tamen ille etiam ſe a Deo illuſtratum, & vocatum eſſe, necnon verum ſacræ Scripturæ ſenſum

*Vid. ſupra l. 206 §. 103. pag. 732.*

poſt

Sæc. XVII. A. C. 1678.

post Dei auxilium in humilitate imploratum fuisse assecutum diceret, ac probe ex sacris literis cognosceret, Calvinum errasse, & Ecclesias Gallicanas reformatione in Capite & membris, atque in ipsa doctrina indigere?

## §. LXXV.

## *Dantiscanorum furor in Catholicos.*

*Gottfrid. Hist. cont. l. 9. p. 238. & 267. Relat. Hist. Lat. p. 63. & seqq.*

Anno sequenti Lutherani quietis impatientes novis vexationibus Catholicos in Polonia, annexisque ditionibus opprimere moliebantur: præprimis enim Dantisci Templum B. Virgini dicatum & inique Catholicis olim ereptum summa pertinacia eisdem restituere recusarunt, contempta etiam Regis auctoritate, qui iterato hoc Templum vindicare incassum nitebatur: tandem vero ab eis nonnisi invitis impetrabat, ut aream in foro lignario Catholicis pro exstruenda alia Ecclesia concederent: Acrius autem die tertia Mensis Maij in Carmelitas tumultuabantur Dantiscani Sectarii, cum enim illi pro more in festo inventæ S. Crucis publicam haberent supplicationem, & Catholicus quidam Lutherano, qui admonitus coram Christi Cruci affixi imaginem caput detegere, petulantius renuit, pileum abstraheret, mox

mox opificum famuli, aliique ſcurræ improbiſſimi turmatim magno numero confluxerunt, ac Monachos, cunctosque hanc ſupplicationem comitantes usque ad monaſterium lapidibus inſectati ſunt; nec his contenti, ædes quoque in cæmeterio expilarunt, necnon inſana rabie in monaſterium irruentes, januis, feneſtris, fornacibus, atque univerſis ſuppellectilibus confractis, in Templum penetrarunt, ibidemque barbarorum more organum, Altaria, SS. Euchariſtiæ receptaculum, Baptiſterium, atque omnia, quæcunque furibundis eorum manibus obvia eſſent, aut illis uſui eſſe valerent, ſacrilega temeritate aut disjecerunt, aut furto abſtulerunt. Tam veſana horum nebulonum petulantia juſtam Regis indignationem provocabat, cumque his furioſis ad excuſandam tumultus, & rapinæ nequitiam nulla legitima patrocinaretur cauſſa, præcipuos tantæ immanitatis Authores capite plecti juſſit; Carmelitæ vero malum in bono vincere, in ſuæ Eccleſiæ ſchola edocti Regem adiere, ſupplices, ut reis vitæ veniam daret, ad quorum etiam preces Rex, ne tanti criminis impunitas ſectarios aliunde ad ejusmodi petulantias proclives ad ſimilem alliceret rabiem, nonniſi unicum ex præcipuis tumul- Sæc. XVII. A. C. 1678.

Sæc. XVII. A. C. 1678.

tumultus auctoribus die duodecima Aprilis anno hujus sæculi octogesimo capitis supplicio mulctari, Religiosis vero in compensationem illati damni viginti quinque florenorum millia ex Urbis ærario numerari jussit: eadem vero die, qua hujus supplicii executio facta erat, denuo Sectarii opificum tumuli, aliique magno numero confluxerant, novosque tumultus concitare moliebantur: tempestive autem a militibus dissipati sunt, mox tamen innovata rabie quemdam Olivetanæ Congregationis Sacerdotem adorti multis plagis laceratum in platea semivivum reliquere: quocirca Rex tribus edictis die vigesima Aprilis Magistratui præcepit, ut ejusmodi hominum cœtus & clandestinas eorum consultationes præpedire haud cunctaretur. Indè vero novo specimine comprobatum habebatur, quo spiritu Sectarii ducantur, & quam avide omnem aucupentur occasionem, ut fanaticum suum in Monachos odium, insatiabilem Ecclesiastici spolii famem, & tyrannicam Catholicos opprimendi sitim explere valeant: Præclari admodum Evangelicæ charitatis Sectatores, ac Christianæ tolerantiæ Præcones? Jam antea etiam die decima septima Aprilis Gedanenses Protestantes in

Tem-

Templo S. Joannis effrenati sui furoris specimen edidere, cum Ohnmutho Lutherano Prædicanti suo non modo Cathedram interdicerent, sed etiam illum, dum primoribus stipatus, suggestum conscendere parabat, brachiis violenter comprehensum Templo extruderent. Sæc. XVII. A. C. 1678.

## §. LXXVI.

### *Patrum Oratorii decretum contra Jansenii & Cartesii placita.*

Annus fluxerat hujus sæculi septuagesimus octavus, quo Sacerdotes Oratorii Berulliani pro more Generalem suam, & quidem numero sextam Congregationem Parisiis in sua Domo prope Luparam habebant. Jam dudum summo animi dolore perceperant hujus Instituti Superiores, quod arcta cum Portu-Regiensibus familiaritas nonnullis Oratorii Presbyteris luem affricuisset, & Philosophica Cartesii placita noxia sanam doctrinam sensim eliminarent, hinc malo remedium tempestive opposituri, die decima sexta Septembris decretum in Sessione sexta unanimi suffragio condiderunt, cujus summa hæc est: „Nos præcedentis Con„gregationis statuto, circa doctrinam „in nostra Congregatione introductam *Causs. Quesnel.*

Sæc. XVII. A C. 1678.

„inhærentes, ac corruptelis malisq
„orituris obviare intenti, ſtatuta quin
„& ſextæ Congregationis perpetua leg
„eſſe innovanda, omnibusque dein
„contrarium decernendis derogandu
„cenſuimus, ac declaramus, quod
„berum ſit ſecundum ſtatuta Orato
„Theologis Congregationis tenere
„docere ubivis quascunque ſenten
„in Eccleſia receptas, ſanasque doct
„nas, nullique lex impoſita ſit ha
„potius quam illam ex hujus vel illi
„Scholæ opinionibus amplectendi: n
„alias opiniones docere prohibitu
„quam quas Eccleſia damnavit, a
„quæ de Janſenii & Baii opinion
„in Theologia, & de Carteſii placi
„in Philoſophia ſuſpectæ ſunt. Inſ
„per declaramus, quod quamvis
„morum & diſciplinæ doctrina omn
„laxitatem abhorreamus, nihilomin
„ſingulos Concionatores & Confeſſ
„rios impenſe hortamur, ut omn
„immodicum rigorem ſollicite evite
„& in ſacro miniſterio Sancti Car
„monita ſedulo ſequantur: Inſiſtent
„hac in re veſtigiis Facultatis Theol
„gicæ Pariſienſis, quæ tot Sanct
„tot Præſules dedit Eccleſiæ, per
„ctamque unitatem, & concordiam ſe
„vare ſolet hoc medio, dum invio
„biliter adhæret articulis fidei ab E
„Cl

„cleſia definitis, neutri autem parti ad-
„hærens, ſed indifferens eſt in illis
„omnibus, quæ nondum ab Eccleſia
„definita ſunt, hunc ergo animi ſen-
„ſum non repugnare judicamus profun-
„dæ veneration, ingentique æſtima-
„tioni, quam omnes Theologi de-
„bent doctrinæ SS. Auguſtini, & Tho-
„mæ: Itaque ſemper liberum erit, te-
„nere & docere Prædeſtinationem &
„gratiam per ſe efficacem, ea tamen
„conditione, ut I. ſingulare adſit ſtu-
„dium oſtendendi primo, quod effica-
„cia iſta nullam voluntati neceſſitatem
„imponat, quin potius, cum excitat
„ipſam, eam relinquat in potentia a-
„gendi, & non agendi. II. Aſſerendi
„ſimul gratias vere ſufficientes, quæ
„conferant potentiam implendi præ-
„cepta Dei, maneantque inutiles, cum
„voluntas eas rejicit, ſuamque illis ne-
„gat conſenſum, idque de quovis ſtatu
„intelligendum ſit. III. Quicunque
„ita ſentiunt, etiam illos, qui contra-
„riis adhærent opinionibus, ſive ſint
„membra noſtræ Congregationis ſive
„aliarum Communitatum, ſemper co-
„lent & venerabuntur, hacque ratione
„pacem cum omnibus Theologis Ca-
„tholicis, quantum fieri poterit, ſer-
„vent, ut eo perfectius ſeſe nobis veri-
„tas detegat, quo propius per humi-

Sæc. XVII. A. C. 1678.

„litatis & charitatis ſemitam eidem
„viabimus: Ex hiſce rationibus
„gregatio præcipit, ut accuratiſſ
„ſtudio Janſenismus per ſummo
„Pontificum Conſtitutiones damna
„& improbatus devitetur, ſimul et
„prohibet, ne quisquam ullam
„propoſitionem defendat, qualis
„v. g. illa, quæ concernit actiones
„fidelium aut alias &c. Præcipi
„denique, ut in Philoſophia non re
„datur a Phyſica, & Ariſtotelicæ Ph
„ſophiæ principiis, quæ paſſim in
„legiis recepta ſunt, nullus ergo
„vam Carteſii doctrinam, quam
„juſtis de cauſſis doceri prohibuit,
„quatur, proin in Scholis tradat
„I. Extenſionem non eſſe de eſſe
„corporis, II. quodlibet corpus na
„rale conſtitui per materiam & form
„diſtinctam a materia. III. Exiſt
„accidentia abſoluta, diſtincta a
„pore, & a ſubjecto ſuo abſolute &
„pernaturaliter ſeparabilia. IV. A
„mam eſſe realiter præſentem &
„unitam toti corpori, ſingulisque
„partibus. V. Non eſſe impoſſibile,
„Deus plures mundos crearet in
„dem tempore VI. cogitare & inte
„gere non eſſe eſſentiam animæ ra
„nalis VII. vacuum non eſſe impo
„bile &c.„ Eodem hoc anno Ca

nici Regulares e Gallicana Congrega- Sæc. XVII.
tione S. Genovefæ in ſuis comitiis Ge- A. C. 1678.
neralibus ſingulis ſuis Religioſis, ne Janſenii librum legant, prohibuit, eisque interdixit, ne in Theologia aliam præter S. Thomæ doctrinam in Scholis tradant, nec ullum librum aut theſin Philoſophicam vel Theologicam ſine Doctorum a Generali nominandorum approbatione typis edant, vel alias opiniones aut Eccleſiæ dogmati contrarias aut de Janſenismo vel Bajanismo ſuſpectas tradant, vel in Philoſophia Carteſii opiniones doceant. Verum quamvis hæc ſalubriter ſtatuta juſſu Regis, & impulſu Harlæi Pariſienſis Archiepiſcopi prudenter concepta, necnon in tota Congregatione Gallica fuiſſent promulgata, non omnem tamen Janſenismi ſuſpicionem, qua Oratorii Patres perſtringebantnr, penitus depulerunt, imo a quibusdam Oratoriis præcipue Montenſi non fuere recepta, & nonnulli unacum Quesnello potius inſtitutum & Regnum deſerere, quam conceptæ opinionis pertinaciam exuere, ſuisque Superioribus ac Eccleſiæ obedire maluerunt.

Sæc. XVII. A. C. 1678.

## §. LXXVII.

## *Innocentii XI. decreta pro restaurranda Ecclesiæ disciplina, tollendisque morum corruptelis.*

*Priet. Annal. mund. contin. Jæger Hist. Eccl. l. 8. cap. 1. Theod. a Sp. Sanct. Carm. Disc. tract. de Indul. p. 2. fol. 249.*

Singulari studio Innocentius XI. summus Pontifex restaurandæ Disciplinæ negotium hoc item anno urgebat ac præprimis, quæ nuper circa Pa tiorum immunitates statuerat, tam severitate tutabatur, ut juvenem quen dam, qui scelerum suorum impuni tem quærens, prope Veneti Orator ædes Apparitores, quin caperetur, a gredi ausus est, suspendio, alios ve præcipuæ Nobilitatis Viros pare *Sbirris*, ut vocant, vim inferentes e lio plecti juberet, imo etiam nov Reipublicæ Legatum ad alloquium s mittere recusaret, eoquod e suis fam lis nonnulli sceleratum hominem co tra hosce satellites tutati essent. Pr terea Pontifex decreta de prostibu Roma expellendis, & fœminis nu pectore incedentibus severe puniend innovavit; cum autem insuperhab suo mandato, ac pœnæ nuper inflic exemplo quasdam Nobiles, ac cete honestas mulieres Romanas indece tius ad plateas progredi intelliger in publico Urbis foro, aliisque compl edict

Sæc. XVII. A.C. 1678.

dictum affigi jussit, quo nonnisi Meretricibus taliter deinceps impune incedere permissum: ne ergo honestæ mulieres hujus infamiæ stigma sibimetipsis fronti suæ inurerent, mox cunctæ vestitum ad præscriptæ honestatis leges ultro composuerunt: Acuebat etiam Pontifex legum severitatem contra Clericos, qui cum sexu sequiori liberius conversari deprehenderentur, immodicos quoque lusus Bachanaliorum tempore exerceri solitos prohibuit. Præcipua vero illius cura fuit, qua ratione Ministrorum ærarium Papale exhaurientium licentiam restringere, majoresque expensas imminuere posset, atque ideo Cardinalium numerum, quamvis jamjam eorum tredecim fatis functi essent, ad quinquaginta reducere statuit: ipsum quoque Venetum Oratorem, qui relicto multo ære alieno Roma excedere meditabatur, detineri jussit, donec nomina penitus expedivisset. Denique indulgentiarum abusus eliminare intentus, die septima Martii a S. Congregatione sequens decretum confici, consuetisque locis quinto post die affigi jussit: „Delatæ sæpius „fuere ad sacram congregationem in„dulgentiis sacrisque reliquiis præposi„tam indulgentiæ quædam confictæ, „& omnino falsæ, quæ per diversas

Sæc. XVII A. C. 1678.

„orbis Christiani partes circumferuntur, „aliæ vero examinandæ, quæ adhibito „studio inventæ sunt vel apocryphæ, „vel a Romanis Pontificibus revocatæ, „vel nullæ, quod datum eis tempus „præteriisset; quarum quidem plurimæ, cum non facilem cognitionem „habeant Christi fideles, harum rerum „minus peritos fallunt, qui spe indulgentiæ, remissionisque peccatorum „suorum frustrantur. Quamobrem eadem sacra Congregatio vehementer „cupiens huic malo magis in dies serpenti occurrere, animarum profectui, „& indulgentiarum Dignitati consulere, „plures illarum singulari diligentia colligi, & in indicem referri curavit.

„Tales in primis sunt illæ, ut asserunt, concessæ a Joanne II. & Sixto IV. „recitantibus orationem Charitatis Jesu „Christi D. N. precor te piissime Domine &c. ab Urbano II. Ecclesiæ sanctæ „Mariæ, vulgo dici solet Compagniolæ, & sanctæ Victoriæ; ab Eugenio III. „revelationi de plaga in humero Jesu „Christi factæ S. Bernardo; ab Innocentio III. Archiconfraternitati, & „Ordini redemptionis captivorum; a „Bonifacio IX. visitantibus Capellam „S. Nicolai de Tolentino in ejus die „festo, a Joanne XXII. osculantibus meram plantæ pedis Beatæ Mariæ „Vir-

„Virginis; ab Alexandro VI. imagini „Beatæ Mariæ vulgo dictæ Laghetti; „a Leone X. gestantibus funiculum „S. Francisci, primum in Urbe impres„sæ, deinde Medio ani An. MDCLXV. „(suas tamen habent, & veras, Confra„tres Archiconfraternitatis chordigero„rum S. Francisci) recitantibus Salu„tationem angelicam ad pulsum horo„logii, & imagini Conceptionis Mariæ „Virginis immaculatæ in circulo de„pictæ, cujus pedibus Luna subjecta „est; a Pio IV. vel V. Principi Sena„rum; a Clemente VIII. dicentibus ora„tionem: O magnum mysterium &c. „& Ecclesiæ S. Mariæ, quam vocant, „Montis-Serrati, Avenione impressæ, „tum aliæ pro animabus Christi fide„lium Defunctorum impressæ Matriti „20. Julii 1606. a Paulo V. Cantantibus „Hymnum: Te Matrem Dei Lauda„mus, te Mariam Virginem confite„mur &c. vel si die Sabbati intererint, „dum idem canitur; & Coronis, rosa„riis, imaginibus, & Numismatibus, „quæ Medalias appellant, ab eo bene„dictis, Federico Cardinali Borromæo „Supplicante Anno 1611. dum Eccle„sia Romæ in honorem S. Caroli ædifi„caretur; & ab eodem Paulo & Gre„gorio XV. dicentibus: Sia lodato il „SS. Sacramento: Laus SS. Sacra„men-

Sæc. XVII. A.C. 1678.

Sæc. XVII A. C. 1678

„mento; ab Urbano VIII. in honorem „ejusdem Sacramenti, precibus Cardi„nalis Magalotti, & Sacerdotibus ce„lebrata Missa dicentibus: Ave Filia „Dei Patris, Ave Mater Dei Filii &c. „a Clemente X. recitantibus mane, me„ridie, ac vespere consuetam Antipho„nam, Angelus Domini &c. & in fine: „Deo gratias, & Mariæ; ac demum „aliæ a nonnullis Romanis Pontificibus „tributæ, ut ajunt, Coronis Mysterio„rum Passionis Domini Nostri Jesu „Christi, ad preces Magni Ducis Etruriæ.

„Talis indulgentia Sodalitatis S. „Nicolai, qua repetita quinquies ora„tione dominica, & Salutatione Ange„lica, unam liberari animam quolibet „die a purgatorii pœnis affirmant. Ta„les aliæ Perusii Confraternitatis SS. „Sebastiani & Rochi, & Romæ Socie„tatis S. Bernardi ad Columnam Tra„jani. Tales demum aliæ cruce Si„gnatorum S. Eustorgii Mediolani, Ari„mini, & Bononiæ.„

„Ejus generis sunt & illæ concessæ, „ut ajunt, Capellæ Rosarii in Ecclesia „S. Antonii de Rovigo, seu Rodigii; „vel Ecclesiæ SS. Trinitatis Bergomi, „aut S. Petri Montis Todoni, die festo „inventionis Sanctissimæ Crucis; vel „gestantibus funiculum S. Francisci de „Paula; vel celebrantibus Missas S. Au„gusti-

„guſtini; aut alias quinque in honorem „quinque feſtivitatum B. V. M. vel recitantibus officium S. Franciſcæ Romanæ, aut Antiphonam: O paſſio magna &c. in memoriam paſſionis Jeſu; „aut Roſarium S. Annæ (quod Congregatio Sacrorum Rituum non probat) aut orationem, quæ impreſſa „cum imagine S. Annæ circumferri ſolet: Ave Maria gratia plena &c. (quæ „oratio prohibetur) aut officium conceptionis B. V. immaculatæ, quod „aſſerunt a Paulo V. probatum fuiſſe; „aut orationem: Deus, qui nobis in „S. Syndone &c. (excipitur indulgentia „centum dierum Anno 1671. conceſſa „precibus Duciſſæ Sabaudiæ ad annos 25. cunctis in illius ditione degentibus) aut aliam: Ave Filia Dei „&c. poſt communionem recitandam; „vel aliquo conſpicuo ſigno venerantibus Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti nomen; indulgentiæ rurſus „octoginta millium annorum veteri de „tabula exſcriptæ, quam in Baſilica „Lateranenſi aſſervari affirmant, pro „dicentibus orationem illam vere piam: „Deus, qui pro redemptione mundi „&c. tum quæ impreſſæ fuerunt Papiæ 1670. ſub hoc titulo: *Summarium „indulgentiarum conceſſarum a Sanctitate „ſua Papa Leone X. imagini Conceptionis*

„glo-

Sæc. XVII. A. C. 1678.

„*gloriosæ Virginis Mariæ;* vel Pisauri „sub nomine Beatæ Joannæ Anno 1608. „evulgatæ; vel Barlettæ, seu Baruli „a recitantibus quasdam non sane ma„las orationes lucrandæ; vel Parmæ „a visitantibus per Quadragesimæ dies „Ecclesias tertii Ordinis S. Francisci; „vel Pistorii, & Vastallæ a recitantibus „orationem: Ave Sanctissima Maria, „Mater Dei, Regina Cæli &c. & aliæ „in particulari impresso libro descriptæ, „quibus frui dicunt Devotos Seraphi„cos & Benefactores.„

„His annumerandæ sunt, quæ cru„cibus Caravacensibus tributæ dicun„tur; vel coronæ sive stellario conce„ptionis Virginis immaculatæ, quod „ex duodecim globulis precariis con„stat; vel granis, crucibus, & coronis „Aloysiæ ab Ascensione Hispanæ Mo„nialis Ordinis S. Claræ, vel mensuræ „altitudinis Jesu Christi Domini Nostri; „vel Imagini, aut mensuræ vulneris „lateri ejus inflicti; vel orationi, ut „ajunt, in Sepulchro Domini Nostri „repertæ: & indulgentiæ, ut ajunt, in„nixæ revelationi factæ S. Birgittæ, „Mechtildi, & Elisabeth; vel B. Joannæ „de Cruce, & concessæ, ut asserunt, „granis, quæ aliquod ex tribus granis „tetigerint extantibus penes Romanum „Pontificem, Hispaniarum Regem, & „Mi-

„Miniſtrum generalem fratrum mino- Sæc. XVII.
„rum obſervantiæ S. Franciſci „ A.C. 1678.

„Omnes vero & ſingulas jam dictas „indulgentias ſacra Congregatio par- „tim eſſe confictas, & plane falſas de- „clarat, partim apocryphas, vel ex „alio capite nullas, quæ nemini ſuf- „fragari poſſunt: easque in futurum „ullo in loco, ut veras publicari, & „lucrandas Chriſtifidelibus proponi ve- „tat; foliaque, & libros, ubi ſic pro- „ponuntur, ſeu aſſeruntur, omnino „præcipit aboleri, niſi prædictæ indul- „gentiæ fuerint diligenter expunctæ; „nec ideo tamen vult alias, quas hoc „Decretum non continet, pro veris & „legitimis, taciteque probatis haberi.„

„Ac demum omnes indulgentias „conceſſas ante Decretum Clemen- „tis VIII. latum die 9. Januarii 1597. „**Coronis**, Roſariis, granis, ſeu cal- „culis, crucibus & imaginibus ſacris, „vel ante Breve Pauli V. quod incipit: „*Romanus Pontifex* &c. editum 23. Maij „Anno 1606. Perſonis Regularibus qua- „rumcunque religionum, & ordinum, „etiam mendicantium, vel ante conſti- „tutionem 115. Clementis VIII. cujus „initium: Quæ ſalubriter &c. habitas „per aggregationem, vel aliam com- „municationem ab Archiconfraterni- „tate ulla, ordine, Congregatione,

„So-

Sæc. XVII. A. C. 1678.

„cietate etiam Jesu, capitulo, vel cæ„tu quocunque, vel ab eorum Officia„libus, Superioribus, aliisque Perso„nis, vel Persona, etiamsi earum, vel „ejus mentio specialis, & individua fa„cienda esset, nisi fuerint deinde Ro„mani Pontificis Authoritate innovatæ, „aut confirmatæ, nullius esse roboris, „& momenti pariter declarat.„

„Porro summaria indulgentiarum „pro congregationibus Doctrinæ Chri„stianæ, Confraternitatibus SS. Trini„tatis, & redemptionis captivorum, „Nominis Dei, Rosarii, B. Mariæ de „Mercede, & redemptionis captivo„rum, B. Mariæ de Monte Carmelo, „cincturæ S. Augustini, & S. Monicæ, „nisi ab eadem Congregatione recogni„ta, non permittantur. Indulgentias „vero stationum Urbis, quæ a Roma„nis Pontificibus Singulari quodam be„neficio, vel communicatæ sunt, vel „communicabuntur interdum aliquibus „locis, ordinibus, aut Personis, die„bus tantum stationum &c. in Missali „romano descriptis, suffragari posse de„clarat: Semel autem duntaxat in die „plenariam indulgentiam in certos dies „Ecclesiam visitantibus concessam, vel „aliud pium opus peragentibus, lu„crifieri.„

„De

„De quibus relatione facta per Se- Sæc. XVII.
„cretarium ad Sanctiſſimum, cuncta A.C.1678.
„Sanctitas ſua probavit, & inviolate
„ſervari juſſit.„

Ex hoc S. Congregationis decreto & alio quidam Ultramontanus Scriptor novum ac tertium ſub ementito nomine ſancti Officii die 7. Martii hujus anni decretum conſarcinavit, eo fine, ut falſo afferere poſſet, prohiberi non modo ſigna v. g. Scapulare, cordas &c. Confraternitatum, ſed etiam omnes Indulgentias Regularibus conceſſas, niſi a Sede Apoſtolica fuerint confirmatæ & innovatæ, nullas declarari: Comperta autem hujus Falſarii fraude, eadem S. Congregatio die vigeſima quinta Januarii Anno 1679. hoc decretum tanquam *falſum, pernicioſum, ſcandaloſum, in multis depravatum, & doloſe accommodatum ad alias Cincturæ, Scapularis &c. Sodalitates ab Apoſtolica Sede approbatas* damnavit. Eodem hoc anno ſummus Pontifex die decima ſeptima Februarii præfatæ S. Congregationi, ac Raymundo Capiſuccio ſacri Palatii Magiſtro præcepit, ut ad librorum prohibitorum Indicem rejiceret libellum, cui titulus: *Officium immaculatæ Conceptionis B. V. approbatum a ſummo Pontifice, Paulo V. qui pie illud rectantibus centum dierum indulgentias indulſit:* Hoc decretum

*Argentre coll. Jud. t. 3. p. 546. Index lib. proh. lit. D. pag. 74. Abrege de l'Hiſt. Eccl. Chron. t. 3. pag. 480. Carol. mem. Eccl. l. 8. pag. 200.*

Sæc. XVII. A. C. 1678.

tum Hiſpaniæ ac Franciæ Reges, quibus Innocentius X. Feſtum immaculatæ Conceptionis cum Officio & Miſſa ſolemniter de præcepto celebrandi gratiam fecerat, moleſtius ferre videbantur, Leopoldus quoque Imperator datis literis apud ſummum Pontificem deſuper queſtus, cauſſam, cur hic libellus eſſet proſcriptus, ſciſcitabatur, cui tamen Innocentius XI. mox die decima octava Decembris reſpondit, non illud, quod Innocentius X. conceſſiſſet, officium fuiſſe prohibitum, ſed aliud, & quidem ea ex cauſſa quod *apocryphum haberet annexam indulgentiam, ſimulque falſo aſſereretur, illud a Paulo V. fuiſſe approbatum.* Poſtea vero idem libellus ab hiſce nævis juſſu Raymundi Capiſucci Magiſtri S. Palatii expurgatus denuo editus, permiſſusque eſt. Idem tamen Magiſter hoc item anno die trigeſima Julii, & vigeſima ſexta Octobris, necnon Anno 1742. die quarta Maij alia ejusmodi Officia proſcripſit: nunquam vero immaculatæ Conceptionis feſtum & Officium ſemel approbatum, ac recitari ab uno Pontifice conceſſum, ab alio fuit prohibitum: Haud immerito igitur ignorantiam, vel potius cujusdam Proteſtantis malitiam exagitare cogor, qui in ſuis memorabilibus ad hoc ſæculum improvide ſcri-

scripsit, Sixtum IV. hoc festum & *officium approbasse, Clementem autem VI. illud reprobasse* (oblitus erat hic Author, quod Clemens VI. jam Anno Christi 1342. & Sixtus IV. primum Anno 1471. sederint) *Paulum V. denuo idem festum sanxisse, & Innocentium XI. illud abrogasse:* Ergone Innocentius XI. *Festum* hoc abrogavit, dum Officium apocryphis indulgentiis, aliisque falsitatibus respersum fidelium usui eripuit, & emendatum restituit, illudque, quod jam dudum nullisque vitiis obnoxium in usu fuerat, in suo vigore reliquit? Erubescat hic nugator exclamare: *En! Paparum concordia, discors; indicio & argumento, quid in religione ipsorum Brevia & Bullæ valeant:* attamen contemni, non autem refelli merentur miseri ejusmodi Scriptores, qui judicium de Pontificum Bullis & Catholicorum ritibus suæ sectæ legibus & inveteratæ calumniandi consuetudini semper, numquam vero veritati, æquitatique consonum ferre didicerunt. Sæc. XVII. A. C. 1678.

## §. LXXVIII.

### *Varia dissidia Romæ composita.*

Postquam Innocentius XI. Pontifex dissidia cum Hispaniæ & Franciæ Oratoribus propter abolitam immunitatem *Theatr. Europ.*

Sæc. XVII. A. C. 1678. feliciter compoſuerat, Poloni Regni Legatus Princeps Radzivilius totius Regni nomine filiale eidem obſequium præſtitit, præter hunc inſuper Romam venerant Græci atque Armeni Epiſcopi qui ſuarum Provinciarum nomine eundem Pontificem debita officii teſtificatione, ac venerando pedum oſculo honorabant. Die autem vigeſima ſecunda Maij Ludovicus Emanuel Portocarrerus Cardinalis Hiſpaniæ Legatus ſolemni pompa ingreſſus, eundem Innocentio obſequii penſum exſolvit, ſimulque grates egit, quod Papa ad levandam Regni neceſſitatem decimas ex Eccleſiaſticorum bonis benevole conceſſiſſet. Nec tamen inter hæc publicæ lætitiæ honorumque ſigna deerant manifeſtioris faſtidii argumenta; præprimis enim non ſine animi ſui mærore ſummus Pontifex perceperat, quod Gallus impellente Rupellenſi Epiſcopo non modo in Francia, ſed etiam Romæ in Eccleſia Gallicæ Nationi propria feſtum Cathedræ ſancti Petri, qua primum Romæ ſedit, inconſulto Papa abrogare publicasque pro Romani Pontificis incolumitate preces fundi ſolitas interdicere molirentur: cum ergo Innocentius graviora adhuc mala pertimeſceret, huncque Epiſcopum ad tentandas quævis nimis proclivem ſciret, to-

lit-

litem sua moderatione ac prudentia adhuc in ortu suffocare studuit, mox tamen nova dissensio Pontificis animum afflixerat; cum enim Canonici ad Sanctum Antonium in Delphinatu absentibus Regiis Deputatis supremum suæ Congregationis Præpositum eligerent, Franciæ Rex hujus electionem velut irritam declaravit, aliumque nova electione subrogari præcepit: quo facto Pontifex suam jurisdictionem violari ratus, vehementer apud Regem querebatur: Sub idem ferme tempus haud absimile inter eundem Papam & Venetam Rempublicam exortum est dissidium: vacabant enim in ea nonnulli Episcopatus, ad quos nominandi jus sibi competere obtendebat Pontifex: e contrario autem Veneti *jus*, ut vocant, *Patronatus* opponebant, illosque Clericos, quos Papa ad hosce Episcopatus nominaverat, Venetiis Romam redire compellebant: Id quidem iniquissimo animo ferebat Pontifex, tempori tamen cedendum ratus, quod auctoritatis severitate impetrare desperaverat, rebus longanimitate compositis obtinuit.

Sæc. XVII. A. C. 1678.

Sæc. XVII. A. C. 1678.

## §. LXXIX.

### *Franciæ Episcoporum querelæ ad Papam de turbata Clementis IX. Pace.*

Promulgato Niovensi edicto, cujus supra meminimus, omnes, qui se D. Augustini Discipulos dicebant, vehementer querebantur, inde Clementis IX. pacem violari, cunctaque mala Gallicanam Ecclesiam olim opprimentia innovari, nullum in universo Regno dari Jansenistam, neminem damnatam quinque propositionum doctrinam tueri, omnesque Sedis Apostolicæ definitioni sincera submissione acquiescere, atque ad Sedis Apostolicæ, Regisque mentem obsequioso silentio immane illud bellum fuisse confectum, proin Jansenismum, qui primo ob defensam Jansenii doctrinam, Leo rugiens, & postea ob Jansenii sensum, & Ecclesiasticæ disciplinæ contemptum, & asseclarum numerum, caudatus est draco, tandem domito utroque monstro in merum Phantasma degenerasse, nunc vero, cum recens ab omnibus subscriptio sine limitatione peteretur, Ecclesiæ tranquillitatem tam caro pretio, ac multiplici dispendio emptam rursus turbari: Ejusmodi querelas præ-

primis

primis Felix Catalaunensis Episcopus per Cardinalem Cibo ad Papam detulit, supplex, ut tempestive dissipare vellet iniquas illorum molitiones, qui cuncta, quæ per Clementis IX. transactionem feliciter composita fuissent, omni data occasione evertere adlaborant. Eodem tenore etiám Andegavensis Episcopus hoc anno ad Papam literas dedit, in quibus adversus Andegavensem Universitatem declamans, expostulabat, quod hæc Laicæ potestatis subsidio freta formulæ subscriptionem, pro suo arbitrio, contempta auctoritate Episcopali, exigeret, ingentemque numerum Ecclesiasticorum doctrina & pietate præcellentium, quibus ad laboris Episcopalis subsidium ipse vel maxime egeret, in exilium detrudi procurasset: Denique vehementer querebatur, quod non sine maxima calumnia quatuor his Episcopis etiamnum imputetur, perinde acsi Clementem IX. Papam decepissent. Verum ad hasce Præsulum literas Pontifex duntaxat, se maturius hac super re deliberaturum respondit: Magis benignis oculis epistolam excepit Gilberti Choiselii Tornacensis Episcopi hoc anno die vigesima quarta Aprilis datam; præterquam enim, quod hunc Episcopum morum integritate, doctrina, Apostolico Sæc. XVII. A. C. 1678.

Sæc. XVII. A. C. 1678.

lico animarum zelo animique modera-
tione eminere noſſet, inſuper illum
ſinceram & ingenuam mentis ſuæ de-
claracionem maximi habuit. Ex hac
autem epiſtola nimis prolixa duntaxat
exſcerpimus ſequentia: „Sane Beat-
„ſime Pater, cum omni ratione enim
„collapſam diſciplinam pietatemque
„ſartam tectam conſervare, male ac
„dio apud nonnullos, qui ſe, licet h
„nevole paterneque reprehendi patia
„tur, vellentque conſui pulvillos ſu
„omni cubito, ac mollioribus Laxiori
„doctrinæ principiis ſemper indulgen
„ut hactenus indulſerant, mihi late
„ter tanquam Janſeniſtæ obloquunt
„Ut autem hanc a me propulſem in
„riam, Beatiſſime Pater, patiatu
„quæſo, Sanctiſſima humanitas Veſtr
„ut intima animi mei ſenſa in paterna
„Beatitudinis Veſtræ ſinum effundam.

„Initio, Beatiſſime Pater, ii du
„taxat habebantur Janſeniſtæ, qui v
„Janſenio patrocinabantur, vel quin
„propoſitiones, quas occaſione lib
„Janſenii damnaverat Innocentius
„defendebant, vel certe defendere o
„debantur. Jam non ſolum abſtru
„de gratia Chriſti Sententia, ſed ſe
„rior de moribus Doctrina, caſtum
„ſciplinæ Eccleſiaſticæ ſtudium, &
„acta ad Evangelii canonumque re

„las inſtitutæ vitæ ratio, nihil niſi Janſenismum ſpirare videntur.„

„Quantum attinet ad doctrinam de „gratia, ſpero fore, ut me ab omni „erroris ſuſpicioone facile vindicem, „cum meam veſtræ Sanctitati mentem „aperuero. Quod autem ſpectat ad „mores & diſciplinam, quam felix eſſet „accuſatio, Beatiſſime Pater, ſi illam „promererer? ſed quam vereor, ne „apud Deum ea prorſus indignus in„veniar? utut ſit, quidquid credidero „Janſenismi mihi notam inurere, ex„plicabo, paratus ſcilicet ſine ulla æ„quivocatione, a qua ſemper abhorrui, „ſincere improbare, quod veſtra San„ctitas improbaverit, damnare quid„quid damnaverit, & meas agendi ſen„tiendique rationes me denique totum „Apoſtolatui veſtro ſubjicere.„

„Hoc poſſum coram Deo profiteri, „Beatiſſime Pater, me nunquam Jan„ſenii patrocinium ſuſcepiſſe, & quin„que propoſitiones damnatas damnaſſe „ſemper ex animo. Fateor equidem, „cum primum damnatæ ſunt iſtæ pro„poſitiones ab Innocentio X. audirem„que a temerariis quibusdam Theolo„gis hanc injuriam fieri Apoſtolicæ „Sedi, ut ſcilicet aſſererent ab ea dam„natam eſſe SS. Auguſtini & Thomæ „Aquinatis doctrinam, me voluiſſe

Sæc. XVII. A. C. 1678

„ab eorum calumniis tantorum Eccle-
„siæ doctorum nomina vindicare, me-
„que, cum Innocentii Constitutionem
„promulgavi, declarasse, illibata sem-
„per manere SS. Augustini & Thomæ
„dogmata, quod in me Molinistarum
„omnium invidiam, odium, & furorem
„concitavit. Nihilominus tamen, cum
„ipse ego post aliquot annos fuissem e-
„vocatus a Rege, tanquam alienus ab
„omnibus partium studiis, tempore
„Alexandri VII. ut contentiones Eccle-
„siæ Gallicanæ conarer componere, &
„Pater Ferrerius Societatis Jesu, qui
„Regi deinde fuit a confessionibus, duo-
„que ex primariis inter eos, qui Jan-
„seniani credebantur, Lalannius scili-
„cet & Girardus, multis coram me de
„Jansenii doctrina habitis colloquiis,
„sæpius amice & pacifice nomine sua-
„rum utrinque partium inter se com-
„municassent, putaveram neminem
„deinceps jure merito Jansenismi ac-
„cusari posse. Res enim eo tandem
„devenerat, ut singulis catholicarum
„scholarum, licet dissidentium, The-
„misticarum scilicet & Jesuiticarum
„more sua sensa depromentibus, & scri-
„ptis hinc inde Romam missis, Ale-
„xander VII. Sanctissimus Pontifex om-
„nes catholice loqui intellexisset, ac
„gaudere se testatus esset, nullam su-
„per-

„pereſſe hæreſeos ſuſpicionem: Cum „autem nemo eo tempore novam ſu„ſpicandi occaſionem dediſſet, exiſti„maveram, Janſenismum jam fuiſſe ad „phantasmata aut puerorum terricula„menta amandandum. Verum quidem „eſt poſt Ferrerii Lalaniique, ac Gi„rardi collocutiones, recruduiſſe ad„huc diſputationes, quia hoc nempe „ſuperfuerat inter utramque partem „diſſidium, quod qui Moliniſtæ dice„bantur, eos, quos vocabant Janſeni„ſtas, vellent adigere, ut faterentur, „immo & jurejurando teſtarentur, quin„que damnatas propoſitiones apud Jan„ſenium reperiri; ni facerent, in ſan„ctam Sedem perduelles, & hæretici „haberentur; Auguſtiniani autem vel „certe, qui eo nomine gloriabantur, „aſſererent, ſibi proprio privatoque ſtu„dio compertum eſſe, eas quinque pro„poſitiones nullatenus ad Janſenium „pertinere, atque adeo ſe non poſſe „citra mendacium eas declarare Jan„ſenianas: quod autem tales eſſe de„creviſſent Apoſtolicæ conſtitutiones, „id obreptione vel ſubreptione eveniſſe, „ex oſcitatione forſan vel nimia Moli„niſtis credendi facilitate eorum, qui„bus Innocentius X. & Alexander VII. „ſummi Pontifices legendi & exami„nandi Janſenii provinciam demanda„ve-

Sæc. XVII. A. C. 1678.

Sæc. XVII. A. C. 1678.

„verant. Cum autem in dies magis „ac magis ferveret contentio, Janſenii „amici promiſerunt, ne viderentur „ſanctæ Sedi contradicere, immo ut „ſummam erga Sanctiſſimos Pontifices „obſervantiam teſtarentur, ſe ſuam ſu„per Janſenii facto Sententiam alto ſi„lentio ſepulturos, atque adeo quinque „propoſitiones ſincere damnando, ſed „eas Janſenio nec aſſerendo, nec abju„dicando, dogmati fidem, facto reve„rentiam habituros.„

„Cumque jam ipſe ad meam Con„venarum Eccleſiam reverſus eſſem, ac„cepiſſemque eos adhuc utrimque acri„ter de facto diſputare, cum Janſeni„ſtarum ſuper ſui Janſenii facto ſilen„tium non ſufficere clamarent Moli„niſtæ, ut conſtitutionibus apoſtolicis „ſatisfieret, ad Regem ſcripſi, ratus „me teneri totum, de quo agebatur, „negotium explicare. Significavi ergo „Chriſtianiſſimo Principi, etſi maximum „haberi oporteret honorem Conſtitu„tionibus apoſtolicis, neminem tamen „cenſendum eſſe hæreticum, aut in „Eccleſiam perduellem, vel ſchismati„cum, quamvis a definitione facti re„cederet; cum tota univerſalisque Ec„cleſia circa ſingularia facta, quæ nulla „revelatione innoteſcunt, errori obno„xia ſit, & reipſa aliquando erraverit:

„cujus

„cujus Sententiæ ut indubitatæ ac cer- Sæc. XVII.
„tissimæ Patronos habemus summos A.C. 1678.
„Sanctissimosque Pontifices; Pelagium II.
„& Gregorium magnum; inter recentio-
„res rerum Ecclesiasticarum tractato-
„res, Eminentissimos Cardinales Bel-
„larminum, Pallavicinum, inferioris
„conditionis inter Eruditos, primæ
„notæ Jesuitas Sirmondum, Petavium,
„aliosque catholicissimos, & sanctæ
„Apostolicæ Sedi devotissimos theolo-
„gos. Secus autem omnino sentien-
„dum esse, ajebam, de dogmatibus,
„circa quæ Ecclesia falli nullatenus
„potest, porro cavendum esse semper
„monui, quotquot fidei meæ crediti
„erant, ne facile etiam in facto a sum-
„morum Pontificum definitionibus re-
„cederetur; cum eos in rebus omnibus
„ad regimen Ecclesiæ pertinentibus
„singulari quadam gratia & Spiritus
„sancti impulsu, ut plurimum, moveri
„credendum sit: nec usque adeo teme-
„rarius fui, sanctissime Pater, ut dixe-
„rim senserimque errasse circa factum
„Innocentium X. & Alexandrum VII.
„sed tantum significavi, periculosum
„esse, eos, qui solius facti definitioni
„contradixissent, tanquam hæreticos
„insectari; multo magis eos, qui non
„contradixissent, sed solummodo ta-

„cuis-

Sæc. XVII. A. C. 1678

„cuiſſent, ſi modo aliunde damnata „dogmata damnarent ex animo.„

„Hæc duntaxat egi & docui, ſan„ctiſſime Pater, circa Janſenii nego„tium. Cum vero mea ad Regem Epi„ſtola, etiam me inſcio, typis man„data fuerit, nec eam quisquam re„prehenderit, exiſtimavi, ſanctiſſime „Pater, me a nulla omnino veritatis „atque Eccleſiæ lege receſſiſſe. Si quid „peccavi, ignorans feci; errorem au„tem, ſi quem Sanctitas veſtra mon„ſtraverit, emendare paratus ſum.„

„Ceterum cum deinde tempore Cle„mentis IX. optante Rege, gratulante „ſanctiſſimo Pontifice, maximi nomi„nis Præſules Gallicani iisdem placan„dis ſopiendisque contentionibus feli„ciſſime ſtuduerint, res ad exitum per„ducta ſit, paxque Eccleſiæ reddita, „non ſatis deflere poſſum ea iterum „jurgia renovari. Non dubito porro, „quin tota Gallicana Eccleſia, Beatiſ„ſime Pater, veſtris pedibus libenter „advolvatur, & Sanctitati Veſtræ ſup„plicet etiam atque etiam, ut tandem „iſtis diſcordiis modum imponat, eas„que ſua Authoritate compeſcat.„

§. LXXX.

Sæc. XVII.
A.C. 1678.

## §. LXXX.

### *Apamienſis Epiſcopus cunctis Eccleſiæ ſuæ proventibus ſpoliatus.*

Defuncto Pavillonio Alectenſi Epiſcopo totum Regiæ indignationis pondus in perniciem ſolius Franciſci Stephani Apamienſis Epiſcopi incubuit, quamprimum enim Regaliæ Patroni, hujusque Præſulis hoſtes, nuperæ excommunicationis adhuc memores, compererant, quod præfatus hic Epiſcopus pariter in Regaliſtas Eccleſiæ cenſuras interminaſſet, mox vices repenſuri a Regio Senatu edictum die vigeſima octava Novembris procurarunt, vi cujus Apamienſi Epiſcopo ſub privationis pœna omnium proventuum temporalium injungebatur, ut intra duos menſes juramentum fidelitatis, tanquam agnitæ Regaliæ pignus, ad acta publica referri curaret, cunctosque ad Canonicatus, vel alia Regularia Eccleſiæ Apamienſis beneficia vi Regaliæ admotos reciperet: Quoniam vero Epiſcopus hac ratione Eccleſiaſticam immunitatem, qua hucusque omnes Toloſanæ Provinciæ Eccleſiæ fruebantur, graviter violari arbitraretur, potius proventuum jacturam pati, quam Paſtorali officio deeſſe voluit; hujus

Sæc. XVII. A. C. 1678.

hujus vero ſui propoſiti rationem Regi redditurus, die vigeſima Januarii ad eundem has dedit literas: „Patiatur „Majeſtas veſtra, humillimas preces „meas, quas videlicet neceſſitas hujus „cauſſæ expreſſit, ſibi deferri, quasque „tanto confidentius ſpero auditum in „quod ab Epiſcopo & in cauſſa Eccle„ſiæ prolatas; cum alias ſemper ma„gnorum Principum fuerit, etiam in „negotiis temporalibus querelas ſubdi„torum gemitusque excipere. Enim„vero ſi liceret ante oculos Majeſtatis „Veſtræ cor meum intimasque cogita„tiones expromere, videret ipſa id „quod animum meum perſtringit, non „eſſe metum proventus temporales a„mittendi; cum enim in ſacris canoni„bus didicerim, Eccleſiaſticos fructus „eſſe bona Deo conſecrata, nihil aliud „ex iis mihi reſervatum volui, quam „curam adminiſtrationemque mei oe„conomi: ſicque meam perſonam ac „particulare commodum quod attinet, „quidquid divina providentia permiſe„rit, pacatiſſime feram. Id ſolum a „Majeſtate Veſtra petere mihi liceat, „ut ſi quidem alicujus me culpæ reum „pœnaque dignum crediderit, digne„tur ea tantum fructuum parte mul„tare, quæ ſuſtentandæ perſonæ mex „ac neceſſitati parce adhibetur, ne„ enim

„enim me pudebit fidelium pietatem Sæc. XVII.
„ac Eleemosynas implorare; tantum A.C. 1678.
„ne hac pœna & calamitate mea quam-
„plures alii ac innocentes involvantur.
„Cogor enim Majestati Vestræ signifi-
„care, proventus illos, qui ex Consilii
„sententia subducti mihi sunt, ad alen-
„da duo Seminaria, in quibus Clerici
„animarum saluti ac curæ addicti ma-
„gnoque numero sustentantur, ad fa-
„bricandam ædem cathedralem hære-
„ticorum furore plane destructam, ad
„reparandas ornandasque reliquas diæ-
„cesis Ecclesias, ad alendos tegendos-
„que pauperes, qui plurimi sunt, &
„qui hoc subsidio destituti ad extre-
„mam necessitatem adigentur, & de-
„nique ad exsolvendum æs alienum,
„quod ut omnibus his expensis par es-
„sem, contrahere necessario debui, quod
„ergo ante hæc omnia animum meum
„intime ferit, illud est, me licet ar-
„dentissimo desiderio ferar nihil agendi,
„quod Majestatem Vestram vel leviss-
„me offendat, non posse salva, quam
„Deo ejusque sponsæ debeo, fidelitate,
„Decreto mihi nuper significato obtem-
„perare. Neque enim nisi anathemata
„a sacris Conciliis vibrata experiri ve-
„lim, cooperari, immo ne consentire
„quidem possum, ut Ecclesia juribus
„spolietur fidei meæ commissa, inter ea

„vero

Sæc. XVII. A. C. 1678.

„vero jura unum e præcipuis maxime„que spiritualibus est libertas confe„rendi beneficia Ecclesiastica, quam „libertatem Regalia omnino demoli„tur: hæc vero in quamplurimis Re„gni Gallici provinciis nunquam locum „habuit, id quod ex edictis Galliæ Re„gum Majestatis Vestræ Prædeceſſo„rum, & Parlamentorum, & Cameræ „parisiensis protocollis, & ex Doctrina „Authorum, qui ante edictum Par„lamenti parisiensis de Anno 1608. de „hoc argumento scripsere, & quorum „aliqui in præfata Camera computo„rum publicis officiis fungebantur, ma„nifeste probari potest. Philippus Pro„bus Vir insignis, probatæque Doctri„næ, & cui Regalia odio esse non pot„erat (nam Regaliæ titulo in Ecclesia „huic servituti obnoxia beneficium ob„tinuerat) non contentus Ecclesias in „genere designasse Regaliæ immunes, „Episcopatus quoque in particulari e„numerat, exemptos liberosque, & „præsertim Tolosanæ provinciæ, quo„rum primam hanc Apamiensem con„stituit.„

„Enimvero non potest hoc jus Re„galiæ ad Majestatem Vestram perti„nere, nisi uno ex sequentibus titulis, „videlicet aut præcise, jure regio: aut „titulo universalis omnium Ecclesiarum „fun-

„fundatoris: aut beneficio poſſeſſionis Sæc. XVII.
„memoriam hominum excedentis: aut A.C. 1678.
„denique Eccleſiæ privilegio.„

„Qui conati ſunt perſuadere Maje-
„ſtati Veſtræ, jus Regaliæ tota Gallia
„extendi, id principium aſſumpſerunt,
„ut dicerent, Regaliam jus eſſe coro-
„næ annexum, ideoque inalienabile,
„& impræſcriptibile; quo fundamento
„nixi adjecerunt, quemadmodum re-
„gium diadema rotundum eſt, eaque
„figura deſignat, coronam regiam com-
„plecti omnia; ſic quoque Regaliam ad
„omnes Regni Eccleſias proferri, nulla
„excepta. Sed permittat Majeſtas Ve-
„ſtra, ut libere dicam, nihil cogitari
„poſſe hac Maxima inanius minusque
„fundatum. Qui enim fieri poteſt, ut
„jus beneficia Eccleſiaſtica conferendi,
„quod ſpirituale omnino eſt, a Regia
„poteſtate & corona dependeat? plane
„nihil aliud hoc eſt, quam ſpiritualem
„& temporalem confundere poteſtatem,
„Eccleſiarum ac Principum jura com-
„miſcere, & vero ſi hoc tantique mo-
„menti jus adeo Regiæ Dignitati ad-
„junctum eſt, qui fieri poteſt, ut Mi-
„niſtri Regum Majeſtatis Veſtræ præ-
„deceſſorum tot Sæculorum curſu illud
„ignoraverint? an vero aut negligе-
„bant, aut neſciebant, quid Regibus
„deberetur? & ipſum pariſienſe Parla-

Sæc. XVII. A. C. 1678.

„mentum, si hanc Maximam veritati
„consentaneam credidisset, num au-
„sum aliquando esset (quod tamen ali-
„quoties fecit) Regibus onus hanc pos-
„sessionem probandi imponere, cum da
„nonnullis Ecclesiis controversia move-
„retur? Sed nec solum hoc Galliæ Re-
„gum esset privilegium, sed omnium
„omnino coronam gestantium, qui eo-
„dem jure eademque ratione Regia-
„liam, qua late dominantur, vendi-
„care sibi possent; ideo Lugdunensi
„Concilium, cum titulos recenset, o
„quos permitti Regalia possit, solius
„fundationis & antiquæ possessionis
„mentionem facit.„

„Alii ergo, qui fallacis hujus Ma-
„ximæ inanitatem cernunt, diffidun-
„que tam fragili fundamento, ad alia
„se vertunt, & Majestati Vestræ tan-
„quam omnium Regni Ecclesiarum fun-
„datori Regaliam attribuunt. Cæte-
„rum si Majestas Vestra observare digna
„fuerit, Ecclesiæ Apamiensis proven-
„tus in solis merisque decimis (quas
„Deus sibi reservavit, & quarum di-
„spensationem Ecclesiæ Ministris reli-
„quit) consistere, ipsamet facile con-
„cludet, non fuisse Ecclesiam Apamien-
„sem a Regibus ejus Majoribus dota-
„tam. Quod vero supra decimas est,
„tam parvi est momenti, ut non cre-
„dam

„dam tam modicæ rei intuitu voluisse Sæc. XVII.
„Reges hujus Ecclesiæ fundatores ap- A. C. 1678.
„pellari. Quamquam etsi demus fun-
„datores appellandos esse, quis nescit,
„solam dotationem, si privilegium Ec-
„clesiæ absit, non sufficere, ut quis
„possit beneficia Ecclesiastica conferre,
„ac Ministros Ecclesiæ constituere?„

„Possessionem quod attinet, certissi-
„mum est, nunquam hoc jus a Maje-
„state Vestra in Apamiensi Ecclesia
„exercitum esse, nec ullum exemplum
„ostendi poterit.„

„Denique tantum abest, Eccleſiam
„hoc jus extendendæ Regaliæ Princi-
„pibus concessisse, ut potius se illis e-
„nixe oppoſuerit, tunc videlicet, cum
„in Concilio Lugdunensi statuit, ne Re-
„galia ad loca extenderetur, in quibus
„recepta hactenus non fuerat: & quam-
„vis Clerus Gallicanus sæpe Majestatis
„Vestræ protectionem implorarit, ad-
„versus eorum molitiones, qui contra
„antiquam nativamque Ecclesiarum li-
„bertatem Regaliam inducere conaban-
„tur, non ideo tamen libertati ac ju-
„ribus suis renuntiare volebat, imo
„ne Conventus quidem Cleri genera-
„les, quantumvis maxime vellent,
„præstare id poterant, tum quia con-
„cilio œcumenico a quatuor jam Sæ-
„culis in Galliis recepto derogare non

Sæc. XVII. A. C. 1678

„poterant; tum etiam quia in cauſſa „communi & quando agitur de jure & „præjudicio Singulorum, ex regulis „utroque jure receptis oportet Singu„los, quorum intereſt, conſentire, „jam vero conſtat, neque me, neque „aliquem meorum prædeceſſorum con„ſenſiſſe, aut procuratoribus, aut de„putatis ad Conventus generales miſ„ſis mandatum in hac cauſſa tranſi„gendi dediſſe. Neque etiam credidi, „me declarationibus a Majeſtate Veſtra „in hac cauſſa editis poſſe acquieſcere; „multoque minus earum executionem „pollicitus ſum, nec unquam adduci „paſſus, ut juramenta fidelitatis in acta „publica referri permitterem, quod Ar„gumentum erat admiſſæ Servitutis. „Non ergo intelligere poſſum, qua ve„ritate dicatur, univerſalem Regaliæ „cauſſam fuiſſe in contradictorio judi„cio, plenaque cognitione judicatam. „Sed præſertim particulares pro Apa„mienſi Eccleſiæ rationes ſunt, ob quas „Regaliæ ſubdi non poteſt; cum enim „& Alexandro VII. Pontifici Maximo, „& Majeſtati Veſtræ placuerit, pontifi„ciis regiisque diplomatibus vitam re„gularem, ac bonorum communionem „juxta regulam S. Auguſtini in hac Ec„cleſia ſtabilire, idque etiam quam„plurimis Decretis in pariſienſi Parla„mento

„mento ac judiciis contradictoriis con- Sæc. XVII.
„firmatum fuerit, admissa semel Re- A. C. 1678.
„galia necessario sequitur, fructum ope-
„ris tam pii, & ex quo in publicum
„bonum tantum emolumenti, ac ædifi-
„cationis processit, plane corruptum
„iri, cum illi, qui titulo Regaliæ be-
„neficia occupavere, nunquam persua-
„dendi sint, ut se exacto tyrocinio,
„& ex Sententia Episcopi submittant.
„Multo minus excludi se a sacra pro-
„fessione, si inhabiles reperiantur, pa-
„tientur, quod unum omnem viam Di-
„sciplinæ solidæque pietati occludet.
„Sed nec illud sperare ab iis licet, ut
„videlicet privatis facultatibus abdi-
„cent, vivantque in communi, & ra-
„tiones Episcopo reddant; utque Priori
„claustrali se subdant, quæ tamen ad-
„eo necessaria sunt, ut paupertatis &
„obedientiæ vota in Ecclesia Apamiensi
„hactenus inviolabiliter observata, &
„Decretis etiam Majestatis Vestræ mu-
„nita consistere sine illis haud possint,
„imo hujusmodi, ut vocant, Rega-
„listæ illis potius alimenta vitæ neces-
„saria subducent, qui bona fide titulo-
„que canonico subnixi solemnem in
„hac Ecclesia professionem emiserunt,
„seque insuper juxta perpetuam & an-
„tiquissimam hujus loci consuetudinem
„voto stabilitatis obstrinxerunt; nunc

Sæc. XVII. A. C. 1678.

„vero & Domicilio excluſi, ubi voto„rum ſuorum obſervantiam expleant, „& alimentis privati, quibus ſuſten„tentur, contra jus & fas, magnoque „animarum ſuarum diſcrimine, pari„que ſcandalo Religionis vagari co„gentur.„

„Hæc ſunt, quæ Majeſtati Veſtræ „neceſſario indicanda credidi, quorum „pondus ac ſolidam veritatem, ſi ipſa „dignata fuerit ſecum expendere, tan„tum mihi de Majeſtatis Veſtræ juſti„:tia polliceor, ut omnino credam, non „ſolum approbaturam, quæ in hac cauſ„ſa a me geſta ſunt, verum etiam tan„quam muneri & miniſterio meo fide„liter explendo neceſſaria vehementer „commendaturam, ſuaque regia Au„thoritate pondus ac vires addituram. „Et quamvis videri poſſim ſolus ego „hanc cauſſam ab aliis deſertam ſuſti„nere, placeat Majeſtati Veſtræ per„ſuaſiſſimum habere, quotquot iſtarum „rerum notitiam, honeſtique curam „habent, nec privatis commodis tan„guntur, omnes fere in hoc convenire, „ut fateantur, juſtiſſimam a me cauſ„ſam foveri, & inter illos ipſos, qui „Majeſtatis Veſtræ declarationibus & „edictis contulere, alii aut jurium ſuo„rum ignorantia, aut nimio ſtudio gra„tificandi Majeſtati Veſtræ decepti ſunt.

„Nec

„Nec desunt, quos pudet pœnitetque „admissi. Illi vero, qui licet timide „anxieque mihi persuadere conati sunt, „ut contra Concilii Lugdunensis De„creta Majestati Vestræ obtemperarem, „nullam aliam rationem adducebant „permovendo mihi, quam metum ma„joris mali, perinde ac si Regia Maje„statis Vestræ potestas veritatis ac ju„stitiæ opprimendis serviret, cum po„tius sperare debuissent, nunquam per„missuram esse Majestatem Vestram, jura „Ecclesiæ violari, si modo illi ausi es„sent Ecclesiarum causam suscipere, „tantumque fiduciæ habuissent, quam „Majestas Vestra æquitatis.„ Sæc. XVII. A. C. 1678.

„Cæterum eos quod attinet, qui „Regaliam toto Regno extendere vo„luerunt, pronum est cogitare, non a„liam ob causam aggressos esse hoc „jus regium ultra antiquos legitimos„que terminos proferre, quam ut Prin„cipis favorem compararent, aut au„gerent, aut etiam in distribuendis „beneficiis, quæ ad Majestatis Vestræ „collationem pertinent, majori Autho„ritate fungerentur.„

„Quidquid istorum sit, ego interim „non omitto lacrimis precibusque „Deum Majestati Vestræ propitium „reddere.„

Sæc. XVII. A. C. 1678.

## §. LXXXI.

### *Oppositionis rationes ab eodem Episcopo allatæ.*

Interim Regii Senatus Cancellarius de obitu Alectensis Episcopi suum dolorem simulans, adversus eundem in suis ad Apamiensem Præsulem literis querebatur, quod in caussa Regaliæ Regiæ voluntati usque ad mortem suam restiterit: inde vero Apamiensis haud obscure prospexerat, quod hic Cancellarius non modo defuncti memoriam, cineresque criminari, sed potius Apamiensem, quid eadem in caussa agere deberet, commonere intenderit: Eapropter die prima Februarii ad eundem literas dedit, in quibus rationes, quibus ad parem oppositionem compulsus fuisset, solide aperuit, ostenditque Regaliam extra antiquæ consuetudinis terminos protensam, esse primo in seipsa pernicioſam. II. Ecclesiæ Regumque legibus interdictam, ac III. quamplurimis, maximisque incommodis obnoxiam, & primum quidem, quia jus „spirituale Regibus tribuit, cujus ex „multorum doctorum Sententia Laici „absolute incapaces sunt; aut saltem „non aliter, quam ex speciali Ecclesiæ „privilegio, quod illi ipsi fatentur, qui „Regi-

„Regaliæ partes quam maxime am- Sæc. XVII.
„plectuntur. Quamvis enim, ajebat A. C. 1678.
„Episcopus, Episcopatuum aliorumque
„beneficiorum proventus sint res mere
„temporales; jus tamen eos percipien-
„di ac præsertim beneficia conferendi
„dubium non est, rem esse maxime
„spiritualem, & ideo absque simoniaca
„labe vendi non posse. Hinc est,
„quod prima Regula juris ita sonet;
„beneficium canonicum non potest li-
„cite sine canonica institutione obti-
„neri. Hinc etiam est, quod quam-
„plurima concilia Romanique Pontifi-
„ces eos anathemate feriant, qui a
„manu laica beneficia acceperint, præ-
„sertim vero quinque concilia romana
„sub Gregorio VII. habita, quorum
„unum Anno 1080. celebratum ita lo-
„quitur: Quoniam investituras Eccle-
„siarum contra statuta Sanctorum Pa-
„trum a Laicis personis in multis par-
„tibus cognovimus dari, & ex eis plu-
„rimas perturbationes in Ecclesiis, imo
„ruinam sanctæ Religionis oriri, ex
„quibus christiana Religio conculcatur,
„decernimus, ut nullus clericorum in-
„vestituram Episcopatus vel Ecclesiæ
„de manu Imperatoris, vel Regis, vel
„Laicæ alicujus personæ, vel fœminæ
„suscipiat; quod si præsumpserit, re-
„cognoscat, investituram apostolica

Sæc. XVII. A. C. 1678.

„Authoritate irritam esse, & se usque
„ad condignam satisfactionem excom-
„municationi subjacere. Eodem spe-
„ritu, quo Gregorius VII., Episcopi Ga-
„liæ agebantur, quando in concilio
„Claremontano sub Urbano II. Trecen-
„sub Paschali I. & duobus Pictavien-
„bus, aliisque pluribus severe proh-
„buerunt, ne beneficia a Regibus ac-
„ciperentur. Sic etiam investituræ
„quibus abolendis Ecclesia tantopere
„laboravit, non ob aliam causſam
„Pontificibus sacrisque conciliis dam-
„natæ sunt, quam quod reipsa nihil
„aliud esse viderentur, quam institu-
„tiones beneficiorum, quæ secluso pri-
„vilegio, ad solos Episcopos pertinent
„ad nullum vero Principem tempora-
„lem, teste etiam ipso Choppino, quan-
„tumvis alioquin magno jurium Eccle-
„siasticorum adversario. Nec vero pos-
„sunt Episcopi in suis diœcesibus hoc
„privilegium concedere, cum ex juris
„canonici peritorum communi Doctrina
„non liceat Episcopis servitutem ali-
„quam suis Ecclesiis imponere.„

„Sed nec in genere tantum exten-
„sio Regaliæ sacris Canonibus Decre-
„tisque summorum Pontificum prohi-
„bita est (tunc videlicet cum Laicis
„omnibus etiam principali dignitate
„fulgentibus interdicant, ne ullam sibi
„pro-

„proventuum, multoque minus beneſi- Sæc. XVII.
„ciorum Eccleſiaſticorum diſpoſitionem A.C. 1678.
„arrogent) verum etiam ſpeciali De-
„creto Lugdunenſis Concilii, quod diſ-
„ſimulata potius, quam comprobata
„Regaliæ poſſeſſione pro iis Eccleſiis,
„in quibus ex antiquo uſu ſibi illam
„deberi Galliæ Reges credebant (quan-
„tumvis ante Concilii tacitam approba-
„tionem non ſine animi ſcrupulo ea ute-
„rentur) ne ad alias Eccleſias exten-
„deretur ſeveriſſimis Decretis inhibuit.
„Ipſum quoque Tridentinum Concilium
„in Toloſano provinciali Concilio, &
„in Conventu Melodunenſi Anno 1615.
„a Galliæ Epiſcopis receptum, jura-
„tumque, ſub pœna excommunicatio-
„nis ipſo facto incurrendæ Epiſcopis
„præcipit, ne bona, jura, ac privile-
„gia Eccleſiarum dilabi permittant.„

II. „Ipſi Reges Ludovici regnantis præ-
„deceſſores ſæpe declararunt Regaliam
„non eſſe jus toto Gallico Regno ex-
„tenſum, Ludovicus Junior, quo rerum
„potiente innoteſcere Regalia cæpit,
„Aquitaniam Regaliæ immunem eſſe
„declarat. Sanctus Ludovicus, Phi-
„lippus III. Philippus IV. & Carolus V.
„Galliæ Reges idem de Septimania
„fatentur. Ludovicus XII. extendi Re-
„galiam vetat, & qui eam dilatare co-
„nantur, Sacrilegii & uſurpatæ pote-
„ſtatis

Sæc. XVII. A. C. 1678.

„ſtatis notat. Denique Philippus Va-
„leſius, Henricus IV. & Ludovicus XIII.
„glorioſæ memoriæ declararunt, nolle
„ut Regalia in præjudicium Eccleſia-
„rum, quæ hactenus immunes fuerunt
„extendatur.„

III. „Et vero etiamſi daremus, hanc
„ipſam Regaliæ extenſionem ad ea loca
„quæ hactenus libera fuerant, intrin-
„ſece & ex ſua Natura perniciosam non
„eſſe, & quantumvis in Concilio Lug-
„dunenſi non eam Eccleſia damnaſſet,
„tam multa tamen ſunt abſurda, &
„incommoda, quæ ex illa conſequun-
„tur, ut vel ob hæc ſola conniti omni-
„bus viribus debuiſſem, ut a mea Dio-
„ceſi procul arceretur. Ut enim nihil
„dicam de intruſione & Sacrilegio, qui-
„bus ſe obſtringunt, qui titulo Regia-
„liæ beneficia in Eccleſiis acceptant
„hujus Servitutis immunibus, deque
„excommunicatione, quam ex Decre-
„tis Avenionenſis Concilii Anno 1326
„ſub Joanne XXII. ipſa etiam capitula
„incurrunt, quæ hujusmodi Beneficia-
„tos admittunt; ut inquam hæc om-
„nia taceam, qui fieri poteſt, ut con-
„ſentiamus nos collatione ſpoliari om-
„nium beneficiorum, quæ poſtea ſine
„alio titulo, aut inſtitutione canonica
„Rex ipſe pro arbitrio diſtribuat? Hen-
„ricus IV. abſtinuit collatione dignita-
„tum,

„tum. Fatetur Pasquier, Cathedra- Sæc. XVII.
„lium Eccleſiarum Canonicatus Rega- A.C 1678.
„liæ haud ſubjacere: idem de Priora-
„tibus Conventualibus aliisque Regu-
„laribus beneficiis dicendum eſt, quam-
„plurimis quoque Decretis definitum eſt,
„præbendas theologales Regaliæ legi-
„bus haud comprehendi. Parva &
„pauca ſunt hæc omnia, niſi & illud ad-
„derent, ut poteſtatem ſoli Pontifici
„propriam Regi quoque attribuerent;
„quippe Reſignationes in favorem, quæ
„jure Canonico Simoniæ notantur, ac
„ſoli Pontifici reſervantur, videmus
„ſine alio ſcrupulo a Rege admitti. Sic
„etiam penſiones beneficiis conſtituere,
„& præbendas regulares Regularibus
„conferre profiteri cupientibus, præ-
„rogativæ ſunt pontificiæ poteſtatis,
„quas tamen translatas in Regem eſſe
„videmus. Sed neque hoc ſuffecit Re-
„galiæ Patronis, niſi inſuper plura Regi
„concederent, quam Pontifici permit-
„tuntur. Rex enim beneficia etiam
„aliis confert, quam in quorum favo-
„rem renuntiata ſunt, quod Papa non
„facit. Rurſus beneficia non ſolum
„ipſo jure aut facto vacantia, a quo
„tempore Regalia aperiri cæpit: ve-
„rum etiam a Rege conferuntur, quæ
„de jure canonico vacare non cenſen-
„tur, qualia ſunt beneficia reſignata,
„per-

Sæc. XVII. A. C. 1678.

„permutata, litigiosa, & quorum pos„sessio nondum personaliter adita est. „Denique Episcopis & Capitulis om„nis facultas adimitur provisos exami„nandi, quamvis fieri possit, ut Cen„suris aliisque impedimentis canonicis „teneantur.„

## §. LXXXII.

## *Ejusdem Episcopi literæ ad Aquitaniæ Præfectum.*

*Gall. vind. Diss.* 1. §. 4. *pag.* 83.

Hæ rationes quantumvis validæ conceptо Regaliam extendendi propositо adeo non prævalebant, ut etiam Tolosanus Archiepiscopus Apamiensis Præsulis mandatum pronuntiata sententia irritum, nullumque declararet, & Regius Senatus diem vigesimum Februarii tanquam terminum præscriberet, intra quem Episcopus Regalia jus agnosceret: Comperta tam Ecclesiastici quam Regii fori sententia mox plures Clerici, quos P. La Chaise Jesuita Regis Confessarius pro suo affectu selegerat, in hujus Diæcesis Canonicatus & beneficia non animarum, sed honoris, ac quæstus avidi irruebant, qui tamen assumpta tessera: *liberæ societatis*, ludis, epulisque, & amatorum cantibus insomnes ducebant noctes, ac illismet, qui eos promoveri curarunt, pudo-

pudori erant. In tanta rerum confu- Sæc. XVII.
sione, ac disciplinæ Ecclesiasticæ ruina A. C. 1678.
afflictissimo Præsuli nil reliquum erat, nisi ut ab Metropolitæ sui sententia ad sacram Sedem tanquam communis Matris gremium confugeret, ac provocaret. Admittebatur ab Innocentio Papa hæc appellatio; interim vero Episcopus die decima nona Februarii a Foncoltio Aquitaniæ Præfecto literas Montalbano recepit, quibus significatum, quod præfata die terminus a Regio Senatu præfixus, quo in Parisiensi Curia juramentum fidelitatis suæ ad acta referendum transmittere jussus erat, exspiraret, proin, quid hac in caussa facere decrevisset, protinus perscriberet, eoquod si secus fecerit, Præfectus cunctos Episcopatus Apamiensis proventus detinere jussus esset: Receptis hisce literis mox Episcopus Præfecto hunc in modum die vigesima tertia ejusdem Mensis rescripsit: „Vehe„menter vobis obstringor ob exercitam „in me humanitatem, simulque significo, „me datis ad Majestatem suam literis „reverentia ac Veneratione plenis, „quantam videlicet supremo meo Prin„cipi debeo, rationes exposuisse, quibus „conscientiam meam illigari sentio, ne „sacramentum fidelitatis inscribi per„mittam, nec despero, Regem æqui„tatis

Sæc. XVII. A. C. 1678.

„tatis amantem aliquid meis precibus
„delaturum. Plane si placeat vobis in-
„gens illud desiderium æstimare, quo
„teneor voluntati Regiæ obsequendi,
„facile intelligetis, me, qui hactenus
„nihil charius & antiquius habui, quam
„ut semper Principi obtemperarem, ne
„id quoque in præsenti causa agam,
„solo metu offendendi Dei prohiberi.
„Temporales proventus quod attinet,
„illi ut semper mihi oneri & periculo
„fuere, ob necessitatem reddendi de
„illis omnipotenti Deo rationem in
„(si modo absit Ecclesiæ injuria) pa-
„ratissimo animo feram, si alterius cu-
„ræ ac fidei committantur, qui eos repa-
„randis Ecclesiis, sublevandisque pau-
„peribus aptius impendat. Credo e-
„quidem, me cordi Deo futurum, &
„cum ipse unacum dignitate Episcopali
„causam quoque Ecclesiæ, quæ Jesu
„Christi est sponsa, curæ ac fidei meæ
„commiserit, sperare omnino mihi li-
„cet, eum quoque vires suffecturum,
„quibus paccato, lætoque animo in-
„fortunia omnia excipiam, quæ ob
„servatam ei fidem obvenire mihi pot-
„erunt: sum interim, eroque dum
„vixero.„

§. LXXXIII.

Sæc. XVII. A. C. 1678.

## §. LXXXIII.

## *Innocentius XI. Papa Franciæ Regem a propoſito avertere intentus.*

Cum Innocentius XI. Pontifex Maximus non modo ex iteratis Apamienſis, & Alectenſis literis, ſed etiam plurium Narbonæ Præſulum querelis Eccleſiarum libertates labefactari perciperet, ab eis interpellatus, Ludovicum XIV. Franciæ Regem paternis monitis, validisque rationibus a nova ſervitute Eccleſiis imponenda abſterrere moliebatur, die duodecima Martii datis ad eundem hiſce literis: „Jam „pridem inaudivimus, non deeſſe „Majeſtatis tuæ conſiliarios & Admi„niſtros, qui tibi perſuadere niteren„tur, ut uſum illum antiquum cuſto„dires, fructuum vacantium Eccleſia„rum, quod Regaliam vocant, ad eas „quoque Regni tui Eccleſias extende„res, quas illi juri obnoxias nunquam „fuiſſe, vel ex ipſis fiſci Regii tabula„riis liquido conſtat. Sed nos me„moria repetentes omnem de hac re „controverſiam communi olim Eccleſiæ „Catholicæ conſenſu, & benigna Se„dis Apoſtolicæ indulgentia provide, „ſapienterque compoſitam fuiſſe in ge-

*Sfondrat. Gall. vind. Diſſert. 1. §. 8.*

Sæc. XVII. A. C. 1678.

„nerali Concilio Lugdunensi, minime
„ad credendum adduci poteramus,
„Majestatem tuam consiliis hujusmodi
„aures præbituram aliquando esse,
„multo minus admoturam operi ma-
„num, invita Synodo tantæ apud uni-
„versam Ecclesiam Authoritatis, & re-
„clamantibus Constitutionibus & exem-
„plis Regum majorum tuorum, qu
„constitutionem in eadem Synodo a
„preces Regias, Regiis legatis præse-
„tibus, in ipsa Gallia, & tota gallica
„gente efflagitante, sancitam per in-
„tegrum quatuor ferme sæculorum spa-
„tium certatim probarunt, observarun-
„que, & præcipuo in honore semper
„habuerunt; nec vero simile videbatur
„Majestatem tuam, postquam tantum
„sibi apud Deum meriti & apud homi-
„nes gloriæ maximis pro religione Ca-
„tholica rebus gestis comparavit, ut
„nullius majorum tuorum Regum cha-
„rissimorum memoriæ possis invidere,
„velle rem aggredi, quæ nulla vel ur-
„gente necessitate, vel æquitate suf-
„dente magnum esset quamplurimis
„Galliæ Episcopis, eorumque Clero in-
„commodum, & justum dolorem allа-
„tura, non sine gravi catholicorum
„omnium sensu, qui in Francorum ac
„nalibus, & in sacrorum Canonum sta-
„tutis animadvertunt, quantum id

„ve-

„veteri consuetudini & Ecclesiasticæ Sæc. XVII.
„libertatis ac Disciplinæ rationibus ad- A.C. 1678.
„versetur. Unde plerique tam vete-
„res, tum recentes Galliæ scriptores,
„quantumvis Majestati tuæ & imperio
„subessent, & Authoritati magnitudini-
„que impensius studerent, in eos, qui
„præfatam Regaliæ extensionem sua-
„dere ausi fuerunt, tanquam in malæ
„perditæque causſæ patronos, & favo-
„rem Aulæ captantes libera indigna-
„tione invecti, stylum subinde strinxe-
„runt; nullus vero Galliæ Regum vel
„tentare id voluit, vel tentatum exe-
„qui præsumpsit, memor a Sapiente præ-
„clare præcipi: ne transiliamus termi-
„nos, quos posuerunt Patres Nostri.
„Illud præterea nos hujus periculi metu
„curaque liberabat, quod, cum Maje-
„stas tua multis abhinc annis hujus
„sanctæ Sedis liberalitate aucta, orna-
„taque sit pœne supra votum indultis
„ampliſſimis, præter ea, quibus etiam
„Reges Majores tui ejusdem Sedis be-
„nignitate gaudebant, nominandi ad
„beneficia Ecclesiastica; putaviſſemus
„ipsam sanctiſſimi, sapientiſſimique o-
„lim Galliæ Regis exemplo cogitare
„potius de se tam gravi, periculosa-
„que sarcina exoneranda, quam novis
„ineundis rationibus Regiæ in sacros
„reditus Authoritatis amplificandæ, sed

Sæc. XVII. A. C. 1678. „ubi allatæ ad nos fuere B. M. Alecten-
„ſis Epiſcopi literæ, in quibus poſt de-
„bitas religioſi in hanc ſanctam Sedem
„obſequii & filialis obſervantiæ ſignifi-
„cationes ſuas ad nos querelas, quas
„prope jam moriens poſtea renovavit,
„ob Regaliæ uſum in diæceſin ſuam,
„quæ ab eo libera ſemper fuit, nuper
„invectum deferebat, unaque appella-
„tionem a ſententia metropolitani Na-
„bonenſis; deinde etiam edocti ſumus
„idem Apamienſi Eccleſiæ pariter ſe-
„beræ contigiſſe, ac tandem Gallia-
„Regni Eccleſiæ hujusmodi oneri ſe-
„bentur aſſueſcere: mirati vehementer
„ſumus conſtitutionum Apoſtolicarum
„& Generalium Conciliorum Decretis,
„ac tam certa compertaque apud om-
„nes veritate & juſtitia potiores fuiſſe
„illorum conatus, qui terrena potius
„& caduca quam cæleſtia & æterna
„reſpicientes, dum Majeſtatis tuæ gra-
„tiam, potentiam amplificando, aucu-
„pantur, moleſtiſſimos tibi, & valde
„periculoſos Conſcientiæ terrores, quos
„Deus avertat, in id tempus præpa-
„rant, cum diſtricto Dei judicio mor-
„tales omnes, quocunque tandem po-
„tentiæ, & dignitatis loco ſint, diffe-
„genter reddere debent omnis ante-
„actæ vitæ rationem. Nos itaque pro
„noſtra non minus erga æternam, quæ
„mi-

„magnæ nobis curæ & eſt, & eſſe debet, Majeſtatis tuæ ſalutem, quam erga inclitum Clerum & Religioſiſſimos Galliæ Præſules imo erga univerſam Eccleſiam, cujus in hoc negotio proculdubio cauſſa agitur, paterna charitate ſerio admonendum te, & vehementer hortandum, obſecrandumque judicavimus, ut a tam injuſtis ac perniciosis conſiliis animum abducas; præfatis Alectenſi, & Apamienſi, cæterisque Regni tui Eccleſiis, quæ uſui Regaliæ obnoxiæ non fuere, ſuas libertates, atque immunitates tutas relinquas, ne eas de cætero ullo modo labefactari ſinas, ſed quidquid in contrarium hactenus actum tentatumque eſt, reparari atque in priſtinum ſtatum reſtitui cures; neve cæleſtis Beneficentiæ fontem, quem ſubditæ tibi gentes, pietatis inprimis, juſtitiæque ſuæ merito ſicuti credere nos juvat, expertæ hucusque ſunt, ſecus nunc agendo, & Dei, per quem regnas, Eccleſiam graviter lædendo obſtruas, qui ſcias hujus quoque vitæ bona, & Regnorum felicitatem & incrementa a Divina bonitate unice dari exſpectandaque eſſe, ſicuti innumera omnium gentium ac temporum exempla teſtantur.„

Sæc. XVII. A C 1678.

„Nos sane hos animi nostri sensus „in sinu tacitos continere non patitur „vel nostri pastoralis Officii ratio, cui „sollicitudo incumbit omnium Ecclesia„rum, vel justitiæ debitum, quo omni„bus ad hanc Sedem ex veteri justo„que more, quem a nulla humana po„testate impediri fas est, recurrentibus „jus reddere, consilium, opem, ac „paternum patrocinium præstare, vel „denique necessitas occurrendi scan„dalo, quo Christiani late populi ad „tantæ rei exitum conversi afficeren„tur, si a laicali potestate Ecclesiæ, „earumque Antistites, & Ministri suis „libertatibus, atque immunitatibus, „earumque usu, & antiqua concessione „contra generalium conciliorum De„creta, & veterem inconcussamque „observantiam, spoliarentur, non alio „prætextu, quam novæ & inauditæ „opinionis nullo jure nixæ, cui non „nulli postea accesserunt, non quod „aliquid novi afferrent, quod rei veri„tatem tam apertam posset in dubium „revocare, sed ut rem suam agerent, „nihil solliciti, si publica perderent, „speramus Majestatem tuam caussæ ju„stitia & æquitate cognita, quæ patet „ipsa per se, paternæ cohortationi, ac „precibus nostris pro spectata animi tui „pietate & sapientia, perpetuaque in

„hanc

Sæc. XVII. A.C. 1678.

„hanc ſedem obſervantia auſcultatu-
„ram, nosque cura non minus moleſta
„quam neceſſaria inter tot alias, qui-
„bus circumdamur, liberaturam. Sane
„ſi aliter ſuadentium Conſilia Majeſtas
„tua paulo attentius expenderit, facile
„intelliget, homines gratiæ & fortunæ
„inhiantes, obtentu Regiæ poteſtatis
„ſuam firmare velle, neque tam eſſe
„amplitudinis tuæ cupidos quam lau-
„dis inimicos, & qui ad omnem po-
„ſteritatis memoriam illuſtribus factis
„Chriſtianæ Reipublicæ ſalutem tueri,
„& religionem amplificare tantopere
„ſtuduiſti in alienis terris, nunc a te-
„ipſo quodammodo alienus, Eccleſiæ
„libertatem, Authoritatemque in tuis
„imminutam velis; quaſi vero facile
„tibi perſuaderi poſſe confidant, æquum
„eſſe, vel fieri poſſe, ut nobilitetur &
„creſcat ex Eccleſiæ ruinis imperium,
„quod religioſiſſimi fortiſſimique Reges
„Majores tui mirifico in eandem Ec-
„cleſiam ſtudio, & pari in Apoſtolicam
„ſedem pietati tibi eorum Veſtigiis ſtre-
„nue inſiſtendi ampliſſimum reliquе-
„runt. Tu Reges eos, fili chariſſime,
„vel etiam teipſum imitare, & eorum
„tuaque præclare facta in mentem re-
„voca. Nos quidem oblivisci non poſ-
„ſumus prædeceſſores noſtros Roma-
„nos Pontifices, qui ſimilibus de cauſ-

Sæc. XVII. A. C. 1678.

„ſis graves ac diuturnas pati ærumnas, „& immanes contentionum, ac peri„culorum procellas, in eo confiſi, qui „mari ventisque imperat, invicto ani„mo ſubire non dubitarunt. Hæc ad „Majeſtatem tuam inviti ſcribimus, qui „in materia lætioris argumenti verſari „magnopere cuperemus, ſed poſtquam „Apoſtolicæ ſervitutis onus ſubeundo „divinæ voluntati paruimus, liberum „Nobis jam non eſt, exequi noſtram, „quæ tuæ obſecundare, quacunque in „re vellet, ſicut in pluribus, quas no„bis ratio temporum & publicæ pacis „ſtudium hactenus indulgere permiſit, „cognoſcere potuiſti, ſignificavimus „hæc ipſa Oratori Majeſtatis tuæ no„bili Viro Duci de Eſtre, ut tibi pluri„bus referret, itidemque Venerabili „fratri Archiepiſcopo Adrianopolis nun„tio apud te noſtro, quem ut de tota „re differentem diligenter ac benigne „pro more tuo audire velis vehemen„ter a te petimus, ac Majeſtati tuæ „apoſtolicam benedictionem amantiſ„ſime impartimur.„

Ad haſce Pontificis literas Ludovicus Rex reſpondit, Regaliæ jus in Eccleſias Galliæ univerſas ſibi tanquam Regiæ coronæ inſitum atque innatum competere, ac Majores ſuos jus illud exercuiſſe, dum viverent, & ad ipſum

ipsum morientes hæreditario ordine transmisisse; cum autem Pontifex utrumque a vero tam alienum, ut nihil magis, esse censeret, hæc die vigesima prima Septembris ad Regem perscripsit: „Nemo sanæ mentis & „doctrinæ ausit in dubium revocare, „nullum sæculari potestati in res sacras „jus esse, nisi quatenus Ecclesiæ indul„sit Authoritas. Nunc autem non so„lum Galliæ Regibus non indulsit, ut „Regaliam prædictam extenderent ad „Ecclesias illi oneri non assuetas, sed „etiam id fieri aperte vetuit in gene„rali Concilio Lugdunensi, quod Gallia „inprimis veneratur, & sanctum habet. „Reges prædecessores tuos quotquot „fuere, ejusdem Concilii dispositionem „religiose semper & per quadringento„rum ferme annorum spatium custodi„visse, & si quis eorum de illa confrin„genda cogitarit, re melius pensata „ab incepto destitisse audimus, id in con„fesso esse apud omnes scriptores præ„sertim Gallos, & Regia ipsa Tabularia „ad oculum demonstrant. Quamobrem „pati non possumus, nec debemus „Majestati tuæ obtrudi errorem tam „manifestum, tam Conscientiæ tuæ, tam „Galliæ Regno, tam Ecclesiæ universæ „pernicioſum; semel enim admisso Ma„jestati tuæ licere adversus generalis

Sæc. XVII. A. C. 1678.

Sæc. XVII. A. C. 1678.

„Concilii decreta, adversus Regum
„Majorum tuorum exempla, adversus
„ipsam rerum sacrarum naturam, &
„primogeniam Ecclesiarum libertatem
„jus Regaliæ in eas quoque Ecclesias,
„quæ hujusmodi oneri obnoxiæ nun-
„quam fuere, idque palam dissentiente
„& reclamante, & ineluctabilem cæ-
„lestis iræ animadversionem multis cum
„lachrimis denuntiante Romano Pon-
„tifice, ad quem, sicuti vetus consue-
„tudo poscebat, nonnulli Galliæ Epi-
„scopi a Metropolitanorum sententiis
„appellarunt, nemo non videt, quæ
„inde Ecclesiæ Catholicæ deformatio
„ac ruina, quæ sacrarum ac profana-
„rum rerum confusio, sublato quodam-
„modo inter spiritualem & sæcularem
„potestatem pariete medio, sit conse-
„cutura, non in Gallia solum, sed in
„omnibus aliis Christiani orbis provin-
„ciis manante in dies latius exempli
„Authoritate. Accedet ad hæc, nisi
„error tam absurdus, ac tam certus
„corrigatur, gravis jactura ac pericu-
„lum animarum in isto Regno: illi e-
„nim, quos Majestas tua vacantium
„Ecclesiarum fructibus augebit, in qui-
„bus Ecclesiis jus illud locum non ha-
„bere, cum progressu temporis vel mo-
„nitu sacerdotum, quibus arcana Con-
„scientiæ suæ detegunt, vel etiam ipsi
„per

Sæc. XVII. A. C. 1678.

„per se, ut in re clara & aperta vide-
„rint, in quos se laqueos induerint, &
„in quod animam suam perditionis æ-
„ternæ discrimen adduxerint, tot cen-
„suris adeoque tot sacrilegiis obstricti,
„tot illicite perceptis bonis Ecclesiæ,
„quæ restituere cogentur, incredibile
„dictu est, qua animi perturbatione,
„quibus Conscientiæ terroribus agen-
„tur, Regiam beneficentiam tuam ma-
„gni infortunii loco habituri. Quo-
„rum profecto malorum, & discrimi-
„num culpam, nisi provide arceantur,
„Majestas tua haud dubie in districto
„Dei judicio sustinebit. Vehementer
„itaque Majestatem tuam rogamus, ut
„pro eximia animi tui æquitate & Sa-
„pientia rem serio perpendas, acsi in-
„numeris amplissimi Regni tui negotiis
„impediris, quo minus eam per te
„cognoscas, viros aliquos non tam Do-
„ctrina, quæ non adeo magna requi-
„ritur ad hujus caussæ cognitionem,
„quam pietate fideque præstantes con-
„sulas, vel si placet, evolvas acta ipsa
„Cleri Gallicani nuper impressa, quæ
„tibi rei veritatem luculenter aperient.
„Qua cognita minime dubitamus, quin
„Majestas tua illico declaret, nihil
„tibi majori curæ esse, quam reddi Deo,
„quæ Dei sunt, a quo tantas opes,
„tam splendidum amplumque Regnum,

„&

Sæc. XVII. A. C. 1678.

„& omni Regno potiora tot præclara „animi, corporisque bona accepisti, „Longius fortasse quam patitur, vel „evidens causa justitiæ vel egregia „virtus tua, in hoc argumento immo„ramur. Verum non ut te confunda„mus, hæc scribimus, sed tanquam fi„lium charissimum admonemus, ani„mo reputantes, nihil prodesse homini, „si universum mundum lucretur, ani„mæ vero suæ detrimentum patiatur. „Speramus charissime Fili, opus non „fore, ut novis eximiam religionem „æquitatemque tuam precibus in hoc „negotio interpellemus; ea cæteroqui „est rei magnitudo, & gravitas, in qua „non Gallicanæ solum, sed totius Ec„clesiæ dignitas, salusque vertitur, ut „pro Apostolici officii nostri munere „extrema omnia pati potius quam „causam istam negligenter agere de„beamus. Reliqua super hoc argumento „accipies a præfato nuncio Nostro, „ac tibi Apostolicam benedictionem „perpetuo cum felicitatis tuæ voto con„junctam amantissime impartimur.„

## §. LXXXIV.

### *Epistola Apamiensis Episcopi ad Innocentium XI. Papam.*

Cum autem Regis Ministri Regaliæ extensionem omni severitate urgentes,

gentes, Episcopum Apamiensem non modo suis proventibus, sed etiam Beneficia Ecclesiastica conferendi jure spoliassent, hic summi Pontificis opem imploraturus, die quarta Maij has ad eundem dedit literas: „In legendis „Ecclesiasticis historiis sæpe sæpius „animadverteram, Sanctissimam Se„dem Episcopos ad se confugientes, „maxima cum benignitate semper su„scepisse, summosque Pontifices pater„nis visceribus eos esse complexos, qui „pro tuendis Ecclesiæ juribus labora„runt. Verum id clarius intellexi, & „jucundius expertus sum, quando me „sua Sanctitas literis Apostolicis con„solari, imo & hortari dignata est ad „propugnandam Ecclesiæ Apamiensis „libertatem, contra servitutem, quam „nostri Regaliam vocant, de qua semel „& iterum ad vestram sanctitatem scri„bere non dubitavi. Equidem, Bea„tissime Pater, ita videbar mihi affe„ctus, ut non solum bonis, sed & vita „spoliari mallem, quam Ecclesiam, „mihi licet indignissimo commissam na„tiva carere libertate: Sed incredibile „est, quantos addiderit animos Sancti„tatis Vestræ Consilium, vel potius „præceptum, aut etiam Oraculum a „Deo per suum in terris Vicarium ad „me delatum, ut modo cælesti fretus „au-

Sæc. XVII. A. C. 1678.

Sæc. XVII. A. C. 1678.

„auxilio nihil hac in parte, nisi mea
„peccata, meamque insipientiam pe-
„timescam.„

„Regaliæ negotium, Beatissime Pa-
„ter, ad aures suæ Sanctitatis utpote
„maximis Ecclesiæ universæ negotiis
„intentæ, deferre vix unquam ausus
„fuissem, nisi & hoc ipsi Ecclesiæ uni-
„versæ maximi referre perspexissem.
„Cum enim Rex Christianissimus jure,
„ut ait, Coronæ, seu supremi Domini
„non solum fructus seu reditus hujus
„Diœcesis, cui regendæ a triginta tri-
„bus annis præfectus sum, sed etiam
„beneficia Ecclesiastica pleno jure &
„absque canonica institutione conferre
„intendat, quamvis in ea Regalia nun-
„quam locum habuerit, imo nullibi,
„nisi Sede vacante habere possit; valde
„metuendum est, ne reliqui Principes,
„imo & respublicæ idem sibi vendicent.„

„Quod quidem Regaliæ jus, Bea-
„tissime Pater, quanta sequantur in-
„commoda, jam sum expertus, jactu-
„ram quidem bonorum temporalium
„etiam cum gaudio sustinui; quippe
„quibus tanquam oneribus premebar,
„veritus, ne non satis accuratam Deo
„rationem reddere de illorum dispen-
„satione possem. Doleo autem pluri-
„mum, quod his deficientibus, & im-
„misericorditer ablatis, nequeam, ut
„hacte-

„hactenus, pauperes pene fame con- Sæc. XVII.
„fectos, & infantes expositos seu ab- A. C. 1678.
„jectos alere, aut templa restaurare;
„quodque maxime necessarium est,
„clericos literis & virtutibus instruere;
„aliaque hujusmodi pietatis opera om-
„nino necessaria præstare. Verum ad-
„huc majorem doloris causſam præbet
„tumultuaria clericorum tam Sæcula-
„rium, quam ex diversis ordinibus seu
„Congregationibus Regularium turba,
„qui Ecclesiæ Cathedralis Apamiensis
„beneficia invadunt.„

„Pluribus, Beatissime Pater, su-
„persedeo, cætera namque, si digne-
„tur annuere Sanctitas Vestra, referet
„Archipresbyter Aquensis, Vir mihi
„fidelissimus: Sed, quod magis placet,
„divini honoris & Ecclesiasticæ disci-
„plinæ studiosissimus, quod in gerendo
„prudentissime Archipresbyteri officio
„regendaque plebe sibi credita, præ-
„clare testatus est. Obsecro, Beatissi-
„me Pater, ut eum Vestra Sanctitas
„benigne audiat, salvum tutumque cu-
„ret, & me pariter consilio, auxilio,
„precibusque juvare dignetur.„

Cum autem indies mala crescerent, nullumque efficax remedium opponi cerneret Episcopus, denuo die octava Novembris ad eundem summum Pontificem literas querelis plenas

Sæc. XVII. A.C. 1678.

nas dedit hujus tenoris: „Agitur Bea„tissime Pater de concedenda Regi „Christianissimo facultate, qua nondum „in majori Regni sui parte usus fuerat, „vacantium scilicet Ecclesiarum Ca„thedralium reditus percipiendi, om„niaque beneficia, quæ interim vacare „contigerit (saltem si eorum collatio „ad Episcopum pertinebat) pleno jure „conferendi, donec novus Episcopus „fidelitatis juramentum præstiterit, „præstiti juramenti publicum instru„mentum in acta curiæ computorum „fuerit relatum, decretum seu ut nostri „vocant, Arrestum, quo restituenda „mandantur bona Episcopalia, soluta „prius certa pecuniæ quantitate, fue„rit obtentum, & Episcopus perso„lem, non autem per procuratorem „tantum, possessionem fuerit adeptus.„

„Maximum B. P. Ecclesiæ vulnus „infertur, cum Laici Ecclesiæ reditus „temporales dispensant, quod modis „omnibus impedire semper conata est „universa Ecclesia. Hac de causa „summi Pontifices gravissimos labores, „imo & pericula sæpissime susceperunt; „verum multo gravius læduntur Ec„clesiæ jura, dum beneficia Ecclesia„stica sine Canonica institutione incon„sulto summo Pontifice, spretis Epi„scopis, demum absque Authoritate „Ec-

„Eccleſiaſtica pleno jure conferuntur. Sæc. XVII.
„In hunc abuſum acrius inſurrexerunt A.C. 1678.
„& fortius pugnaverunt tum ſummi
„Pontifices, tum Concilia, tum ſeor-
„ſim Epiſcopi non pauci. Teſtis eſt
„celebris illa de inveſtituris controver-
„ſia, circa quam per annos circiter
„quinquaginta decertatum eſt, quam-
„vis jus Regaliæ plura & majora mala
„& incommoda afferre certum ſit &
„evidens, nam inveſtiturarum ſolem-
„nitatibus poteſtatem ſpiritualem nul-
„latenus conferre præſumebant Prin-
„cipes, ut aſſerit Yvo Carnotenſis: cui
„tamen Ceremoniæ viriliter reſtiterunt
„ſummi Pontifices, vel eo ſolo nomine,
„quod traditio baculi paſtoralis & an-
„nuli, Authoritatis imaginem præſe-
„ferret. Jure autem Regaliæ non ima-
„ginem, ſed titulum beneficiorum ple-
„no jure tradit Rex Chriſtianiſſimus,
„adeo ut in ipſis Eccleſiis Cathedrali-
„bus Archidiaconatus, Archipresbyte-
„ratus, & præbendas theologales, a-
„liasque dignitates, aut Perſonatus
„conferat Clericis ut plurimum ambi-
„tioſis, & alias indignis, quorum ta-
„men fidem, mores, ætatem aliasque
„tum animi tum Corporis dotes nec
„capitulo nec novo Epiſcopo, cujus
„futuri ſunt Senatores, & quaſi membra,
„explorare minime licet.„

Sæc. XVII. A. C. 1678.

„Exceptæ quidem B. P. hucusque „fuerant ab hoc jure seu verius ab hac „servitute Ecclesiæ parochiales propter „curam animarum & jurisdictionem „spiritualem in foro conscientiæ. Sed „minantur Regis officiales scriptis e„tiam typis excusis, Regem horum „etiam beneficiorum saltem præsenta„tionem sibi posse vendicare. Idque „jam contigit, collato scilicet jure Re„galiæ, Beneficio Sacristiæ nuncupato, „cui erat annexa totius Parochiæ ani„marum cura in Ecclesia collegiata „sancti felicis Diœcesis Tolosanæ, ita, „ut qui hujusmodi collationem obti„nuerat a Rege absque ulla institutio„ne Canonica possessionem sit ingressus. „Cui quidem malo, ut aliquid licet forte „pernicioſum tamen necessarium ad„hiberetur remedium, Clericus, qui „Canonico titulo curam hujusmodi ob„tinuerat, coactus est eam dimittere „in manibus collatoris, Clerico, qui „jam a Rege impetraverat, conce„dendam.„

„Olim etiam Beatissime Pater (ut „ex antiquis Curiæ Parisiensis placitis, „seu decretis constat) Theologi bene„ficium Regaliæ non erat obnoxium, „ob annexum scilicet concionandi mu„nus, quod missionem Ecclesiasticam „requirit, juxta illud oraculum D. Pauli „quo-

„quomodo prædicabunt, nisi mittan- Sæc. XVII.
„tur: & Concilii Tridentini declara- A. C. 1678.
„tionem, sed novis quotidie accessioni-
„bus Authoritas illa Regia excrescens
„in nova semper sese extendit; sic enim
„nuper vidimus jure Regaliæ consti-
„tutum Theologum in capitulo S. Pauli
„Diæcesis Alectensis.„

„Qua in beneficiorum provisione,
„Beatissime Pater, Rex majorem sibi
„potestatem arrogat, quam exerceant
„summi Pontifices, non modo enim
„eum resignationes in favorem admit-
„tere posse tradunt Aulici Doctores, seu
„verius assentatores, quod hæreditariam
„successionem sapit, a qua Ecclesia
„maxime abhorret, quodque soli sum-
„mo Pontifici propter potestatis pleni-
„tudinem competit, non solum etiam
„pensiones constituit Rex Christianissi-
„mus contra jus canonicum, quod be-
„neficia sine diminutione conferri præ-
„cipit, verum etiam beneficia permu-
„tata compermutantibus, conferre non
„teneri arbitratur. Juri quæsito dero-
„gat, nam quomodocunque vacet be-
„neficium sive de jure sive de facto;
„imo licet quis obtento Canonico ti-
„tulo possessionem per procuratorem sit
„ingressus, nisi personalis & corporalis
„fuerit possessio, vacuum reputatur be-
„neficium, ut ab alio Regia provisione

Sæc. XVII. A. C. 1678.

„munito poſſit occupari. Nulla Re-
„gulæ de triennali poſſeſſore habetur
„ratio.

„Nam etiam poſt viginti novem
„annos, a poſſeſſione ſub Canonico ti-
„tulo nedum colorato obtenta poteſt
„Clericus jure Regaliæ deturbari. Si
„quis in aliquod crimen, propter quod
„beneficio privandus ſit, inciderit, vel
„cenſuram, aut irregularitatem con-
„traxerit, beneficio ſpoliari poteſt a
„Regaliſta, etiam ante ſententiam de-
„claratoriam; qua via cauſſæ crimina-
„les clericorum ad tribunal ſæculare
„trahuntur, cui ſoli omnium cauſſarum
„beneficialium interveniente Regaliæ
„jure non tantum in poſſeſſorio, ſed e-
„tiam in petitorio cognitio eſt attri-
„buta; isque ſervatur ordo, ut poſſeſ-
„ſio ſemper Regaliſtæ adjudicetur lite
„pendente. Unde ſi Rex alicujus quan-
„tumvis innoxii cenſuris ſoluti, cano-
„nico titulo muniti, ac etiam omnino
„capacis & digni, officium alteri, licet
„non Clerico criminoſo infra debitam
„ætatem, demum omnino inhabili (ſi-
„quidem Rex nullius qualitatis men-
„tionem facere tenetur) conferat, iſte
„tamen ex rege Regaliæ pendente lite,
„cujus ſententia definitiva variis artifi-
„bus Regaliſtæ per longos annos pro-
„trahi poterit, poſſidebit. Nec enim
„poteſt

„poteſt Epiſcopus, aut capitulum re- Sæc. XVII.
„cuſare Regaliſtam, etiamſi injuſtitia, A.C. 1678.
„& defectus tituli appareat.„

„Præterea B. P. nec ſummus Pon-
„tifex, nec Epiſcopus, aut alius quis-
„quam collator durante Regaliæ poteſt
„reſignationes, permutationes aut alias
„juris ceſſiones admittere, nec per obi-
„tum aut alio quovis modo providere,
„neque jure prælationis, neque con-
„curſus, neque præventionis. Acce-
„dit, quod Rex Chriſtianiſſimus jure
„Regaliæ penſiones Authoritate Apo-
„ſtolica jam conſtitutas, beneficii col-
„latione extinquat. Demum juxta Re-
„galiſtas Doctores, Apoſtolicæ conſti-
„tutiones, Eccleſiarumque ſtatuta non
„refragantur, quo minus Rex jure Re-
„galiæ pro libitu voluntatis utatur.
„Innumera tandem ſunt incommoda,
„ſeu potius monſtra, quæ ſequuntur
„ex Regaliæ jure, ſaltem ſi doctorum
„noſtrorum ſententiam, ſicut jam in
„multis, ita in omnibus Rex Chriſtia-
„niſſimus ſequatur: quod ſine univerſa
„Ordinis Eccleſiaſtici everſione, nec-
„non animarum periculo fieri nequit.„

„Quod ad Eccleſiam Apamienſem
„attinet, quam ut vacantem Rex ha-
„bet, licet a me indigniſſimo triginta
„quatuor abhinc annis occupatam; con-
„feruntur Dignitates & canonicatus

Sæc. XVII. A. C. 1678. „sæcularibus & regularibus diversorum „ordinum & congregationum ab anti„qua Regula longissime deviantibus, „imo & eam ignorantibus: & a posse„sione deturbantur, qui bona fide vota „consueta, atque præterea stabilitatis „emiserant; non modo illi, quorum be„neficia & dignitates ex declaratione „Regia Regaliæ obnoxia supponeban„tur, verum etiam quæ ab hac servi„tute juxta declarationis tenorem e„rant omnino libera; eo, sicut affir„mant consilio, ut sæcularisationem „capituli a primæva fundatione Regu„laris, quam meditantur facilius im„petrent; quam tamen non timeo, „cum sua Sanctitas reformationem po„tius, quam relaxationem omnium „ordinum, juxta sanctorum mentem, „ac conciliorum, & novissime Triden„tini decreta moliatur, & indefessa „sollicitudine prosequatur. Facilius „beneficiis privantur, quotquot Eccle„siasticæ libertatis & Disciplinæ sunt „studiosi, etiamsi ab ipsis declaratio„bus Regis validissimam habeant de„fensionem, quia nisi primum Rega„liam juridice agnoscant, penitus non „audiuntur, ac præterea reditibus suis „privantur, occasione redituum Archi„diaconatus a Rege collati, quos Regium „placitum sive Decretum presbytero „sæcu-

„sæculari adjudicavit, pro eo etiam „tempore, quo nondum possessionem, „imo nec titulum a Rege consecutus „fuerat; etiamsi reditus hujusmodi „fuissent in pia opera conversi, aut „forte aliquid licet modicum juxta ca„pitulorum omnium præcipue Apa„miensis, consuetudinem, a tempore, „cujus non exstat memoria in contra„rium, præsentibus & actualiter inser„vientibus distributum.„ Sæc. XVII. A. C. 1678.

„Verum Beatissime Pater, hæc ma„la in immensum excrescent, si Rex „nominationem novorum Episcoporum, „quæ ad ipsum ex concordatis inter „Leonem X. Papam & Franciscum I. „Francorum Regem initis pertinet, dif„ferre voluerit etiam ultra tempus sibi „ad hoc præstitutum, quod versutis Au„licis non esset difficile; sicuti suis tem„poribus factum fuisse testantur & con„queruntur D. Thomas Cantuariensis, „ut in ejus vita refertur, & Sanctus „Bernardus in suis Epistolis. Interim „enim Rex omnia beneficia conferet, „& reditibus temporalibus, si libuerit, „potietur; quamvis enim ab aliquo „tempore reditus illos novis relinquat „Episcopis, testatur tamen ipsa Dona„tionis forma gratuitam liberalitatem, „non vero justitiam se exercere, vel „sacris Canonibus morem gerere. Præ-

Sæc. XVII. A. C. 1678.

„terquam quod illa pecuniæ ſumma, „quæ a novo Epiſcopo Regiorum Ca„meræ computorum perſolvenda eſt, „ut libere temporalium bonorum poſ„ſeſſionem capiat, ad libitum augeri „poterit, quod ſane maximam habet „ſimoniæ ſpeciem.„

„Nunquam Beatiſſime Pater Eccle„ſia juris aliquid in res Eccleſiaſticas „Principibus ſæcularibus conceſſit, quin „ipſi arrepta inde occaſione multo ma„jora uſurpaverint; quod ne adductis „aliunde probetur exemplis, Eccleſia „Gallicana ſæpius experta eſt. Con„cilium Aurelianenſe V. Can, 10. Regis „aſſenſum ad Electorum Epiſcoporum „conſecrationem requirendum duxit, „quod aliquam boni ſpeciem præſefere„bat, ut ſcilicet conſentiente utraque „poteſtate Regnum majori cum tran„quillitate gubernaretur, & Principes „facilius brachium, cum opus eſſet, „commodarent Epiſcopis, quorum e„lectionem gratam habuiſſent, illorum„que conſilia, ſicut ſuaſerat B. Rhemi„gius, libentius audirent. Verum hinc „Reges ad eligendos e Curia Clericos, „qui ad Epiſcopatum promoverentur, „ſibi viam paraverunt, illudque jus „Clotarius II. Anno 1615. ad ſe perti„nere publico declaravit edicto, vel „certe ſuppoſuit. Caroli Magni non „ſolum

Sæc. XVII. A. C. 1678.

„ſolum de Gallicana, ſed etiam de „Romana & univerſali Eccleſia bene „meriti patrocinio & defenſioni ſeſe „commiſerunt, ejusque Auxilio non „parum ſunt adjutæ quam plures diæ„ceſes, imo & opibus auctæ. Qua in „re filius ejus Ludovicus cognomine „Pius Patrem eſt imitatus; ſed Nepos „Carolus ſcilicet calvus, quas defen„dere, tuerique tenebatur, ſpoliare in„cepit, vixque potuit ad meliorem fru„gem revocari. Philippus item hoc „nomine primus in tertia Dynaſtia Ec„cleſias ſub prætextu inveſtiturarum „vendebat, aliasque devaſtabat, licet „S. Gregorio VII. ſummo Pontifici (ut „ipſius literæ fidem faciunt,) acriter „hujusmodi ſacrilegia reprehendenti „debitam polliceretur emendationem. „Multum præterea obſtitit epiſcoporum „ſine ipſius aſſenſu, licet alias cano„nice Electorum, conſecrationi, ut de „gallone refert Ivo Carnotenſis.

„Ludovicus VII. cognomine junior, „non ſolum Petrum a Papa Innocen„tio II. in Archiepiſcopum Bituricen„ſem conſecratum recipere recuſavit, „ſed ipſam Eccleſiam Bituricenſem, & „Catalaunenſem, & Rhemenſem, & „Pariſienſem plurimum afflixit, ut con„queritur S. Bernardus in ſuis epiſtolis.

Sæc. XVII. A. C. 1678.

„Si Reges B. P. ad aperte illicita „ſeſe extendunt, obſiſtentibus ſummis „pontificibus: quid ipſis diſſimulanti„bus? præſertim ſi introductam ſemel „poſſint opponere conſuetudinem. Certe „cum Concilium Lugdunenſe Decreto „de non uſurpanda Regalia, poſtulan„tibus francorum Regum oratoribus „clauſulam ad futura tempora reſtricti„vam adjeciſſet, Bonifacius VIII. nulla „diligentia, nullo labore obtinere po„tuit, ut Philippus IV. a convertendis „in proprios uſus Eccleſiarum vacan„tium reditibus, & conferendis pleno „jure beneficiis in aliquibus Eccleſiis, „in quibus ſuperiores Reges ea con„ſueverant uti Authoritate, abſtineret.„

„Et ſane B. P. Reges Noſtri primo „reditus futuro conſervabant Epiſcopo, „deinde feudorum Regalium proven„tus in ſua commoda impendebant, „poſtmodum idem de decimis, quæ „jure divino ad Eccleſiam pertinent, „jus ſibi ſtatuerunt. Demum benefi„cia ipſa pleno jure diſtribuerunt: & „hæc quidem principio in quibusdam „tantum Eccleſiis, modo, ſi Eccleſia „ſileat, in omnibus. Olim ſimplices „præbendæ conferebantur, modo etiam „dignitates, quibus annexa eſt juris„dictio ſpiritualis, aut onus concio„nandi, imo licet adjuncta ſit anima„rum

„rum cura. Tandem etiam ipsæ paro- Sæc. XVII.
„chiales Ecclesiæ (si prælati dissimu- A.C. 1678.
„lent) in hanc servitutem redigentur,
„non sine evidenti animarum jactura.„

„Scio equidem B. P. periculosum
„esse Regibus præsertim potentibus
„contradicere, idque jam aliquatenus
„expertus sum. Verum non facio ani-
„mam meam pretiosiorem, quam me.
„Utinam ob peccata mea indignus non
„essem, qui non solum cum B. Ansel-
„mo bonis spoliarer (quod misericordia
„divina mihi jam contigit) sed & cum
„B. Thoma Cantuariensi Archiepiscopo
„etiam mortem pro juribus Ecclesiæ
„subirem.„

„Cæterum, Beatissime Pater, ve-
„renduin non est, ne quid hac occa-
„sione, fidei, religioni, aut Ecclesia-
„sticæ unitati accidat in Regno, cui
„præest Princeps, Christianissimi Regis,
„Ecclesiæ primogeniti, & protectoris
„nomina ab Atavis, pluribus abhinc
„sæculis accepta maximo tribuens ho-
„nori; Princeps Religionis, & justitiæ
„amans, sed ab Aulicis assentatoribus
„præventus; in Regno inquam, cujus
„florentissimus est Clerus, licet forte in
„hoc negotio Regiæ voluntati nimis
„obsequens: in quo demum populus
„est, non solum sincera fide, sed etiam
„ma-

Sæc. XVII. A. C. 1678.

„magna ex parte Christianis moribus „conspicuus agnoscitur.„

„Mihi certe sufficit causæ justitiæ „diu discussa, & evidenter patefacta; „quodque plurimas vires addit sanctæ „Sedis (cui semper & vivens, & mo„riens adhærere cupio) judicio com„probata, ut ex literis Apostolicis ad „Regem Christianissimum didici, quarum exemplar Gallico sermone con„scriptum Parisiis huc usque transmis„sum est; sufficit inquam Beatissime „Pater, ut omnia impendam, & ipse „super impendar, si Deus optimus Ma„ximus, sicut desiderium suggessit, ita „vires subministret, idque Vestra San„ctitas suis precibus impetret.„

„Dabit Beatissime Pater veniam „Sanctitas Vestra, si res tanti mo„menti, cuique aliunde remedium, „quam a Sanctissima sede non possit „adhiberi, breviori epistola non po„tuit exponi.„

## §. LXXXV.

## *Quidam Gerberoni libellus ab Episcopis proscriptus.*

*Argentre Coll. Jud. part. 3. fol. 345.*

Anno priori Gabriel Gerberon Benedictinus ex Congregatione S. Mauri sub ementito nomine F. Flori a Sancta fide Leodiensibus literis libellum excudi

cudi curavit, sub hoc titulo: *Speculum Christianæ pietatis, in quo connexio ac fœdus Catholicarum veritatum de Prædestinatione & Divina gratia cum creaturæ libertate unacum reflexionibus moralibus perpenditur:* cum autem Hieronymus Grimaldus Cardinalis & Archiepiscopus Aquensis, necnon Carolus Mauritius Tellier Rhemensis Archiopiscopus, atque Episcopus Gratianopolitanus in hoc libello Jansenianos vapores olfeciſſe crederent, die decima tertia Januarii hoc speculum censuris afflarunt: Verum Pater Gerberon suas doctrinas vindicaturus, binas literas ad præfatos Præsules dedit, ac librum inscriptum: *Speculum sine macula* edidit, ipse etiam Tournerius horum censuras libro, cui titulus: *collisio duarum clavium*, refellens, ostendere nitebatur, quod errores Gerberono imputati purissimis Christianæ Religionis veritatibus & firmissimis fidei principiis haud absoni sint: saltem nunquam hic libellus Indici Romano librorum prohibitorum insertus fuit.

Sæc. XVII. A.C. 1678.

*Le Cerf Bibl. Hist. pag.* 163.

## §. LXXXVI.

## *Patriarchatus Constantinopolitanus frequenti vicissitudine turbatus.*

Habe-

Sæc. XVII. A. C. 1678.

Habebat Panajotus natione Græcus, ac Magni Vezirii Interpres Conjugem ex Matronis Chriſtianis primicoriam, quæ Mariti ſui potentia ac divitiis intumeſcens, Dionyſium Larſæum Patriarcham Conſtantinopolitanum ſæpius contemptim habuit, variisque injuriis laceſſivit; cum autem viciſſim promeritæ indignationis pœnam luere cogeretur, vindictæ ſtimulis agitata, Maritum ſuum eo induxit, ut Turcis author eſſet, quatenus Dionyſium ſede ſua deturbarent, ejusque loco Geraſimum Turnoviæ in Valachorum finibus Epiſcopum intruderent: Cogebatur Dionyſius mulieris furori, & Turcarum avaritiæ aliquamdiu cedere, unde ſolo Patriarchæ titulo contentus, beneficii loco habuit, quod Philippo - Politanum Epiſcopatum obtinere potuerit. Nec diu intruſus ille Patriarcha ſuo potiebatur honore; quamprimum enim Parthenius, qui adhucdum apud Rhodios exul agebat, de Panajoti obitu certior factus fuerat, mox auro largiter profuſo Geraſimi exauctorationem procuravit, ſibique Patriarchatum aſſeruit, ſed poſt brevem coemptæ dignitatis uſuram iisdem artibus & pretio, quo Sacrum hoc faſtigium mercabatur, a Dionyſio ſede ſua dejectus, miſeram vitam ducere compulſus eſt. §. LXXXVII.

*Act. erud. Lipſ. ad Ann. 1693. fol. 8.*

Sæc. XVII.
A. C. 1678.

## §. LXXXVII.

### *Colloquium Benigni Boſſuetii Condomienſis Epiſcopi cum Claudio Charentoniano Prædicante.*

Poſtquam aurea Catholicæ fidei expoſitio a Boſſuetio Condomienſi Epiſcopo compoſita paſſim ab ipſis quoque Calviniſtis legebatur, horum non pauci de veritate ſuæ ſectæ ambigere cæperant, haud obſcure cognoſcentes, horrorem, quem hucusque de religione Catholica hauſiſſent, nonniſi ex præconceptis, & cum lacte imbibitis opinionibus, necnon ex Prædicantium horrendos errores huic Eccleſiæ falſo imputantium mendaciis ortum traxiſſe: Enimvero hi Prædicantes periculum, quod inde ſuæ factioni immineret, probe proſpicientes, nil intentatum inauſumque reliquerunt, ut Boſſuetii expoſitionem ſuis exoſam redderent; quapropter illius Auctorem tanquam propriæ ſuæ fidei vel ignarum, vel proditorem traducebant, atque inter eos Anonymus quidam, Noguierus, & la Baſtide Boſſuetium accuſarunt, quod a Tridentina Synodo, ſuæque Eccleſiæ doctrinis receſſiſſet, & nonniſi artificioſæ diſſimulationis ope Catholicorum dogmatum cruditatem temperarit: Horum

*Niceron. nat. erud. tom. 3. p. 208.*

Sæc. XVII. A. C. 1678.

rum ora ipſemet Boſſuetius in perpetuum obturavit, atque ex omnibus intemperantius effuſis in ſe calumniis eum tulit proventum, ut penitius explorandæ veritatis orexis in non paucis eo magis accenderetur. Hos inter præcipua erat nobiliſſima Virgo Duraſia Turrenii Mareſcalli ex Sorore Neptis, quæ præcipue circa articulum de Eccleſiæ auctoritate, utpote a quo ceteros omnes fidei articulos dependere noverat, colloquium inter præfatum Condomienſem Epiſcopum, & Joannem Claude Charentonienſis Synagogæ Prædicantem inſtitui petiit: Ne vero Claudius in arenam deſcendere compelleretur, ſcriptum quoddam in vulgus ſparſit, quo Catholicæ fidei veritatem variis artibus dolisque pro more ſuo obtenebrare moliebatur, aſt a Boſſuetio egregie confuſus, certamen haud ultra declinare poterat. Habetur igitur Pariſiis die prima Menſis Martii petitum colloquium; præſentes erant præfata Virgo & plurimi alii tam Catholici quam Calviniſtæ: Tam felide Boſſuetius, Sectatores vincere jam aſſuetus, veritatem Catholicam propugnabat, ut Claudius præ confuſione elinquis recedere cogeretur, atque Epiſcopus palam eidem declararet, quod ſi mutire auderet, aut colloquium repe-

repetere vellet, ipsum eo adacturus esset, ut Ecclesiæ auctoritatem omnino necessariam esse, aut rursus admittere adstringeretur, aut in easdem pudendæ confusionis anguſtias, ex quibus nonnisi agnita veritate nuper sese extricare poterat, conjiciendus foret: Claudius vero Victori suo palmam cessit. Glorioſum insuper veritatis Catholicæ triumphum luculenter testabatur hujus colloquii succeſſus; quippe Durasia mox postridie ejurato Calvini commento palam cum pluribus aliis Viris, fœminisque fidem Catholicam profeſſa est. Hujus ignominiæ, dolorisque lenimen Proteſtantes nonnisi in consueto suo, misero tamen ac flebili desperatæ cauſſæ solatio invenere, tam victoris Athletæ existimationem, quam plurium conversionem allatrantes: de his ergo spargebant, quod *mundi honores Christo præferentes ideo hoc colloquium petierint, ut Episcopo triumphi laudem dare & honesto nomine Regiam religionem amplecti possent*, perinde acsi de secundo colloquii succeſſu aut jam certæ fuiſſent, aut sine colloquio honeste Regiam religionem, non sine maximo Regis jubilo, amplecti non potuiſſent: De Boſſuetio autem vulgarunt, quod Durasia *Episcopi blandimentis delinita in ejus sententiam ceſſerit, quodque jam diu animo agitavit*, Sæc. XVII. A.C. 1678.

Sæc. XVII. A. C. 1678.

*ad Romanam Ecclesiam transierit:* Ergo minus efficaces erant Claudii rationes, quibus tamen ante colloquium Durasiam in sua secta firmare nitebatur: superflua autem fuere Episcopi blandimenta, si Durasia *jam diu ante* ad Romanam Ecclesiam redire decreverat: Tandem Bossuetio, & simul cunctis Catholicis vitio dederunt, quod *more solito contra Judicem Spiritum sanctum in Scripturis loquentem disputarit, extra Dei Verbum fidem Christianismi quæsierit, primumque ac ultimum Religionis articulum statuerit: Credo in unam, Sanctam, Romanam Ecclesiam:* Plane usque in hanc diem Catholici ignorant Ecclesiam, quæ *contra* Spiritum sanctum &c. propugnata fuerit, credunt omnes in unam, sanctam, Romanam Ecclesiam, quam talem esse, Spiritus Sanctus in S. literis loquens, revelavit, non autem spiritus privatus propria ceu usurpata auctoritate ad genium suum Sacras literas contorquens. Nempe desperatis, miserisque solemne est, ex infamia aliis impacta propriæ infamiæ levamen quærere.

## §. LXXXVIII.

### *Funestus confictæ conjurationis Anglicæ successus.*

Inte-

Interim Oates & Tongius omnium bipedum nequiſſimi, poſtquam mendaciſſimæ ſuæ conjurationis commento ultimam manum admoverant, primas eo curas intendebant, ut Carolo II. Angliæ Regi conceptam fabulam manifeſtare poſſent: opportune Tongius in Kirkbyum Chimiſtam inciderat, qui die vigeſima tertia Auguſti Regem admonuit, Virum adeſſe, qui conſpirationem contra Regiam ſuam Majeſtatem detegere vellet: Obſtupuit primo Rex, mox tamen ſibi redditus, Tongium, ut veſpere hora octava Withealiam ad Regium Palatium veniret, juſſit. Hic ergo ſcriptum quoddam quadraginta tres conjurationis articulos complectens, Regi tradidit, qui ad hanc chartam vix oculum conjicere dignatus, Tongio præcepit, ut altera die hoc ſcriptum Danbyo Comiti Regii theſauri Præfecto traderet. Huic autem Tongium interroganti, an hoc ſcriptum ſit autographum, ſceleſtus ille improvido mendacio reſpondit, nonniſi antigraphum eſſe ſe inſcio in domum ſuam projectum; evolutis aliquot diebus denuo unacum Oate Comitem adiit, referens, ſibi ſcripti adhuc amplioris Auctorem eſſe cognitum, cum autem in novo hoc ſcripto Williamus & Pickeringus tanquam Regis Sicarii fuiſſent

Sæc. XVII. A. C. 1678.

*Conſpirat. d' Angl. p. 370. Rapin Thoiras Hiſt. d' Angl. t. 10. in lib. 23. pag. 390.*

Sæc. XVII. A. C. 1678

nominati, Comes, utrum utriusque ædes sibi cognitæ essent. scisitabatur, id vero, se nescire, respondente Oate, Cancellarius Regem de Tongii relatione certiorem reddidit. Hic vero nonnihil male confutas latere calumnias probe prospiciens, hosce accusatos custodiri dari prohibuit, ac Comiti injunxit, ut nemini, nequidem Eboracensi Duci quicquam hac de re manifestaret. Indignabantur Tongius & Oates nondum cruentam, quam adornabant, scænam aperiri: quocirca Tongius per Comitem Regi significabat, quod nunc non modo utriusque sicarii domicilium exploraſſet, sed insuper sibi constaret, quosdam intra biduum Vindesoriam ad exequendam Regis necem profecturos: sexto autem post die rursus mendax hic calumniator Regi exposuit, horum iter ob unius equi infirmitatem fuisse præpeditum: Ex tot male consarcinatis mendaciis Rex haud obscure totius relationis falsitatem cognoverat, quocirca severe inhibuit, ne ex Senatoribus cuipiam ea res manifestaretur, ne inde nonnulli fors nunquam talia cogitaturi, Regem trucidandi ansam captarent: cum ergo ambo hi fraudum Architecti sua mendacia, quæ tanquam veritatis oracula ac patrii Zelli idola adorari sperabant, pensi haberi cer-

cernerent, evoluto triduo (ſpatio ſat amplo ad excoquendam novam fraudulentiam) literas confinxere, perinde acſi eas Jeſuitæ ad Beddingfieldum Sacerdotem Eboracenſis Ducis Confeſſarium Vindeſoriam mittere paraſſent: Harum literarum faſciculum præfatus Sacerdos ad Ducem detulit, addens *timeo, ne in ſuæ Majeſtatis perniciem hæ literæ ſint confictæ:* quapropter Dux hunc faſciculum ab ipſo Parlamento aperiri, etiam invito Rege tam vehementer inſtitit, ut tandem Rex Ducis petito annueret, de earum falſitate aliunde perſuaſus; cum enim Eboracenſis Dux imo ipſemet Rex, ejus Conjux, necnon Hiſpaniæ & Franciæ Reges in horum calumniatorum ſcriptis tanquam conjurationis Authores accuſarentur, Rex propriæ conſcientiæ teſtimonio tutus prudenter cenſuit, quod Eboracenſis quoque Dux ejus Frater, ſi conjurationis reus foret, toto ſtudio haſce literas occultaturus fuiſſet, nec eas Senatui examinandas ipſemet tradidiſſet. Inſuper Oates inter alia mendacio ſibi ſatis infauſto aſſeruit, ſe apud Patrem Marcum Preſtonum Jeſuitam peccatorum ſordes expiaſſe cum tamen idem Marcus jurato plurimorum teſtimonio comprobatum redderet, quod nequidem trigeſimum tertium ætatis ſuæ annum attigiſſet;

Sæc. XVII. A. C. 1678.

Sæc. XVII. A. C. 1678.

ac nunquam Sacris initiatus fuiſſet, ſed jam per ſexdecim annos legitimo connubio frueretur. Quamprimum igitur fama de conficta hac conjuratione urbem pervaſerat, mox omnes probi, æquitatisque amantes palam profitebantur, quod hæc accuſatio aut inanis ſit chymera in Oatis cerebro excogitata, aut immoderatum Regiæ ſecuritatis ſtudium præſeferat: potiſſimi autem cenſebant Oatem ad tantum ſcelus fuiſſe impulſum ex vindicta & odio in Jeſuitas, a quibus erat dimiſſus, necnon in Sacerdotes & Catholicos, qui eidem in ſuis miſeriis validam opem non præſtiterant, ac denique in quemdam Benedictinum, qui Reginæ Eleemoſynarius Oatem minus liberaliter habuit: alii tamen inconſulto odii impetu abrepti, Oatis commentum novis mendaciis fulcire nitebantur, horum nonnulli in vulgus ſpargebant, quod Catholicus quidam miles Hibernus murum Aulæ, in qua Rex pila ludebat, perforarit, ut illum ſclopo trajicere poſſet: verum id falſiſſimum fuiſſe conſtitit. Inſuper die decima quarta Aprilis Oates ſcriptotenus detulit, quod quadraginta Jeſuitæ in quadam Popina Regem vel pugione vel veneno per ejus Medicum propinando trucidandum eſſe decreviſſent: ubi vero in accuſationis veri-

veritatem fuerat inquisitum, omnia falsissima esse, compertum est. Magis adhuc luculenter hujus fabulæ falsitatem detexit insanum illud effugium, quo Catholicorum hostes manifestam contradictionem de Rege simul conspirationis Authore, & cruenta conjuratorum victima conciliare nitebantur, asserentes, quod Rex conjuratis, qui regimen Angliæ Politicum invertere, & stabilita fide Catholica Protestantium religionem eliminare intenderant, consensisset, imo conjurationis Author exstitisset, non autem assensum in sui necem conspirantibus præbuisset: Forte conjurati Carolo Regi securitatis literas tamdiu valituras dederunt, donec ipsi prima duo conjurationis capita plene ad exitum deduxissent: Mentita est iniquitas sibi. Sæc. XVII. A. C. 1678.

## §. LXXXIX.

### *Iniquissimum hujus caussæ Judicium.*

Quantumcunque hæc conjuratio insana, & ad oculum falsa fuisset, atque ab omnibus Anglis ab odii & ultionis cupidine alienis tanquam conficta haberetur, nihilominus utriusque Curiæ Senatores hisce commentis fidem adhibuerunt, vel saltem adhibere simularunt; nimis enim opportuna eis *Calmet Hist. Univ. t. 17. lib 156. Jæger Hist. Eccl. l. 8. c. 4. Conspirat. d'Angl. pag. 323.*

Sæc. XVII A. C. 1678

offerebatur occasio, nimisque propitius erat obtentus, sub quo Catholicos toto Regno eliminare, Regem de Catholicorum patrocinio suspectum vexare, atque ejus fratrem Eboracensem Ducem religione Catholicum a successionis jure thronoque excludere possent, prout postea nefanda hæc consilia opere expleverunt, ac contestati sunt: Obtendebant tamen, se unice sacratam Regis Personam, ejusque vitam tuendi studio impulsos judicium exercere: Forte hi Judices jam obliti fuerant, quod ipsemet Rex tanquam Author conjurationis, Anglici Regiminis hostis, & Protestanticæ Religionis extirpator a Tongio atque Oate fuisset accusatus: Postquam igitur ambo hi scelerati coram Edmundo Bury Godefroyo civilium causarum Judice sua accusationum capita juramento die sexta Septembris firmaverant (*) Senatores, Tongium & Oatem tanquam Viros, quorum salus Rei-

(*) Jam antea hi duo calumniatores se ad præstandum juramentum offerebant, quod tamen hic Judex acceptare noluit, præcipue, eoquod scriptas hasce accusationes legendi copiam eidem denegassent: postquam vero Tongius se hoc scriptum jamjam Regi tradidisse, juramento affirmaverat, Judex haud ultra obsistere potuit.

Reipublicæ ſummopere pretioſa eſſet, ad ipſum Regis Palatium conduci, tamque benigne ac honorifice haberi juſſerunt, ut quolibet prandio regiis cibis alerentur, & ſuperflua alimenta ſuis amicis transmittendi facultatem haberent, ne fors carceris ſqualor, aut inediæ tædium, vel pœnæ metus eos a propugnando ſuo commento abſterreret: His peractis Judices per integram ſeptimanam bis in die convenerant, non alio veritatis inquirendæ ſtudio, niſi quod ad unius Oatis, ſuique complicis teſtimonium Georgium Wakeman Reginæ Medicum, Eduardum Colemanum Eboracenſis Ducis Secretarium, Duciſſæ Sacellanum, Langhornum Advocatum, Thomam Whitebrandum Jeſuitarum Provincialem, Joannem Gray, Stephanum Turner, Guilielmum Treland, Guilielmum Ramſey, Marshallum, Jacobum Carker, Thomam Pikering, pluresque alios aut Jeſuitas aut Sacerdotes Catholicos in vincula conjici, omnesque Catholicos, imo etiam Norfolciæ Ducem Regni Mareſcallum utpote Catholicum armis ſpoliari juberent. Huic mandato tam ridicula ſeveritate inſiſtebant ſatellites, ut etiam duo ænea oppido exigua tormenta ad puerorum delectamentum deſtinata ex ædibus Groy Galli ſaltandi Ma-

Sæc. XVII. A. C. 1678.

Sæc. XVII. A. C. 1678.

gistri abstraherent, eaque ad Senatum asportarent: Quamprimum per Londinensem urbem rumor de tanto captivorum, & quidem religione Catholicorum numero divulgabatur, pro affectuum diversitate diversum quoque erat hac de re judicium, plerumque tamen Catholicis injurium; non deerant tamen, qui in hos a malevolis cruenta denuo consilia cudi existimarent, quos inter Nobilis quædam Virgo in Sabaudiæ Palatio palam declarabat Oatem tot innocentium accusatorem, hominem esse nefarium, mente captum, a quo nil veri, nilque solidi unquam audiretur: vix autem hæc verba edixerat, cum illa jamjam ad custodiam raperetur; sola enim, incerta licet, meditatæ conjurationis fama satis superque erat, ut Calvinianus populus Catholicos illius Authores reputaret, & Oatem velut Reipublicæ liberatorem coleret, ac liberrime nescio quas in Catholicos calumnias ac crimina confingeret: pari licentia spargebant, quemdam Mercatorem in platea a Catholicis occisum, alios duos in flumen projectos fuisse, utrumque tamen nonnisi mendaciis constare, compertum est. At tamen magis adhuc Londinenses in temeraria sua suspicione firmabantur, cum Godefroy Judex, qui Tongii atque

Oatis

Oatis juramentum exceperat, sub idem tempus in ædibus suis trucidatus diceretur; quamvis enim hunc a Calviniſtis fuiſſe interfectum, vero ſimilius eſſet, mox tamen homicidii crimen communi voce in Catholicos rejectum: imo audacter fingebant alii, quod Robertus Grien, Laurentius Hill, aliique, conſciis tribus Jeſuitis, hunc Judicem, ſub obtentu, quod ei quædam conjurationis arcana detegere vellent, clam ad ædes ſuas pellexiſſent, eumque in cubiculo ſuo nefarie ſtrangulatum in Reginæ ſacellum conjeciſſent: id tamen omnino falſum eſſe, palam affirmabat Regina, eoquod fideliſſimi ejus ſatellites clavem ad hoc ſacellum ſemper aſſervaſſent: poſtea etiam innotuit, quod hic Judex non a Catholicis, ſed a Calviniſtis fuerit occiſus: nihilominus infamis quidam homo nomine Guilielmus Bedloe, conſtituto ſanguinis pretio pellectus, die decima ſeptima Novembris ad Parlamentum accedens, ſe hujus necis Authorem, cæteraque conjurationis conſilia detecturum, pollicebatur, ſimulque Robertum Pranceum aurifabrum tanquam homicidam in vincula conjici petebat, hic vero Grienum, Berryum & Hillum Catholicos, hujus cædis reos accuſabat, paucis tamen poſt diebus ſe falſum depoſuiſſe

Sæc. XVII. A.C. 1678.

Sæc. XVII. A. C. 1678.

fuisse fassus est: nihilominus tamen omnes, quotquot hi nefarii hujus homicidii conscios accusabant, horrendis cruciabantur tormentis, quæ tamen hi miseri invicta constantia subierant, quin crimen, de quo nequidem unquam cogitarunt, faterentur: Interim Rex die prima Novembris habita ad Parlamentum oratione exposuit, quod *quidem illud de conspiratione in se a Jesuitis conflata certius reddere, quid tamen de ea sentiat, nil proferre velit, ne vel nimium, vel nimis parum dixisse argueretur, de cetero totum negotium judicum sententiæ reliqueret*: mox ergo hi Powisium, & Stafordium Comites, necnon Arundelium, Petreum, Bellasium, Tichburnium aliosque Nobiles comprehendi jussere, non alio criminis inditio, nisi quia Oates illos Papismo, proin læsæ Majestatis crimini obnoxios esse accusasset. Hi vero sua innocentia tuti, ultro semetipsos Judicibus sistebant, in Londinensem turrim abstracti: Postmodum utriusque Curiæ Senatores, ut conspirationem Regi ac Regno exitiosam reipsa fuisse a Catholicis conflatam populo persuaderent, jejunii diem per universum Regnum indici, omnes Catholicos saltem decem leucis Londino & Westmonasterio expelli, & in Catholicos ad Regium satellitium admissos in-

Sæc. XVII. A.C. 1678.

inquiri, a Rege petebant: nec his contenti declarabant, quod unicus conjuratorum ſcopus fuiſſet Regis cædes, & Religionis Anglicæ exterminium. ut autem ipſimet Senatores propria ſua, quæ confictæ hujus conjurationis ope agitaverant, conſilia ſenſim maturarent, die decima quarta ejusdem Menſis Regem urgebant, ut Jacobum Stuartum fratrem ſuum Eboracenſem Ducem a ſucceſſionis jure excluderet: Inſuperhabitis omnibus hiſce artibus, quamplurimi tamen de perverſa Oatis fide, & Senatorum invidia plusquam perſuaſi erant, ut igitur Senatores, quantum poſſent, ſuſpicandi, variosque rumores ſpargendi anſam præriperent, apud Cancellarium inſtiterunt, ut die prima Novembris referret: *Inferiorem Curiam poſt reorum & literarum examen nemine contradicente concluſiſſe, omnino dari, damnandam, atque infernalem conſpirationem Papiſtarum recuſantium, ad necem Regis, ſubverſionem Regni, & extirpationem Proteſtanticæ religionis, adeoque petere, ut a ſuperiore Curia ineantur conſilia pro ſecuritate Regis, Regni & Religionis*, Magnates etiam aſſenſiſſe, *& nemine contradicente teſtatos eſſe, ſe Curiæ inferiori aſſentiri, paratos omnia agere, quæ tantis in periculis, ut ingruentia mala evitentur, eſſent neceſſaria.* Mirum ſane, quod

Sæc. XVII. A.C. 1678.

quod Calviniſtæ ad hanc usque diem judicii acta, examina, reorum confeſſiones, accuſatorum teſtimonia, &c. producere auſi non ſint: Interim vero ad ſolius Oatis teſtimonium Joſephus Williamſonus Regis Secretarius, aliique ſex Nobiles tanquam conjurationis rei in carceres detruduntur, & Schaftburgus Cancellarius juratus Catholicorum hoſtis non paucos, ut contra Catholicos teſtarentur, horrendis tormentis adegit, cunctaque terrore ac metu replevit: nec tutum erat quempiam ad æris alieni ſolutionem in judicio convenire, aut ſervum a famulitio dimittere; idonei enim reputabantur teſtes, qui conjurationis accuſatione vindictam ſuam exerere non dubitarent: imo ab ejusmodi nefariis falſo accuſati, ut mortis ſententiam declinarent, teſtes adverſus captos agere compellebantur: demum horrenda ipſius Senatus violentia populi fæcem tantopere ad quaslibet petulantias incitabat, ut non pauci honeſtiſſimis Viris, quos Catholicos eſſe reputabant, lutum & ſputa in facies & veſtes conjicerent, atque innoxium quemdam Sacerdotem Sacris veſtibus pro Miſſæ Sacrificio indutum palam per plateas ad carcerem raptarent: Tantum habet virium ad corruptelam in publico Magiſtratu, pravitas exem-

exempli, præsertim, quando præter iniquitatis vivam illecebram etiam approbantis, jubentis, ac impune tolerantis Judicis accedit auctoritas. Ceterum hi Judices non paucis, magis inhumani ipsis Turcis, esse videbantur, qui quidem per conductitios crimina Catholicis affingere solent, non tamen, ut eorum sanguinem exsugant, sed duntaxat, ut aurum ab eis, salva etiam eorum religione, honore, libertate & vita extorqueant. Sæc. XVII. A. C. 1678.

## §. XC.

## *Severa edicta & supplicia contra Catholicos.*

Ad importunos utriusque Curiæ motus Rex sibi, plusquam ceteris metuens se de hujus conspirationis veritate persuasum simulabat, cumque contra torrentem tanta violentia in Catholicos effusum obniti haud posset, omnes gratias & officia Tribunis concessa abrogavit, præmiumque eis constituit, qui Jesuitam vel Sacerdotem Catholicum aut regium satellitem recens ad fidem Catholicam reversum detegeret, insuper Catholicos a Parlamento excluſit, omnesque publicis officiis provisos ad præstandum nuperum juramentum adegit: Ita nempe Rex veri- *Salmon. Hist. d' Angl. t. 1. p. 372. Abregé de l' Hist. Eccl. tom. 13.*

Sæc. XVII. A. C. 1678. veritus, ne ipius ſanguinarii ſui Parti- menti victima caderet, innocuos Ca- tholicos hoſtium ſuorum arbitrio ac fu- rori reliquit, plurimosque iniquiſſimos auſus, quos animo deteſtabatur, ſu indulgentia approbavit. Equidem Oa- tis ſuorumque complicum petulantiam indignatus, eos arctius cuſtodiri juſſit, inſuperhabitis precibus Senatorum, qui hos calumniatores libertati reſtitu poſtulabant: mox tamen Rex propri periculi metu expugnatus conſenſit, ut plurimi falſo accuſati, conjurationis inſcii, nulliusque criminis præter Re- ligionis Catholicæ profeſſionem rei vita, bonis, & honore privarentur, & non pauci crudeliſſima ſupplicia ſubire co- gerentur: Hos inter primus erat Eduar- dus Colemanus, qui Eboracenſi Duci a ſecretis erat; Oates enim & Bedlous conductitius ejusdem nequitiæ ſocius, qui ipſam Reginam conjurationis com- plicem eſſe, accuſare non abhorruit, eo minus conſcientiæ ſibi duxerat, con- fictis literis hunc Virum probitate con- ſpicuum inſimulare, quod cum P. La Chaiſe Regis Gallici Confeſſario, qui Proteſtanticæ ſectæ exterminium ſua- ſiſſe dicebatur, literarium commer- cium habuerit. Sola ſceleratiſſimi hujus hominis accuſatio jam ſufficiens erat, ut Colemanus die vigeſima octava No-

Novembris post horrenda tormenta a Parlamento ad laquei supplicium damnaretur, & quamvis cunctas Oatis accusationes elisisset, eumque sæpissime de falsitate conviciisset, imo etsi morti proximus palam profiteretur, quod *quidem fidem Catholicam tolerari, ac legitimo modo stabiliri desiderarit, criminum tamen, ob quæ ad mortem damnaretur, omnino inscius esset, Deoque grates ageret, quod in fide Catholica mori posset, nunquam tamen quicquam contra Regem, aut Regimen machinatus esset*, insuperhabita ingenua hoc moribundi confessione, haud suspecto veritatis teste, die decima tertia Decembris laqueo suspensus est, vivoque cor extractum, ac viscera in ejus conspectu in ignem conjecta, & tandem corpus in quatuor partes dissectum populi spectaculo exponebatur. Idem supplicium subiere die tertia Februarii Irolandus, Grove, & Pickeringus Jesuitæ, accusati, quod Regis necem decrevissent in Londinensi colloquio, cui sese die vigesima quarta Aprilis interfuisse mentiebatur Oates, cum tamen plurimorum testimonio Jesuitæ comprobassent, quod Oates eadem die Audomaropoli in Flandria fuerit. Adeo tamen apud Calviniano-Puritanos inferioris Curiæ Senatores prævaluit hujus scelerati

Sæc. XVII. A. C. 1678.

Sæc. XVII. A. C. 1678. authoritas ac teſtimonium, ut audaciæ die duodecima Decembris a Rege pe terent, quatenus Reginam Conjugem ſuam Witehalliam in exilium dema daret, unacum omnibus ejus dome ſticis, qui vel Catholici ſunt, ve huic ſectæ adhærere creduntur, di etiam vigeſima ſecunda Novembris bi centum Sterlingicas libras polliciti ſun ei, qui Jeſuitam aut Sacerdotem Ca tholicum caperet, ſimul etiam Londin effigiem Papæ, Diaboli & Georgii fe ferii aliorumque palam combuſſerunt quo auſu totque aliis argumentis lu luculenter comprobatum reddidere quod nullatenus conſpirationem, ſed ſub ementitæ conſpirationis obtentu re ligionem Catholicam infectati, atque exemplo nequidem inter barbaros au dito ad jugulandum Regem ſuum ipſo Regis gladio ſeu auctoritate uſi ſint. Hac temeritate Regem adegerunt, ut Tito Oati, qui annuas quingentas vi ginti ſterlingicas libras nimis exiguum ſuæ perfidiæ præmium eſſe querebatur duplo majus ſanguinis pretium conſti tueret, & Bedloo necnon Prance quamvis uterque ſe falſum dixiſſe fa eſſent, ob denuntiatos Godefroii homi cidas quotannis quingentas ejusdem monetæ libras numeraret, cunctosque Proteſtantes, qui quempiam Catholi cum

cum comprehenderunt, singulari favore, patrocinio & præmio honoraret: Insuper coram ipso Rege declararunt, quod fratris sui Eboracensis Ducis Religio, ejusque in Sedem Romanam studium conjuratis audaciam, ac seditionis consilia Nationi tantopere funesta inspirarit, quapropter Ducem ab Angliæ solio in perpetuum excludi denuo petebant. Denique adversus Regem, quod Danbyum Comitem falso accusatum libertati restituisset, vehementer querebantur, eumque omni legum severitate puniri postulabant, Sackwillum vero, quia humanius sese erga Catholicos gessisset, e Senatu expellebant, Regemque importunius urgebant, ut mortis sententiam contra Jesuitas, omnesque Sacerdotes Catholicos pronuntiatam illico executioni dari præciperet: Hos inter Hillus, & Greenus Sacerdotes Catholici die vigesima prima Februarii Thiburni laqueo necati sunt, quamvis constanter professi essent, se cædis in Godefroyum perpetratæ minime conscios esse: Berynm autem, qui de eodem crimine accusabatur, Senatores liberum dimisere, eoquod fidem Catholicam ejurasset, ita nempe, qui paulo ante ut Catholicus, homicida convictus erat, mox ut Calvinista, innocens ac probus audiebat. Die decima

Sæc. XVII. A. C. 1678.

Sæc. XVII. A. C. 1678. Maij Senatores in Wackemanum Reginæ Medicum, Guilielmum Marſchallum & Jacobum Corker Benedictinos, necnon in Rumleyum & Widdringtonum mortis ſententiam pronuntiarunt: die autem trigeſima prima ejusdem Menſis Pater Ludovicus, aliique tres Sacerdotes Catholici, eoquod Miſſam celebrarint, & ſermones ac catecheſes ad populum habuiſſent, in furcam acti ſunt: Præter hos adhuc plures alii Sacerdotes Catholici Calviniano furori immolati perierunt: poſtquam vero Puritani Senatores Sacerdotum cruore lætiati videbantur, in ipſos Proceres, quorum quinque Catholici in Londinenſi Turri jam integro biennio inclusi hærebant, barbaræ feritatis ſuæ ſpecimina edere feſtinabant: Ex hiis Proceribus Oates Stafordiæ Comitem accuſabat, quod in pluribus literis ad Jeſuitas datis, quas hic nequam in ſuis manibus habuiſſe mentiebatur, injurioſa contra Regem & regimen ob locutus fuiſſet, atque a Generali Jeſuitarum diploma recepiſſet, vi cujus Catholici exercitus ſupremus Theſaurarius fuiſſet nominatus: Hæc erant accuſationum capita, quæ adverſus hunc fidelisſimum Regis Miniſtrum protulit Oates: Aſt quis ſibi perſuadere poſſet, quod profligatiſſimus hic homo, qui Catho-

Sæc. XVII. A. C. 1678.

Catholicorum consortia ubique eo fine, ut eorum perniciem promoveret, se ubique studiose quæsiisse, totque literas conjurationis indices legisse, vidisse, & habuisse jactitabat, nunquam tamen vel ullam ejusmodi epistolam retinuerit, vel authenticum illius exemplum fieri procurarit, quarum vel unica, si eam in judicio proferre potuisset, accusatos legitime de conjuratione convincere potuisset? nihilominus tamen, quamvis infelix hic Comes suum accusatorem manifestis testimoniis jugulasset, & triginta & unum Proceres ex quinquaginta quinque, Comitem ab omni criminis suspicione liberum pronuntiassent, imo ipsemet Comes usque ad extremum vitæ momentum se innocentem mori, coram Deo profiteretur, nihilominus quia hujus Viri mors jam antea ad Catholicorum conjurationem populo persuadendam decreta fuit, die vigesima nona Decembris anno ætatis suæ sexagesimo octavo in Londinensi Turri capite plexus est, cui sententiæ Rex, quamvis de hujus Viri innocentia & fidelitate certissimus esset, ob animi pusillanimitatem subscripsit. Tenuit hæc laniena integrum triennium, intra quod quamplurimi ex Catholicis ignominiosa morte, horrendisque suppliciis e medio sublati sunt, ob unius

Sæc. XVII A. C. 1678.

omnium sceleratissimi testimonium a
alio ejusdem furfuris perdito homin
confirmatum, & quamvis hi testes to
ties sibimetipsis repugnassent, de falsi
tate convicti fuissent, ea, quæ jurat
affirmarunt, mox negarint, ac rursus
asseruerint, omnesque, qui ex horum
testimonio morti adjudicati sunt, se in
noxios esse palam confessi fuerint, &
quamvis publica horum confessio, non
accusantium malitia, contradictio, &
profligatissima Oatis recens de sodomi
convicti vita, necnon neglecta judici
legitimi forma, nulla accusationum
verisimilitudo, & probationum atque
idoneorum testium defectus atrocis-
mam hanc calumniam & iniquissim
excogitatam fabulam luce meridiana
clarius testarentur, nihilominus his om
nibus prævaluit præmeditatum Catho
licos exterminandi studium, & Catho
lici cruoris pretio emenda sectæ Calvi
nianæ libertas: certum autem est, quod
nullibi, quam in Anglia pro exequen
dis ejusmodi consiliis adeo execrand
media, scilicet insana calumniatorum
commenta, falsa unius alteriusve testi
monia, & mendacia adhibere licuisset
quis enim crederet, quod tam pudend
dam fabulam, & falsitatem inclytum
Parlamentum sua auctoritate fulcire vo
let, nisi Angliæ Annales præcipue in
Ma-

Maria Stuarta, & Carolo I. Regibus ejusmodi exempla elapsis retro annis suppeditassent, & ipsius Jacobi II. fatum postmodum scænam, quam Parlamentum præluſit, aperuisset: Dixisse sufficiat, quod Puritani, ex quibus hic Senatus potissimam partem constitit, crimina sua & machinationes in Reges, quas omni tempore adornaverant, Catholicis intorquere consueverint, de quibus haud immerito Richardus Thomsonius in Anglia Bristolienſis Præco hæc in concione quadam protulit: *Presbyteriani homines sunt ad istum modum comparati, ut vel diabolum ipsum eorum puderet; ipsis sacrificulis & Jesuitis sunt pejores, minusque tolerabiles: Presbyterianus, ut talis, haud minus perduellis est, jam Calvinus horrendum de interficiendis Regibus dogma omnium primus prædicavit: .... multi etiam de conjuratione spargunturrumores, sed præter Presbyterianam nulla exstat conjuratio &c.*

Sæc. XVII. A. C. 1678.

*Weisman. Hist. Eccl. t. 2. p. 1066.*

## §. XCI.

## *Ariana hæresis a Sandio innovata.*

Evocavit rursus ex orco Arii hæresin Christophorus Sandius junior patria Regino - Gradecienſis, qui Calvinianæ sectæ nausea correptus, ipsemet sibi Religionis systema procudere incæpit,

*Sand. Bibl. Antitr. pag. 150. Arnold. Hist. Hæret. part. 2. l. 17. c. 13. num. 25.*

Sæc. XVII. A. C. 1678. eoque ex fine hoc anno libellum, sub titulo: *Problema paradoxum de Spiritu ſancto* Coloniæ, ut titulus falſo præfert, reipſa vero Rotterodami edidit. Hic, ne Sabellianis, Samoſatenis, & Photianis acceſſiſſe videretur. Spiritus ſancti hypoſtaſin ac ſubſiſtentiam admittere ſimulabat, illam tamen in Sanctorum Angelorum genere, ſeu collectione ſpirituum bonorum conſtere fingebat: abſonam hanc ac monſtro ſimilem opinionem Orbi Literario examinandam propoſuit, egregie autem a Chriſtophoro Wittichio Lugdunenſi Theologo confutatus eſt edito libro, qui inſcribitur: *Cauſſa Spiritus ſancti, Perſonæ Divinæ, ejusdem cum Patre & Filio eſſentiæ contra problema paradoxum aſſerta, atque defenſa:* non deerant tamen Sandio abſonæ ſuæ opinionis Patroni, qui Wittichii libellum refellentes, Sandianæ ſententiæ duritiem emolire nitebantur, ac lutum luto purgantes aſſerebant, quod per Spiritum ſanctum intelligi poſſint plures præcipui ex Angelis v. g. ſeptem illi, de quibus in Apocalypſi agitur; verum his quoque Wittichius ora obturavit, demonſtrans, Spiritum eſſe ſummum Deum ejusdem cum Patre & Filio eſſentiæ.

§. XCII.

Sæc. XVII.
A C. 1678.

## §. XCII.

## *Hungaria denuo a rebellibus Calviniſtis infeſtata.*

Naſcitur hoc anno die vigeſima ſexta Junii ſummis Leopoldi Cæſaris ac Catholicorum votis exoptatus Filius Joſephus I. qui in ſpem Imperii, totiusque Domus Auſtriacæ præ ceteris Auguſtæ ac tot ditionum, dignitatumque acceſſu feliciſſimæ excrevit: quoniam vero nulla felicitas, nullumque fortunæ ac naturæ beneficium in terris ſine triſtitiæ fæcibus affundi ſolet, raroque Principum magnitudo adverſus æmulorum invidiam, & hæreticorum motus ſatis tuta eſt, ita quoque Sectarii ac præcipue Calviniſtæ ſub conſueto libertatis, religionisque tuendæ obtentu in Cæſaris perniciem hoc item anno conſpirabant; quamvis enim Cæſar de ſedandis rebellium Hungarorum tumultibus Viennæ ſedulo deliberaſſet, & Calviniani Proceres ad Regni comitia ſuos ablegaſſent Deputatos, nihilominus tamen, cum plenam ſuæ ſectæ libertatem, qua hucusque ad Auſtriacæ Domus exitium, & Catholicorum oppreſſionem abuſi ſunt, a Cæſare extorquere haud poſſent, hinc belli induciis omnino neglectis ad arma rediere, in-

*Theatr. Europ. tom.* II. *Jæger Hiſt. Eccl. l.* 8. *cap.* 7. Verwirrt. Ungarn. *p.* 239. 231.

Sæc. XVII A. C. 1678. humanisque direptionibus Hungariæ Regnum fœde devastarunt. Ad hanc vero perfidiam nuperis Torvalli Gallici Comitis literis, novis Töckelii Antisignani sui suggestionibus, Abafii Transylvaniæ Principis, necnon Poloniæ & Franciæ Regum auxiliis denuo excitabantur; igitur Hungarici Calviniſtæ auro & milite Gallico adjuti Cæsareis copiis ubique gnaviter obsistunt, illisque sæpius profligatis agros & oppida a Cæsareo milite obsessa deprædantur, necnon decem tormentis, validoque belli apparatu ex Transylvania submisso instructi, Mongatsiam arcem inopino impetu intercipere tentant: ast inde repulsi, Nagibaniam contendunt, ibidemque barbara crudelitate Catholicorum Templa dolabris, uncis & ligonibus aperiunt, Altaria evertunt, nihilque sacrum a suo furore intactum, nil integrum relinquunt: Matronas & Virgines stuprant, nec corporibus, nec cultu fœminarum abstinent, Regiam officinam monetalem diripiunt, atque incolas decem aureorum millibus extortis, ad homagium Töckelio præstandum vi adigunt. Nondum satiata libidine, ac Religionis odio insuper Ragotsium Principem Catholicum Arvæ intercipere, & Basserunam arcem occupare aggrediuntur; verum a Cæsareis

Sæc. XVII. A.C. 1678.

fareis ruditer excepti, non sine magna suorum clade retrocedere coacti sunt, captis Tribunis quamplurimis, ipsoque Gallico ærarii Præfecto, qui Cassoviam a Cæsareo milite abstracti sunt: Sub idem tempus quidam Josephus Jesuita, qui a Cæsareis ad rebellium castra deficiens, *Josue* nomen sibi imposuit, ac collectis suorum sex millibus in Cæsaris ditiones irruit, necnon rapinis & incendiis multas late regiones depopulatus est, omnique crudelitatum genere miseros incolas divexans, ipsos etiam Turcas ad barbaras ejusmodi direptiones incitavit: Töckelius quoque montanas Hungariæ superioris urbes occupavit, cæsis tamen suorum bis millibus a Wurmio, & Dunewaldo strenue repressus, suburbia Cassoviensia in cineres redegit, vicinaque oppida & pagos expilavit: pari etiam crudelitate Tockaiam urbem incontinenti incendio, occupatis quatuor propugnaculis delevit, atque Epereſium obsedit, mox tamen a Lesleo Cæsareæ militiæ Præfecto repulsus, ac mulctatus, Palfii Comitis oppida partim incendit, partim immodicis exactionibus exhausit; tandem vero a Dunewaldo & Esterhasio non una clade protritus, tantisper a grassando abstinuit: Paulopost successu Calvinianis rebellibus infausto

Polo-

Sæc. XVII. A. C. 1678.

Polonus quidam Bellidux cum ſuis in currus ter centum florenorum millibus, omnique belli apparatu, quem Hungaris Bethunius Gallicus in Polonia Legatus ſubmiſerat, onuſtos irruit, ac cæſis quatuor Gallicis Tribunis, diſſipatisque ceteris prædam ad Cæſareos reduxit, incaſſum Oratore apud Poloniæ Regem de violato fœdere querente. Tandem vero Cæſar, partim ſuorum ſubditorum ſortem miſertus, partim peſte per Regnum & Auſtriam graſſante territus, rebellibus Calviniſtis Regni comitia, præteritorum oblivionem, certisque in locis ſectæ exercitium ſpopondit: cum autem hi præter criminum oblivionem Eccleſiaſticos Regno excludi, omnia Templo reſtitui, ſectæ libertatem concedi, ſuæque Nationis Palatinum creari peterent, & ſolita ſua pertinacia aliis iniquis ſuis poſtulatis inſiſterent, idque a Cæſare denegatum eſſet, hi novis direptionibus atque incendiis omnia circumquaque poſita funeſtare perexerunt.

## §. XCIII.

## *Noviomagenſis pax.*

*Theatr. pac. part. 2. pag. 607. Hode Hiſt. de Louis XIV. l. 39.*

Ineunte hoc anno Carolus Angliæ Rex cum Batavis pacem Hagæ Comitum die decima Januarii eo fine conciliabat, ut

ut Franciæ & Hiſpaniæ Reges ad pacis conditiones, quas eis præſcripturus eſſet, eo facilius inclinaret. Verum Ludovicus XIV. ne quidem de induciis cogitans, accelerato rurſus immenſo belli apparatu in Belgium movit, ac Menſe Martio Gandavum & Ipras deditione cepit: pari etiam felicitate Læviam urbem ſcalis noctu admotis expugnavit: Crequius quoque Franciæ Mareſcallus Carolum Lotharingiæ Ducem, qui Friburgum recuperaturus, advenerat, cæſisque ad Rhenofelſam Cæſareis Offenburgo inſidiabatur, profligavit, demum vero capta Kellenſi munitione Argentoratum reverſus, totam ferme æſtatem crebris velitationibus alternante victoria & damno geſtis inſumpſit, ne ullo quidem commiſſo prælio: Lucemburgicus vero, qui Montes Hanoniæ obſederat, inde repulſus, a Principe Arauſionenſi ingentem cladem accepit, ſibi tamen victoriæ gloriam adſcripſit, quamvis tribus ſuorum millibus interfectis ſeſe in valla ſua noctu recepiſſet, & Arauſionenſis in acie perſiſtens, ſpolia legiſſet: Interea Franciæ Rex, ut diſtractis fœderatorum Principum viribus eo expeditius ſingulos opprimeret, his inconſultis pacem cum Batavis Noviomagi die decima Auguſti concluſit, reſtitutis utrin-

Sæc. XVII. A. C. 1678.

Sæc. XVII. A. C. 1678.

utrinque bello partis: cum ergo Hispani præter Gallorum arma etiam Batavorum potentiam sibi infestam cernerent, vel inviti oblatam a Gallis pacem iis, quas hi dictabant, conditionibus, die decima septima Septembris acceptare, & Franciæ Regi Menniam, Condatum & Burgundiæ Comitatum cum omnibus ditionibus ab eo dependentibus, necnon Dinantum cedere compulsi sunt. Verum Cæsar, Danus & Brandeburgicus Electores in præsenti rerum vicissitudine nil pace exitialius, nilque bello melius censebant: nihilominus Gallorum, aliorumque eis adhærentium violenta importunitate expugnatus Cæsar, die quinta Februarii anno sequenti fœdus sancivit, vi cujus innovata pace Westphalica Friburgum & Nancæium Gallo cessit, & Fürstenbergium Principem pristinæ libertati restituit: Vicissim vero Franciæ Rex Episcopum Tullensem nominandi jus, quod Clemens IX. Papa Regi indulsit, Innocentio XI. renuntiavit, & Carolo Lotharingiæ Duci cunctas ditiones ab ejus Patruo anno hujus sæculi septuagesimo possessas reddidit. Eadem quoque die Cæsar cum Carolo Suecorum Rege pacis leges firmavit, vi cujus Suecis restituta est Pomerania. Non omnibus hæc pax probabatur, ac

præ-

præprimis Bevilaqua Innocentii XI. Nuntius pacisque Interpres reclamabat, palam declarans, „quod quidem „in superandis maturandæ pacis difficultatibus nulli perpercerit labori, „non sine magno tamen animi sui mœrore compererit, quod contrahentes „juxta Westphalicæ pacis leges sua fœdera instruerent, quocirca ex Sanctitatis suæ mandato in procurando pacis negotio mox suas subtraxerit partes; ne vero ejus silentium pro consensu haberetur, hinc præsentibus „hisce palam faceret, quod sese eorum consiliis opposuerit, nunquam „consenserit, nec unquam consensurus „sit, imo ea, qua pollet, auctoritate „pacem Westphalicam, omnesque articulos, quibus ea confirmatur, reji„ciat, proin insuperhabitis his articulis a se reprobatis omnia sacræ Sedis „aliarumque Ecclesiarum jura salva & „integra permaneant.„ Sæc. XVII. A C. 1678.

Præterea Episcopus & Leodiense Capitulum reclamabant adversus articulum circa Ducatum Bullionium, quem ab Imperio segregatum esse, atque ab eo minime dependere obtendebant: Denique Tremolliani Duces coram Pontificis Nuntio se Carolinæ de Arragonia hæredes esse, ac recta ex linea a Friderico Neapolis Rege per Ferdinandum

Sæc. XVII. A. C. 1678.

dum exauctorato descendere, proin sibi jus in Neapolis Regnum competere declarabant: Lucemburgius quoque hujus nominis Ducatum ad suam Conjugem pertinere asserebat.

## §. XCIV.

## *Illustrium funera.*

*Relat. Hist. vit. & bell. Christ. de Gallen.*

Confecta jam pace Bernardus Christophorus de Gallen Monasterienſis Episcopus die vigesima nona Septembris anno Ecclesiastici regiminis sui vigesimo octavo, ætatis vero septuagesimo quarto animi fortitudine omnium exspectationem excedente supremum obiit diem, unice ingemiscens, quod necessitate adactus, suis subditis tam gravia onera imposuisset. Erat hic sane Præsul omnibus numeris absolutus, qui statim in exordio sui regiminis ad Sacra conversus, corruptos Cleri, gregisque sui mores per Synodos quamplurimas correxit, ac dissidia intestina, quæ ob armatam adversantium potentiam censuris extinquere haud poterat, gladio diremit, cumque Ecclesiæ suæ jura tueri studiosissimus, necnon Religionis Catholicæ assertor & vindex esset acerrimus, Batavos per integros sexdecim annos debellavit, Suecisque Stadiam, aliasque Bremensis Ducatus urbes

urbes eripuit. Postquam vero Bernardus fatis cesserat, Ferdinandus Fürstenbergius ejus Successor die vigesima nona Martii anno sequenti cum Franciæ, & Sueciæ Regibus Noviomagi pacem firmavit, vi cujus Præsul suas copias revocare, Suecoque omnia bello parta reddere cogebatur, vicissim vero præter promissos, nunquam tamen solutos centies mille aureos in damnorum compensationem nil amplius obtinuit; Brunsvicenses enim Principes, quicquid a Bernardo in Bremensi Ducatu fuit occupatum, sibi vendicarunt, incassum Cæsare restitutionem imperante: Insuper Fürstenbergio Episcopo Rex Franciæ promisit, se apud Regem Sueciæ effecturum, ut religionem Catholicam in eo statu, quo reperta est, dum Episcopus ditiones Sueco ereptas restituit, atque in eo, in quo An. 1624. ibidem fuit relinquat: Verum huic promisso in Suecis defuit operis constantia, fidesque, quam Catholicis non esse servandam, ipso opere testantur Protestantes. Hujus feraliaEpiscopi vestigia pressit Damianus Hartard de Leyen Moguntinus Archiepiscopus, atque Elector, die vigesima sexta Novembris denatus, cui successit Carolus Henricus de Metternich Wormatiensis Episcopus. Huic anno sequenti defuncto die septima

Sæc. XVII. A. C. 1678.

Sæc. XVII. A. C. 1678. Novembris suffectus est Anselmus Franciscus ab Ingelheim, Guilielmo Fürstenbergio alium Gallis faventem intrudere, incassum adlaborante. Decessit etiam die vigesimo quarto Aprilis Ludovicus VI. Hasso-Darmstadiensis Landgravius nonnisi annos quadraginta octo natus, quem pari fato ex eadem familia sequebatur die prima Septembris Ludovicus VII. qui dum Erdmuthan Dorotheam sibi desponsatam ad Regiam suam ducere parat, viginti annorum juvenis in itinere mortem sibi obviam habuit.

## §. XCV.

## *Trevirensis Synodi decreta.*

*Concil. Germ. tom. 10.* Hoc item anno Joannes Hugo Trevirensis Archiepiscopus, ac S. R. I. Elector die duodecima Februarii Dioecesanam habuit Synodum, in qua Parochis inhibuit, ne ulla laicorum bona aut emant aut hypothecæ titulo possideant, ne labem avaritiæ propterea incurrant, nec etiam medicinis vel venæ sectionibus mulierculas sanandas suscipiant: Abrogavit quoque masticandi vel sumendi tabacci usum, præcipue sub sacrificio Missæ ac Divinis officiis; monuit insuper Parochos, ut suos ad doctrinam catecheticam non mulctis pe-

cunia-

cuniariis, sed monitis & munusculis alliciant, & per seipsos concionentur, ac catechisent, & Dominica Passionis præceptum de annua Confessione & SS. Communione promulgent, ac declarent, licere confiteri Regularibus, eos teneri tamen testimonium factæ confessionis exhibere: Præcepit denique Parochis, ne ullam mentionem faciant stipendii, quando Sacramenta quovis tempore præcipue apud infirmos administrant: nec etiam invitis aut insciis Parentibus ullos conjungant, vel aliis Sedes in Templo vendant. Præscripsit quoque taxam eorum, quæ Parochus ob laborem functionum Parochialium petere possit.

Sæc. XVII. A. C. 1678.

## §. XCVI.

## *Tornacensis Synodi Decreta.*

Pari Pastoralis vigilantiæ studio animatus Gilbertus Choiselius Tornacensis Episcopus die vigesima sexta Aprilis hoc anno suam celebravit Synodum atque inter alia prohibuit, ne quis testamentum faciat cum expressa prohibitione, ne ejusmodi testamenti cognitio ad Judicem Ecclesiasticum spectet: statuit etiam, ut si quidam ab exiguo tempore in Parochia existentes matrimonium contrahere volunt, si

*Concil. Germ. tom.* 10. *pag.* 85.

Sæc. XVII. A. C. 1678.

nondum per integrum annum in hac Parochia commorati sunt, proclamationes fiant in Parochia ultimi domicilii, quod habuerunt intra eundem annum.

## §. XCVII.

## *Diœcesanæ Synodi Monasterienſis statuta.*

Quamvis sæpe laudatus Bernardus de Gallen Monasterienſis Episcopus mortem ſibi vicinam præsentiret, adhuc tamen hoc anno die vigesima secunda Martii pro more Pastoralem Epistolam ad ſuum Clerum ac gregem edidit, in qua præter alia commendavit, ut Neo- communicantes satis instructi seperatim ab aliis ad S. Synaxin accedant, recitatisque ex ambone eorum nominibus publica pro illis fieret oratio. Defuncto autem hoc Episcopo ejus Succeſſor Ferdinandus Fürſtenbergius Apoſtolici zeli hæres die undecima Octobris pariter Synodum convocavit, in qua Pontificiæ confirmationis ſuæ Bullam Clero ſuo intimavit, cunctosque ad reverentiam, obedientiam Episcopo debitam, & in prioribus Synodis decretorum obſervantiam sedulo inculcavit, nihil vero a prioribus diverſum decrevit.

§. XCVIII.

Sæc. XVII.
A.C. 1678.

## §. XCVIII.

## *Innocentii XI. Conſtitutiones Apoſtolicæ.*

Inter varias Conſtitutiones, quas Innocentius XI. hoc anno promulgavit, memoratu digna eſt illa, qua diſſidia inter Vicarios Apoſtolicos & Miſſionarios in Sinis exorta compoſuit, ac P. Emanuelem Ferreiram, Dominicum Fucitum, Joſephum Candonium, Bartholomæum Acoſtam aliosque tres Jeſuitas ex miſſione Indica Romam revocavit, omnibusque ſacris functionibus privavit: cunctis autem cujuscunque Ordinis atque inſtituti Miſſionariis certam juramenti formulam præſcripſit, quod ſi Indiarum Ordinarii vel Principes aut Reges Catholici deinceps de adminiſtratione Miſſionum, ſua jura & privilegia violari queſti fuerint, nolint ſeſe ingerere, ſed ſuo officio ad præſcriptum Sedis Apoſtolicæ defungi, in locis vero Vicariorum Apoſtolicorum nullos actus exercere (non obſtantibus quibuscunque Ordinis privilegiis) niſi prius a Vicariis accepta ſit approbatio & licentia: Jurare inſuper jubentur, ſe decretis Sedis Apoſtolicæ & Congregationis de Propaganda fide, ſine ulla disquiſitione, aut ſub vel obreptionis

*Bull. magn. Conſt. Innoc. XI. tom. 7.*

Sæc. XVII. A.C. 1678.

exceptione, illico parituros: Præcepit quoque ut deinceps omnes Catechistæ & Ecclesiarum Rectores a Vicariis constituantur, addita comminatione, ni pareant, fore, ut promulgata Constitutione omnes Jesuitæ ex Regnis Tonquini, Cochinchinæ, Cambriæ, Siami, ipsoque Sinarum Regno expellantur. Declaravit insuper Pontifex tanquam irrita cuncta, quæ Senatus Castellæ in Hispania contra Nuntium Apostolicum in Capitulo Clericorum Regularium non sine violatione immunitatis Ecclesiasticæ attentaverat. Denique statuit, quod Episcopo vel Prælato aut Vicario nec directe nec indirecte liceat sub quovis prætextu etiam donationis aliquod emolumentum exigere pro deputatione, examine vel approbatione Confessarii vel indulgentiarum, aut Altarium Privilegiatorum, aut facultate exercendi Pontificalia vel pro benedictione, consecratione, visitatione Ecclesiarum aut Oratoriorum &c.

## §. XCIX.

## *Diversæ Sacrarum Congregationum decisiones.*

*Decis. S. Rot. Concil. Rit. Congr.*

Occurrunt pariter varia Sacrarum Congregationum Romanarum decreta, inter quæ selegimus sequentia, ac

ac primo quidem Sacræ Rotæ Congregatio die vigesima septima Februarii decidit, quod Rector excommunicatus ab Episcopo ad hoc, ut se subjiciat novo examini, absolvendus sit, saltem ad cautelam, ut tuto se Divinis ingerere possit. Die autem septima Martii Sacra indulgentiarum Congregatio inter apocryphas Indulgentias annumeravit illam, quæ a Clemente X. concessa, falso dicebatur recitantibus *Angelus Domini* addito in fine: *Deo & Mariæ gratias:* nunc autem ejusmodi Indulgentiam vere concessit Benedictus XIII. Ejusdem Mensis die vigesima sexta S. Rituum Congregatio declaravit, quod Episcopus cogere possit Clericos beneficiatos, ut interfint publicis supplicationibus: pariter die vigesima secunda Maij a S. Concilii Congregatione declaratum, quod lethaliter peccet Regularis Concionator, qui absoluta ad crates concione, statim ipsas alloquitur Moniales, vel unam tantum ceteris audientibus, sine licentia, licet immisceat sermones cum quæstionibus, vel dubiis spiritualibus, aut materiis ipsius Concionis. Censuit quoque S. Rituum Congregatio, quod locorum Ordinarii ultra testes inductos a Postulatoribus, ipsi quoque teneantur inquirere ac examinare alios testes bene in-

Sæc. XVII. A. C. 1678.

Sæc. XVII. A. C. 1678.

structos super vita & moribus Servi Dei, & si aliquid repererint in contrarium, quod ipsis videatur relevans, supersedeant in ulteriore inquisitione, donec S. Congregatio, quid agendum, præscripserit. Declaravit quoque S. Rotæ Congregatio die prima Julii, quod approbatus ad confessionem ab alieno Ordinario, nequeat Confessiones excipere in propria civitate.

## §. C.

## *Sigismundi Chisii Cardinalis obitus.*

*Old. cont. Ciac. in vita Clem. IX. pag. 787. Eggs Purp. doct. p. 497.*

Vitæ suæ exitialem hunc annum habuit Sigismundus Chisius patria Senensis, qui decennis adhuc a Patruo suo Cardinale Flavio Chisio Romam evocatus, atque optimarum artium apparatu instructus, subcisivis horis vitæ & eruditionis haustæ rationem eidem quotidie reddere cogebatur: Posito hoc tyrocinnio in Ordinem Hierosolymitanæ militiæ adscriptus, tenue quidem pro tantæ fortunæ fastigio beneficium recepit ab Alexandro VII. Pontifice, nunquam tamen Purpuram ab eo obtinere potuit; hic enim Pontifex suos sibi sanguine junctos verius diligebat, quam ditabat: Eo autem mortuo a Clemente IX. Cardinalium Collegio adscriptus, ob raram doctri-

nam,

nam, virtutem, dignamque ſene prudentiam pluribus Patrum cætibus annumeratus eſt, totumque tempus, quod publicis ejusmodi officiis ſupererat, Sacrarum literarum Studiis, præſertim Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, ſanctorumque Patrum evolvendis lucubrationibus impendit. Denique in omni congreſſu, alloquio & actione tam prudenter, ſobrie, ac laudabiliter ſe geſſit, ut conſtans in ore omnium ſermo eſſet, Sigismundum Cardinalatus honorem fortunæ beneficio, vim vero & virtutem propriis meritis debere. Pari etiam juſtitiæ ac integritatis laude Ferrarienſis Legati dignitatem ſuſtinuit, ac triennio poſt Romam reverſus, graviſſimisque Eccleſiæ negotiis admotus, contracto ex nimia intenſione morbo vigeſimo nono ætatis ſuæ anno die tertia Aprilis beato fine deceſſit, mitiore fato, ac longiore vita digniſſimus. Sæc. XVII. A.C. 1678.

## §. CI.

## *Bonacurſius Bonacurſi Cardinalis mortuus.*

Hujus Cardinalis fatum præceſſerat Bonacurſius Bonacurſi Nobilis Picenus, qui ſub domeſticis Rectoribus humaniores literas uberrimo profectu didicit; cum autem ſcholarum fre- *Ciacon. in vita Cle. IX.*

Sæc. XVII. A. C. 1678. quentia plus valeat, quam privata disciplina, hinc ad Perusinam Academiam missus, sacratioribus scientiis, quæ ad firmius ætatis robur reservatæ sunt, operam dedit acri ejus ingenio, & insatiabili discendi cupidini respondentem. Postea Doctoratus laurea insignitus, Romam venit, ubi editis pluribus præclaræ indolis ac eruditionis speciminibus varias dignitates & munia in Aula Pontificia adeptus est, ac demum Flavio Chisio in Gallica Legatione comes, postea ipsus Purpura decoratus, Legationem Bononiensem difficillimis temporibus, summa prudentia, comitate, vigilantia & integritate administravit usque ad ultimum obitus sui diem, scilicet primum Aprilis, quo ætatis suæ annum sexagesimum expleverat: Posteris reliquit inter alia ingenii sui monumenta varias epistolas ad diversos, decreta pro Cleri reformatione, & præter duas orationes Synodales præclara statuta pro Diæcesi Bononiensi.

## §. CII.

## *Nerii Corsini Cardinalis decessus.*

Hujus funesta vestigia pressit Nerius Corsinus Patricius Florentinus, qui a pueritia ad adultam usque ætatem libera-

beralibus disciplinis Romæ imbutus, in variis Italiæ Academiis Juris utriusque studio vacabat, demum vero obtenta Legum laurea Romanæ Curiæ animum adjecit, ac Cameræ Apostolicæ Clericus, & Damiatensis Archipræsul renuntiatus, pro obeunda Legatione Gallica Avenionem contendit, ubi tamen ab Innocentio X. subsistere jussus, grave dissidium inter Nobiles & plebejos exortum non sine utriusque partis satisfactione feliciter extinxit, atque in rei bene gestæ testimonium ab eodem Pontifice Insulam Aretinam, aliaque Sedis Apostolicæ munia, ab ejus vero Successore ærarii Pontificii Præfecturam, & demum Romanam Purpuram adeptus est. Hac dignitate conspicuus Legationem Ferrariensem obiit, qua absoluta Romam redux, in pluribus Patrum cætibus doctrina, & miro in dicendis sententiis judicio ac promptitudine eminuit: demum vero, ut eo liberius Deo, sibique serviendo tranquille mortem oppetere posset, abdicato Episcopatu Aretino Roma Florentiam secessit, ubi etiam post vitam sancte transactam, ac facultates potissimum pauperibus testamento relictas die decima nona Septembris animam Deo reddidit. Sæc. XVII. A. C. 1678.

§. CIII.

Sæc. XVII. A.C. 1678.

## §. CIII.

### *Quorumdam Scriptorum religione Catholicorum Lucubrationes & fata.*

*Du Pin nouv. Bibl. tom. 12. Melang. Hiſt. Priet. annal. cont.*

EX Scriptoribus Catholicis hoc anno defunctis primum locum ſibi vendicat Joannes Launoyus Sorbonæ Doctor, qui quidem eruditione, ac antiquitatum cognitione eminuit, in criticis tamen ſuis obſervationibus moderationis limites non raro, etiam cum diſpendio veritatis transgreſſus eſt: inſuper non modo deſperatis, ſed & iniquis cauſſis pertinaciter patrocinari ambiebat, atque in quibusdam Theologicis quæſtionibus tam parum ſcoriam ab auro ſegregare ſollicitus erat, ut, teſte ipſo Arnaldo, de illo dici haud poſſit, quod fuerit *amans veri, falſi oſor certus & index*, quinimo ad tantam criticæ licentiæ intemperiem prolapſus, ut cælo & terræ veluti terrorem incuſſurus, plures Sanctos calamo ſuo ex Paradiſo ſolus deturbarit, quam decem Pontifices Bullis ſuis ad Aras extulerunt: ſuſpecta habebat cuncta Eccleſiæ martyrologia, ac ſingulos Sanctos, ſicut milites viritim coram ſuo Belliduce recenſeri ſolent, ad cenſum vocavit, ſuæque cenſuræ ſubjecit: unde Pariſienſis Parochus ad S. Eu-

S. Eustachium de eo dicere assueverat, se semper cum Launoyo, quoties ei obviam fieret, detecto, atque in terram inclinato capite loqui, ne sibi suam quoque Ecclesiam eriperet: Adeo tamen sacra Inquisitionis Romanæ Congregatio acutam Launoy crisin non verebatur, ut viginti octo ejus opusculis proscriptionis stigma inureret: nec tamen inficias imus, multa a Launoyo acrius, liberiusque perstricta, suoque ævo propterea rigidis censuris damnata, moderni sæculi genio probari, atque non pauca, quæ olim pia credulitas ac servilis amor vetustatis & consuetudinis diu receptæ a falsitatis suspicione tutaverat, suæ crisis ope novum veritatis lumen accepisse. Ceterum Launoyus edidit plusquam septuaginta opuscula, quæ ferme ubique recensita inveniuntur: Falso autem eidem Auctori adscribitur tractatus *de vera traditione Ecclesiæ circa Prædestinationem & gratiam.* Obiit Parisiis die decima Martii annos natus septuaginta septem. II. Sertorius Ursatus scripsit monumenta Patavina, marmora erudita, commentarium de notis Romanorum, Historiam Patavinam, tractatum de excellentia S. Antonii de Padua, Historiam Sacram de Episcopis Patavinis, pluraque alia. III. Joannes Baptista Nani

Sæc. XVII. A. C. 1678.

Sæc. XVII. A. C. 1678.

Nani posteris reliquit insignem Historiam Reipublicæ Venetæ, ob cujus præstantiam nulli melioris notæ Scriptorum secundus audivit: edidit quoque Paraphrasin in Lucani Pharsaliam, & notas in Taciti Annales. IV. Nicolaus Alexandre Benedictinus elucubravit Medicinam & Chirurgiam Pauperum, & Dictionarium Botanicum & Pharmaceuticum. V. Gabriel Marletta Ord. FF. Præd. typis vulgavit septem tomos de controversiis ad primam partem D. Thomæ VI. Ascanius Maria de Crispo ejusdem Instituti prælo subjecit conclusiones de S. Scriptura præter volumen de S. Scriptura more scholastico. VII. Sebastianus Fantonus Carmelita edidit Historiam Avenionensem & Venesinam, necnon tractatum de annulo pronubo B. V.

## §. CIV.

## *Scriptorum Acatholicorum opera atque extrema.*

*Carol. memor. p. 210. Weism. Hist. Eccl. p. 865.*

His quoque subjungimus ex Scriptoribus Acatholicis celebriores hoc anno denatos, quos inter primus erat Abraham Heidanus, omnis correptionis impatiens, & cartesianæ Philosophiæ tantopere addictus, ut propterea a Principe Arausionensi cathedra Leydensi

denſi exauctoratus eſt, quam injuriam non aliter ulciſci poterat, quam effuſis querelis contra miſerum ſtatum Belgicarum ſuæ ſectæ Eccleſiarum, & exoſo libello, cui titulus: *conſiderationes ad res geſtas in Academia Lugduno-Batava*, inſuper ſcripſit librum *de origine errorum*, in quo ſuperbia Paſtore indigna hæc verba contra catechiſationes effutiit: *Haud decorum eſt, Paſtorem ſenem, & canitie venerabilem conſpici præſidere tam puerili cœtui, in quo nulli adhuc reperiuntur idonei auditores Ethices &c.* Exſtat quoque ipſius *corpus Theologiæ Chriſtianæ*, necnon examen catechismi Remonſtrantium. II. Daniel Claſenius poſteris reliquit opuſcula de religione politica, de oraculis Gentilium, de juramento necnon exercitationes in Paſſionem Dominicam. III. Carolus Ortlob edidit Encænia Salomonæa, diſputationes de Cruce & ſepulcro Chriſti, necnon de Apparitionibus dæmonum contra Papiſtas, ac de monte olivarum, & ritu jejuniorum. IV. Abraham Woodhead ſcripſit Doctorem in controverſiis, tractatum de Gubernatione Eccleſiarum, de vita & morte Chriſti, de adoratione Salvatoris in Euchariſtia, pietatem Romanam & Phariſaicam, Paraphraſin in Apocalypſin & opuſculum de ſanctimonia vitæ.

Sæc. XVII. A. C. 1678.

Sæc. XVII. A. C. 1679.

vitæ. V. Joachimus Stegmanus edidit brevem disquisitionem circa SS. Trinitatis hostes, demonstrationem Christianæ veritatis: commentaria in Evangelium S. Joannis, & magnum amicum honesti. VI. Adamus Nicolai publici juris fecit carmen Græcum de Passione, morte & sepultura Christi, de notitia Dei acquisita, & de Vesta Barbara &c. VII. Henricus Kipping scripsit Historiam universalem, auctarium ad Pappi epitomen Historiæ Ecclesiasticæ, exercitationes de S. Scriptura, librum de Cruce & Cruciariis, exercitationes de creatione, & antiquitates Romanas.

## §. CV.

## *Innocentii XI. Papæ decretum contra quotidianam Communionum.*

*Argentre Coll. Jud. t. 3. p. 346. Vid. supra l. 200. §. 67. t. 60. p. 712.*

Ineunte hoc anno Domini millesimo sexcentesimo septuagesimo nono Innocentius XI. Pontifex Maximus tollendis omnibus corruptelis, perversisque doctrinis penitus eliminandis immoto studio institit: Adhucdum autem acriores controversiæ circa librum *de frequenti communione* inter Doctores fervebant, cujus contentionis primam occasionem dederat Petrus de Iesmaisons Jesuita Gallus, qui in exiguo tractatu ex

ex Actis Apoſtolorum c. 2. v. 4. 6. Baſileenſi & Tridentina Synodo, & ex S. Thomæ aliorumque Patrum auctoritate frequentem commendabat communionem. Verum, ut diximus, Arnaldus hunc tractatum refellens, præfatum Jeſuitam de SS. Patrum dictis perperam allegatis arguebat, eidem objiciens, quod Arnoldi Carnotenſis Sermonem de Cœna Domini S. Cypriano, Auguſtini verba S. Hilario, Genadii Maſſilienſis & D. Ambroſii dicta Auguſtino & Theophylacti verba Athanaſio adſcripſiſſet, ac inſuper oſtendere nitebatur, quod quamvis in primitiva Eccleſia frequens communio fuerit uſitata, & alii ſingulis Dominicis, alii aliquoties per hebdomadam, alii etiam quotidie S. Cæna uſi fuerint, nihilominus ſancti Patres dignam præparationem urgere non deſtiterint, nec omnes promiſcue ad cænæ uſum eſſe admittendos monuerint. Tum divulgato Arnaldi libro, quamvis hic ſexdecim partim Archipræſulum partim Epiſcoporum, necnon viginti quatuor Theologorum elogiis munitus eſſet, mox varii contra illius doctrinam calamos ſuos acuerunt, atque inter alios præcipue Petavius eam inſectatus eſt, & Theophilus Raynaldus Arnaldum in tractatu adverſus frequentem commu-

Sæc. XVII. A. C. 1679.

*Bevereg. in Cod. Can. vind. l. 2. c. 3. §. 4. & ſeqq.*

*Tom. 4. p. 217. Tom. 18. op.*

Sæc. XVII. A. C. 1679.

nionem fidelium pietati frigidam affe- diſſe, & panem quotidianum Euchari- ſticum in annotinum, & tardiorem ad- huc commutaſſe &c. ſcripſit: Enim- vero Franciæ Epiſcopi datis ad Urba- num VIII. & Innocentium X. literis Ar- naldum vindicare nitebantur, ac quos- dam Romam ablegabant, qui præpedi- rent, ne hic liber cenſura Romana con- figeretur, nihilominus anno hujus ſæ- culi ſexageſimo tertio omnia illius exem- plaria, quotquot a Typographo non- dum fuerant divendita, Pariſiis palam flammis tradita fuere, ac ipſemet Ar- naldi liber anno ejusdem ſæculi nona- geſimo ab Alexandro VIII. cenſura per- ſtrictus eſt: Attamen eodem zelo, quo Eccleſia Sacræ Communionis uſum ni- mis infrequentem damnavit, etiam In- nocentius XI. quotidianæ Communio- nis uſum, aliasque ejusmodi corrupte- las eandem comitantes abrogare vo- luit, quapropter Sacræ Congregationi Cardinalium Concilii Tridentini Inter- pretum die decima quinta Februarii præcepit, ut ſequens decretum pro- mulgaret: „Cum ad aures ſanctiſſimi „D. N. fide dignorum teſtimonio per- „venerit, in quibusdam diæceſibus vi- „gere uſum quotidianæ Communionis „etiam in feria ſexta paraſcevæ, & ſimul „affirmari, eandem quotidianam com-

„mu-

„munionem præceptam esse a jure di- Sæc. XVII.
„vino; quin etiam in illius adminiſtra- A. C. 1679.
„tione aliquos abuſus inoleviſſe, vi-
„delicet, quod aliqui non in Eccleſia,
„ſed in privatis oratoriis, & domi, imo
„cubantes in lecto, & non laborantes
„ulla gravis infirmitatis nota ſumant
„ſacroſanctam Euchariſtiam, quam ar-
„gentea theca incluſam in crumena aut
„ſecreto illis deferunt Sacerdotes ſæ-
„culares, aut Regulares, aliique in
„communione accipiant plures formas,
„ac particulas, vel grandiores ſolito;
„ac tandem quis confiteatur peccata ve-
„nialia ſimplici ſacerdoti non approbato
„ab Epiſcopo aut ordinario. Cum au-
„tem hæc Sanctiſſimus conſideranda
„commiſerit S. Congregationi Cardina-
„lium Concilii Tridentini interpretum,
„eadem S. Congregatio, prævia ma-
„tura diſcuſſione ſuper prædictis una-
„nimi ſententia ita cenſuit. Etſi fre-
„quens, quotidianusque ſacroſanctæ
„Euchariſtiæ uſus a SS. Patribus fue-
„rit ſemper in Eccleſia probatus, nun-
„quam tamen aut ſæpius illam perci-
„piendi, aut ab ea abſtinendi, certos
„ſingulis menſibus, aut hebdomadis
„dies ſtatuerint, quos nec Concilium
„Tridentinum præſcripſit, ſed quaſi
„humanam infirmitatem ſecum reputa-
„ret, nihil præcipiens, quid cuperet

Sæc. XVII. A. C. 1679.

„tantum indicavit; *cum*, inquit, opta-
„*ret quidem ſacroſancta Synodus*, ut in
„*ſingulis miſſis fideles adſtantes ſacramentali*
„*Euchariſtiæ perceptione communicarent*;
„idque non immerito; multiplices enim
„ſunt conſcientiarum receſſus, variæ
„ob negotia ſpiritus alienationes, multæ
„e contra gratiæ, & Dei dona parvulis
„conceſſa, quæ cum humanis oculis
„ſcrutari non poſſumus, nihil certe de
„cujusque dignitate, atque integritate,
„& conſequenter de frequentiori aut
„quotidiano vitalis panis eſu poteſt
„conſtitui. Et propterea, quod ad ne-
„gotiatores ipſos attinet, frequens ad
„ſacram alimoniam percipiendam ac-
„ceſſus, Confeſſariorum ſecreta cordis
„explorantium judicio eſt relinquen-
„dus, qui ex conſcientiarum puritate,
„& frequentiæ fructu, & ad pietatem
„progreſſu Laicis negotiatoribus, &
„conjugatis, quod proſpicient eorum
„ſaluti profuturum; id illis præſcribere
„debebunt. In conjugatis autem hoc
„amplius animadverterent, cum B.
„Apoſtolus nolit eos invicem fraudari,
„niſi forte ex conſenſu ad tempus, ut
„vacent orationi, eos ſerio admoneant,
„tanto magis ob ſacratiſſimæ Eucha-
„ſtiæ reverentiam continentiæ vacan-
„dum, puriorique mente ad cæleſtium
„epularum communionem eſſe conve-
„nien-

„niendum. In hoc igitur paſtorum di-
„ligentia potiſſimum invigilabit, non
„ut a frequenti aut quotidiana ſacræ
„communionis ſumptione, unica præ-
„cepti formula aliqui deterreantur, aut
„ſumendi dies generaliter conſtituan-
„tur, ſed magis, quid ſingulis permit-
„tendum per ſe, aut Parochos ſeu
„confeſſarios ſibi decernendum putet:
„illudque omnino provideat, ut nemo
„a ſacro convivio, ſeu frequenter, ſeu
„quotidie acceſſerit, repellatur; & ni-
„hilominus det operam, ut unusquis-
„que digne, pro devotionis & præpa-
„rationis modo, rarius aut crebrius
„Dominici Corporis ſuavitatem degu-
„ſtet. Itidem Moniales quotidie S. Com-
„munionem petentes admonendæ e-
„runt, ut in diebus ex earum ordinis
„inſtituto præſtitutis communicent, ſi
„quæ vero puritate mentis eniteant, &
„fervore ſpiritus ita incaluerint, ut
„dignæ frequentiori aut quotidiana
„ſanctiſſimi ſacramenti perceptione vi-
„deri poſſint, id illis a Superioribus
„permittatur. Proderit etiam præter
„Parochorum & Confeſſariorum dili-
„gentiam, opera quoque concionato-
„rum uti, & cum eis conſtitutum ha-
„beri, ut cum fideles ad ſanctiſſimi
„ſacramenti frequentiam (quod facere
„debent) acceſſerint, ſtatim de magna

Sæc. XVII. A. C. 1679.

„ad illud sumendum præparatione ora-
„tionem habeant, generatimque osten-
„dant, eos qui ad frequentiorem aut
„quotidianam salutiferi cibi sumptio-
„nem devoto studio excitentur, de-
„bere, sive Laici negotiatores sint, sive
„conjugati, sive quicunque alii suam
„agnoscere infirmitatem, ut dignitate
„sacramenti, ac divini judicii formi-
„dine discant cæleſtem mensam, in qua
„Christus est, revereri: & si quando
„se minus paratos senserint, ab ea ab-
„stinere, seque ad majorem præpara-
„tionem accingere. Episcopi autem,
„in quorum Diæcesibus viget hujus-
„modi devotio erga sanctissimum sacra-
„mentum, pro illa gratias Deo agant,
„eamque ipsi adhibito prudentiæ & ju-
„dicii temperamento alere debebunt,
„& ab eorum officio postulari, sibi ma-
„xime persuadebunt, nulli labori aut
„diligentiæ parcendum, ut omnis irre-
„verentiæ & scandali suspicio in veri
„& immaculati agni perceptione tolla-
„tur, virtutesque ac dona in sumenti-
„bus augeantur. Quod abunde con-
„tinget, si ii, qui devoto hujusmodi
„studio, divina præstante gratia tenen-
„tur, seque sacratissimo pane frequen-
„tius refici cupiunt, suas vires expen-
„dere, seque probare cum timore &
„charitate assueverint. Quibus Chri-
„stum

„ſtum Dominum, qui ſe fidelibus man- Sæc. XVII.
„ducandum, & ſe pretium in morte A.C. 1679.
„tradidit, atque in cæleſti Regno ſe
„præmium eſt daturus, precatur ſacra
„Congregatio, ut ſuam opem ad di-
„gnam præparationem, & ſumptionem
„largiatur. Porro Epiſcopi & Parochi,
„ſeu Confeſſarii redarguant aſſerentes,
„communionem quotidianam eſſe de
„jure divino, doceant in Eccleſiis ſeu
„oratoriis privatis, ex diſpenſatione,
„ſeu privilegio Pontificis de manu ſa-
„cerdotis ſumendam ſanctiſſimam Eu-
„chariſtiam, nec eam ullo modo defe-
„rendam in crumena, aut ſecreto ad
„exiſtentes domi, vel cubantes in lecto,
„quam ad infirmos, qui ad illam ſuſci-
„piendam ad loca prædicta accedere
„non valeant, & ad eos, ſi ab Eccleſia
„deferatur, publice, & cum pompa
„juxta formam Ritualis Romani; ſi
„vero ab Oratorio privilegiato, cum
„forma decenti. Curent etiam, ut circa
„communionem feria ſexta paraſcevæ,
„Miſſalis Rubricæ, & Eccleſiæ Roma-
„næ uſus ſerventur. Inſuper admo-
„neant, nulli tradendas plures Eucha-
„riſtiæ formas ſeu particulas neque
„grandiores, ſed conſuetas: non per-
„mittant, ut venialium confeſſio fiat
„ſimplici ſacerdoti non approbato ab
„Epiſcopo aut ordinario, ſi parochi &

Sæc. XVII. A. C. 1679.

„Confeſſarii etiam Regulares, aut quicunque alii ſacerdotes ſecus egerint, „ſciant Deo optimo Maximo rationem „reddituros eſſe, neque defuturam Epiſcoporum & Ordinariorum juſtam ac „rigoroſam animadverſionem in contra facientes, etiam Regulares, etiam „Societatis Jeſu, facultate ipſis Epiſcopis, & Ordinariis per hoc decretum, „per ſedem Apoſtolicam ſpecialiter attributa.„

„Et facta de promiſſis omnibus ac „de verbo ad verbum relatione, ſanctitas ſua approbavit, ac præſens decretum typis dari ac publicari voluit: „In quorum &c.„

## §. CVI.

## *Varii libri a ſacra Indicis Congregatione damnati.*

*Abregé Chron. de l'Hiſt. Eccl. tom. 3. Argentre l. c. p. 352.*

Eodem hoc anno die vigeſima ſeptima Septembris S. Indicis Congregatio ſequentes proſcripſit libellos. I. *Vindicata diſciplina in Senonenſi Diœceſi uſtata circa impoſitionem publicæ pœnitentiæ propter peccata publica.* II. *Novum Teſtamentum Chriſti Domini juxta editionem Vulgatam Gallice redditum unacum differentiis a textu Græco.* III. *Specimina Moralis Chriſtianæ, & moralis Diabolicæ, Authore R. P. F. Ægidio Gabrieli S. T.*

*S. T. B. F. Tertii Ordinis S. Franciſci de Pœnitentia vulgo Beggardorum.* Præce- Sæc. XVII. A. C. 1679.
„pit igitur ſacra Congregatio, ut dein-
„ceps nemo cujuscunque gradus aut
„conditionis exiſtat ſub pœnis in ſacro
„Concilio Tridentino, & indice libro-
„rum prohibitorum contentis illos im-
„primere, vel imprimi curare audeat,
„aut apud ſe quomodocunque retinere,
„aut legere, & ſub eisdem pœnis, ut
„quicunque illos habeant, vel deinceps
„habituri ſint, eosdem ordinariis loco-
„rum, ſeu Inquiſitoribus ſtatim a præ-
„ſentis decreti notitia exhibere teneantur: & hoc ubicunque, & quando-
„cunque, & in quovis idiomate fue-
„rint impreſſi, vel in poſterum forſitan
„eos imprimi contingat.„

Ceterum Ægidii liber Gallice redditus denuo Anno 1683. die ſecunda Septembris novo decreto damnatus eſt.

Præterea Sacræ Inquiſitionis Congregatio die vigeſima tertia Novembris duas proſcripſit propoſitiones ſequenti decreto: „Cum delatæ fuerint duæ
„propoſitiones, ſcilicet, *Deus donat nobis omnipotentiam ſuam ut ea utamur, ſicut aliquis donat alteri villam vel librum:* „Et, *Deus ſubjicit nobis ſuam omnipotentiam*; eorundem juſſu per Theologos
„ad id ſpecialiter deputatos diligenter
„examinatæ fuerunt. Quorum votis

Sæc. XVII. A.C. 1679.

„auditis & re ſanctiſſimo D. N. relata, „& coram ſua Sanctitate propoſita, „unacum votis ipſorum Eminentiſſimo„rum & Reverendiſſimorum Domino„rum S. R. E. Cardinalium, ſanctitas „ſua decrevit & mandavit, ut ambæ pro„poſitiones omnino prohiberentur, ſicut „eas præſenti decreto damnat & pro„hibet, ut temerarias & minimum ut „novas: mandatque, ne quisquam „deinceps, cujuscunque ſit gradus, or„dinis aut conditionis, illas, vel illa„rum alterutram audeat imprimere, „vel inprimi facere, ſive ſcriptis aut „etiam oretenus docere, vel afferere; „ſub pœnis & cenſuris in indice libro„rum prohibitorum contentis, aliisque „ſanctitati ſuæ bene viſis.„

## §. CVII.

### *Innocentii XI. Papæ ſtudium in extirpandis noxiis doctrinis.*

*Carol. mem. pag 224. Argentre Coll. Jud. pag. 374.*

Jam ſupra meminimus, non modo Franciæ Epiſcopos apud ſummum Pontificem de corrupta morum doctrina queſtos eſſe, ſed etiam Lovanienſem Academiam quosdam Romam ablegaſſe, qui non tantum cenſuras contra Leſſii doctrinam de gratia jam Anno 1587. vibratas confirmari, ſed inſuper ſexaginta quinque propoſitiones ex Je-

ſuita-

Sæc. XVII. A.C. 1679.

ſuitarum libris potiſſimum excerptas proſcribi contenderent: cum autem ſummus Pontifex controverſias haſce impoſito ſilentio ſopitas reſuſcitare, haud conſultum cenſeret, diſertam & manifeſtam præfatæ cenſuræ approbationem Lovanienſibus concedere renuit, propoſitiones tamen unacum aliis, quas Franciæ Præſules denuntiarunt, hoc anno die ſecunda Martii ab Generali Inquiſitionis Congregatione damnari juſſit, ſequenti decreto: „Sanctiſ„ſimus D. N. Innocentius Papa XI. „prædictus ovium ſibi a Deo credita„rum ſaluti ſedulo incumbens, & ſa„lubre opus in ſegregandis noxiis do„ctrinarum paſcuis ab innoxiis, a fe„licis recordationis Alexandro VII. „prædeceſſore ſuo inchoatum proſequi „volens, plurimas propoſitiones par„tim ex diverſis, vel libris, vel theſi„bus, ſeu ſcriptis excerptas, & partim „noviter adinventas, Theologorum plu„rium examini & Eminentiſſ. Reveren„diſſ. D. Cardinalibus contra hæreti„cam pravitatem generalibus inquiſito„ribus ſubjecit. Quibus propoſitioni„bus ſedulo & accurate ſæpius diſcuſ„ſis, eorundem Eminentiſſimorum Car„dinalium & Theologorum votis per „ſanctitatem ſuam auditis. Idem San„ctiſſimus D. N. re poſtea mature con„ſide-

Sæc. XVII. A.C. 1679.

„ſiderata ſtatuit, & decrevit pro nunc „ſequentes propoſitiones, & unam- „quamque ipſarum, ſicut jacent, ut „minimum tanquam ſcandaloſas & in „praxi pernicioſas eſſe damnandas & „prohibendas; ſicut eas damnat & pro- „hibet. Non intendens autem Sancti- „tas ſua per hoc decretum alias pro- „poſitiones in ipſo non expreſſas, & „Sanctitati ſuæ quomodolibet, & ex „quacunque parte exhibitas, vel ex- „hibendas ullatenus approbare.„

*Jæger Hiſt. Eccl. l. 9. cap. 1.*

His præmiſſis ſacra Congregatio ſexaginta quinque propoſitiones, quas damnavit, recenſuit, illas vero huc adducere, ſupervacaneum videtur, eo quod paſſim ubique reperiantur, & Jægerus in ſua Hiſtoria Eccleſiaſtica illas referat unacum allegatis Auctoribus, ex quibus decerptæ fuerunt. Poſtmodum ſacra Congregatio ita proſequebatur: „Quicunque autem cujusvis „conditionis, ſtatus, & dignitatis il- „las, vel illarum aliquam conjunctim, „vel diviſim defenderit, vel ediderit, „vel de eis diſputative, publice, aut „privatim tractaverit, vel prædicaverit, „niſi forſan impugnando, ipſo facto „incidat in excommunicationem latæ „ſententiæ, a qua non poſſit (præter- „quam in articulo mortis) ab alio qua- „cunque etiam dignitate fulgente, niſi „pro

„pro tempore existente Romano Pon- Sæc. XVII.
„tifice absolvi.„ A.C. 1679.

„Insuper districte in virtute S. Obe-
„dientiæ & sub interminatione divini
„judicii prohibet omnibus Christi fide-
„libus, cujuscunque conditionis digni-
„tatis & status, etiam speciali, & spe-
„cialissima nota dignis, ne prædictas
„opiniones, aut aliquam ipsarum ad
„praxin deducant.„

„Tandem, ut ab injuriosis conten-
„tionibus, seu scholastici, aut alii qui-
„cunque in posterum se abstineant, &
„ut paci & charitati consulatur, idem
„sanctissimus in virtute S. Obedientiæ
„eis præcipit, ut tam in libris impri-
„mendis ac manuscriptis quam in The-
„sibus, disputationibus ac prædicatio-
„nibus caveant ab omni censura &
„nota, necnon a quibuscunque con-
„viciis contra eas propositiones, quæ
„adhuc inter Catholicos hinc inde con-
„troverruntur, donec a S. Sede re-
„cognita, super eisdem propositioni-
„bus judicium proferatur.„

Ceterum insuperhabito Pontificis decreto Pater Hurtado Jesuita sub prætextu Innocentianum decretum explicandi plures ex damnatis propositionibus unacum P. Gobat & Tavernio in suo Theologiæ compendio propugnavit, & alii ex eadem Societate palam asserebant,

Sæc. XVII. A. C. 1679.

rebant, propositiones ab Innocentio damnatas, fuisse aut arbitrarie confictas, aut ita falsificatas, ut tales Theologorum nullus unquam propugnarit: ast idem quoque Jansenistæ circa quinque Jansenii propositiones a Pontificibus damnatas asserebant.

## §. CVIII.

## *Apamiensis Episcopus graviter vexatus.*

*Abregé de l'Hist. Eccl. t. 10. p. 432.*

Interim Franciscus Caulet Apamiensis Episcopus ob constantiam, qua fidei Regaliarum extensioni opposuerat, gravissimis premebatur vexationibus: Expilatur ejus Palatium Episcopale, abripiuntur omnia etiam necessaria, adeo, ut ad extremam redactus paupertatem, nonnisi eleemosyna a probis erogata vitam sustentaret; & ne id quidem sat tutum erat; ipsa enim hæc pietas beneficis crimini dabatur, quinimo & P. de la Chaise, Regem urgebat, ut Pelletierum Detrouches, qui afflicto Episcopo pecuniam submiserat, in jus vocari juberet, cui tamen Rex hæc respondit, *absit, ut me regnante dicatur, quempiam ob datam eleemosynam fuisse castigatum:* Solabatur equidem Pontifex calamitate fractum Præsulem, datisque ad eum literis die quarta Januarii

nuarii de hujusmodi adverſis ei gratu- Sæc. XVII.
landum potius, quam dolendum cen- A.C. 1679.
ſebat, eoquod copioſa illi ſeges enaſceretur exercendæ virtutis & conſtantiæ Paſtoralis: Excitabat quoque illum Dei promiſſo, eoquod tribulationem pro ipſius cauſſa patienti cæleſtem opem, ac tandem mercedem magnam nimis haud defuturam ſciret. Denique ſignificabat, quod datis literis Regem rogarit, ut Regii Senatus decreta temperare, atque Eccleſiarum indemnitati conſulere velit.

## §. CIX.

## *Innocentii XI. literæ ad Archiepiſcopum Toloſanum.*

Novum autem Pontifici mæroris argumentum acceſſit, dum ſuffragante ipſomet Joſepho de Monpezat Archiepiſcopo Toloſano Monialibus Ordinis ſanctæ Claræ, quæ *Urbaniſtæ* vulgo vocabantur, quædam Monialis in perpetuam Abbatiſſam Regalium nomine armata vi obtrudebatur: Tum enim oppreſſæ hæ Moniales querulas ad Papam literas dederunt, ipſiusque opem ſummis precibus implorarunt: quocirca etiam Innocentius XI. Pontifex die decima octava Januarii ad præfatum Archiepiſcopum ſequentem dedit

Sæc. XVII. A. C. 1679.

dit epiſtolam: „Delatæ nuper ſunt ad
„nos querelæ Monialium Ordinis ſanctæ
„Claræ Urbaniſtarum in Tholoſana ci-
„vitate, graviter dolentium, & dolo-
„rem ſuum in paternum ſinum noſtrum
„multis cum lacrimis deponentium,
„ut acciſis ac pene perditis rebus earum
„præſentem opem pro Apoſtolici mune-
„ris Noſtri debito afferamus: per hos
„enim dies ad illud Monaſterium ve-
„niſſe Monialem quamdam magno co-
„mitatu, militum etiam cohorte ſtipa-
„tam, ut Abbatiſſatus perpetui poſſe-
„ſionem invaderet, prætextu Regiæ
„Nominationis, nulli juri, aut conſue-
„tudini, nulli Apoſtolico indulto ſub-
„nixæ: ſe quidem ad inuſitatæ rei ſpe-
„ctaculum primo attonitas, mox col-
„lectis animis, & implorata cæleſti
„ope, quacunque ratione licuit, reſi-
„tiſſe, ne immunitati Eccleſiæ, & in-
„ſtituto Ordinis ſui Apoſtolica author-
„tate firmato, tam inaudita, ac tam
„pernicioſi exempli injuria inferretur;
„ſed ſuperante vi militum cedere tan-
„dem coactas, effractisque foribus &
„pariete ipſo, liberum multis ſæculari-
„bus aditum patuiſſe, cum quibus in-
„greſſos quoque milites violenter ibi,
„& ſacrilege multa patraſſe, magno
„cum totius civitatis indignatione &
„ſcandalo, fraternitate autem tua,
„quæ

„quæ par omnino erat, ut venientibus „lupis paſtorale pectus opponeret, non „ſolum non repugnante, ſed ultro eos „quodammodo invitante, & Monaſte- „rium edito Decreto per vim recludi „jubente. Inhorruit ad tam indignæ „rei nuntium animus noſter, adeoque „monſtro ſimilis viſa eſt, ut quamvis „aliunde quoque eadem afferrentur, „vix tamen perſuadere nobis potuiſſe- „mus, Archiepiſcopum Toloſanum, „inſpectantibus religioſiſſimis, fortiſſi- „misque Galliæ Epiſcopis, & Gallia „univerſa, eo progreſſum fuiſſe, ut „Dignitatis ac muneris ſui oblitus, „nullo horribilium cenſurarum, & cæ- „leſtis iræ metu, nulla famæ reveren- „tia tanto facinori, pro quo impedien- „do animam ipſam, boni paſtoris exem- „plo, ponere debuiſſet, non ſolum non „reſiſteret, ſed etiam ſuffragaretur; „niſi memoria teneremus, quid duo- „bus abhinc annis in negotio Regaliæ, „ut nuncupant, ubi de Apamienſi Ec- „cleſia Toloſanæ Suffraganea ageba- „tur, decernere auſus fueris contra „manifeſtam cauſſæ juſtitiam, contra „omnes humani divinique juris regu- „las, contra ipſius Eccleſiæ totiusque „provinciæ tuæ jura, & libertatem, „& contra morem prædeceſſorum tuo- „rum, aliorumque Præſulum, qui in „ſi-

Sæc. XVII. A. C. 1679.

Sæc. XVII. A. C. 1679.

„similibus casibus Regiæ voluntati at-
„que indignationi, ne muneri suo de-
„essent, obviam fortiter eundo, & Dei
„causſam strenue curando, læta & sa-
„lutaria Ecclesiis suis responsa ab in-
„genita Christianissimorum Regum jus-
„stitia, & pietate retulere. Officii ita-
„que nostri esse duximus, gravem ac
„plane acerbum ea de re animi Nostri
„sensum tibi aperire, teque in Domino
„monere, ut diligenter consideres, quo
„in periculo sis divinæ experiundæ vo-
„tionis, quam facile provocabunt ge-
„mitus tot lectissimarum Virginum,
„quarum vitæ innocentia & candor,
„atque assiduus divinarum laudum con-
„centus deliciæ quodammodo sunt cæ-
„lestis Sponsi, cui sacrosancto & indis-
„lubili vinculo conjunctæ fuere, nisi
„quamprimum emendatis, quæ ab-
„missa sunt, misericordiarum Patris
„clementiam demereri studueris. Alio-
„quin Nos, pro Vicaria Christi Domini
„in universam Ecclesiam potestate, qua
„fungimur, quamquam indigni, im-
„merentesque, & pro sollicitudine,
„quam debemus unicuique Christi fi-
„delium ad paternum patrocinium ne-
„strum confugienti, cogemur de op-
„portunis remediis serio cogitare.

§. CX.

Sæc. XVII.
A.C. 1679.

## §. CX.

## *Apamienſis Epiſcopi querelæ ad Ludovicum XIV. Franciæ Regem.*

Interim Regii Miniſtri cunctos, qui Ecclesiarum immunitatem a Regaliis tutabantur, inhumana prorſus crudelitate, Rege aut ignaro, aut ſiniſtris adulatorum criminationibus prævento, divexarunt; præterquam enim, quod Apamienſem Epiſcopum omni ærumnarum genere oppreſſiſſent, inſuper etiam Eccleſiæ ſuæ Canonicos, qui tamen ob Religioſam profeſſionem ſtabiles Eccleſiis inſervire tenebantur, ignominioſe in exilium detruſerunt, eisque laicos aut ætate aut moribus juvenes, imo etiam pueros recens a ſcholis eductos, nec Sacris Ordinibus initiatos ſubrogarunt, ac Regularem Canonicorum Eccleſiam ad Laicorum conditionem reducere moliti ſunt, pluraque alia prorſus indigna non ſine maximo Eccleſiæ damno, & populi offenſione perpetrarunt. Quapropter Epiſcopus neceſſarium duxit, ut de tot malis ac violentiis Regem certiorem redderet, atque ab eo remedium depoſceret; hæc igitur ad illum die ſexta Junii perſcripſit: „Quintus decimus jam menſis „agitur, cum omnes Epiſcopatus mei

*Tract. de Regal. pag. 519. Gall. vindic.*

Sæc. XVII. A. C. 1679.

„proventus, qui videlicet patrimonium „Christi sunt, & ex meris decimis con„flantur, subtrahuntur mihi, & tamen „toto hoc tempore nihil eorum omisi, „quæ ad omnes officii mei partes ex„plendas necessaria videbantur. Enim„vero nullius culpæ mihi conscius sum, „ob quam meritus hanc pœnam viden„possim, nisi quod juramentum fideli„tatis jam ante quatuor & triginta an„nos Majestati Vestræ præstitum inscribi „non fecerim: & plane testari possum, „non hoc ex minori aut observantia, „aut veneratione erga Majestatem Ve„stram proveniisse, sed ex solo offendendi „Numinis metu, si juramentum illud „violassem, quo conservandis juribus „ac privilegiis Ecclesiæ meæ, cum Epi„scopali dignitate insignirer, tam so„lemniter, sancteque me obstrinxi; ju„ramentum inquam illud, quo pro ju„ribus, ac libertate Ecclesiæ sponsæ „Jesu Christi tuendis, facultates ac vi„tam, imitatione tot aliorum sancto„rum, qui idem jucundissimo animo „præstiterunt, profundere compelleret. „Nunquid enim Majestati Vestræ æ„quum videtur, ut cum pro sustinendis „rationibus principum hujus mundi tot „hominum millia intrepide morti oc„currant, nullus tamen sit, qui pari „ardore ac firmitate Ecclesiæ caussas „am-

„amplexetur? & quam infelix princi- Sæc. XVII.
„pum conditio fuerit, ſi, cum homines A. C. 1679.
„ſint, ideoque & errare ipſi, & ſeduci
„ab aliis poſſint, cogamur tamen eo-
„rum voluntati ac imperiis obtempe-
„rare, etiam cum aliqua jubent divinis
„legibus adverſa? quin potius credide-
„rim ego, nullum majus aut amoris
„aut fidelitatis argumentum in Princi-
„pem ſuum fore, quam ſi male aliquid
„agenti, jubentive (quod ſæpe ignari,
„præterque intentionem faciunt) co-
„operari nolit, ac criminis ſocietatem
„recuſet. Et abundant plane cum ſa-
„cræ, tum profanæ hiſtoriæ Epiſcopo-
„rum, procerumque Regiorum exem-
„plis, qui cum Dominis iniqua impe-
„rantibus generoſe obſtitiſſent, gratia
„apud Principem magis, magisque flo-
„ruerunt. Hæc Majeſtati Veſtræ tam
„ſunt nota, ut iis immorari non ſit ne-
„ceſſe. Adulantur plane Majeſtati Ve-
„ſtræ, qui perſuadere ei conantur, Re-
„galiam jus eſſe ejus coronæ ac Regiæ
„poteſtati annexum, cum tamen, ſi
„brevitas epiſtolæ debita non prohibe-
„ret, facile demonſtratu eſſet, nihil
„aliud eſſe Regaliam, quam privile-
„gium contra primævam Eccleſiarum
„libertatem principibus conceſſum, id-
„que tam certum, & apud omnes in
„confeſſo eſt, ut intrepide aſſeverare

Sæc. XVII. A. C. 1679.

„possim, nunquam nisi ultimis hisce „diebus de hac veritate dubitatum esse. „Sed nec jus Regaliæ percipiendæ Ma„jestati Vestræ hactenus adscriptum „fuit, nisi ipsa aut possessionem memo„riam hominum excedentem, aut pri„vilegia ostendisset Lugdunensi Conci„lio antiquiora. Hoc enim a quatuor „jam sæculis in Galliis receptum sub „pœna excommunicationis districte pro„hibuit, ne Regalia ad Ecclesias ab hac „servitute hactenus liberas (inter quas „est Apamiensis) extenderetur.„

„Hæ sunt ergo rationes, quibus ju„stitia illius caussæ nititur, quam ego „defendendam suscepi; & possum Ma„jestati Vestræ affirmare, tam esse il„lam omnibus æqui bonique amanti„bus perspectam, probatamque, ut „nullum mirandi finem faciam, fuisse, „qui Majestatem Vestræ hæc omnia „hactenus celaverint; imo post summi „etiam Pontificis super hoc argumento „Majestatis Vestræ significatas inten„tiones pergant nihilominus tanti mo„menti veritates, ac Principi tam æ„quo rerumque intelligenti, alienis „falsisque coloribus fucare, multoque „aliter, quam se habent, proponere.„

„Me administratione omnium pro„ventuum spoliarunt, idque tam in„clementer, ut nequidem vitæ neces„saria

„saria reliquerint, quæque etiam fla- Sæc. XVII.
„gitiosissimis permittuntur, cum ta- A. C. 1679.
„men jus necessaria a subditis perci-
„piendi ex lege divina proveniat; ne-
„que id sit meræ gratuitæque fidelium
„liberalitatis, sed potius actus necessa-
„riæ justitiæ, ac obligationis a Christo
„subditis impositæ, ut videlicet tem-
„poralia præstent, a quibus Verbi di-
„vini ac sacramentorum spiritualia ali-
„menta a fidelibus petendi Apostolus
„competere fatetur; nec dubium est,
„ab Apostolis ad Episcopos legitimos
„eorum successores transisse. Nulla
„ergo potestas humana oraculo Christi
„Domini derogare potest, asserentis:
„*Dignum esse mercenarium mercede sua*;
„& Apostoli: *neminem suis stipendiis mi-*
„*litare, & eum, qui oves pascit, ab ovi-*
„*bus vicissim pascendum esse*, pronuntian-
„tis. Quod ergo Episcopi necessaria
„vitæ a subditis suis, hoc est proven-
„tus Episcopales recipiant, juris est
„naturalis, divinique. Nunc vero pa-
„rum fuit Majestatis Vestræ ministris,
„ut me septuagenarium Episcopum,
„ac morbis conflictantem, omnibus
„Episcopatus mei proventibus spolia-
„rent, nisi etiam omnia quoque subsi-
„dia, quæ a Capitulo meo Cathedrali
„exspectare debebam, æque subduce-
„rent; nam ex duodecim Canonicis,

Sæc. XVII. A. C. 1679.

„qui Collegium hujus meæ Ecclesiæ „componunt, novem plane abdicarunt, „nulla nec servitiorum, quibus alii „quindecim, alii viginti annos de sua „Ecclesia bene meriti sunt, habita ra„tione, nec votorum, Religiosæque „professionis, quæ illos ob promissam „stabilitatem uni Ecclesiæ adstringit, „nec vagari permittit. Taceo excessus „ultimæ crudelitatis, in eosdem Cano„nicos exercitæ, quæ uti omnes justi„tiæ & humanitatis leges perverte„runt, ita fidem superarent, nisi do„cumenta præsto essent, adeo certa & „indubitata, ut credere etiam inviti „compellantur. Quodsi quæras, quod„nam tandem sit illud crimen, quod „plecti meruit tam indignis tamque in„humanis modis? illud unum affertur, „quod videlicet Deum offendere vere„bantur, si Ecclesiæ non obtemperas„sent, ac censuras contempsissent, quas „ego ex præscripto sacrorum canonum „iis comminari sum coactus, qui Re„galiam meæ Ecclesiæ imponere cona„bantur, cum tamen compertissimum „sit, eam semper intra terminos juris „communis, liberamque stetisse. Sed „quod omnem admirationem superat, „illud est, Canonicis, quos Regii mi„nistri expulerant, alios suffectos esse „ex omni fere Gallia, ac sine delectu „con-

„conductos, aut videlicet alterius in- Sæc. XVII.
„stituti, ac Religionis socios, aut om- A. C. 1679.
„nino Laicos, aut ætate, ac moribus
„juvenes, quique ut ipsimet fatentur,
„nulla re minus quam Ecclesiasticæ
„vitæ desiderio tanguntur, & denique,
„quod plane omni exemplo caret, pue-
„ris e Collegio recens eductis, nec sa-
„cris ordinibus, ob immaturam æta-
„tem, adhuc aptis Canonicatus & di-
„gnitates conferuntur, nulla aut in-
„eundi Tyrocinii, aut emittendæ pro-
„fessionis imposita necessitate, quod
„plane nihil aliud est, quam Ecclesiam
„ab origine ac fundatione sua Regula-
„rem sine Authoritate Pontificis Ec-
„clesiæ capitis ad conditionem sæcu-
„larem reducere. Sed & illud ad ma-
„lorum cumulum addidere, ut videli-
„cet major pars proventuum ad capi-
„tulum cathedrale spectantium in ex-
„pensas plane inutiles consumerent,
„nulla ornandæ Ecclesiæ, nulla suble-
„vandorum pauperum cura; imo ut
„omni obligatione pauperes adjuvandi
„deinceps absolverentur, sententiam
„seu Arrestum a Majestatis Vestræ Con-
„silio impetrarunt, quo constitutio mea
„abolebatur; ea vero modicam aliquam
„Eleemosynam indixerat ad solatium
„trium parochiarum pauperum, unde
„mille & octingentarum librarum pro-

Sæc. XVII. A. C. 1679.

„ventus legebantur. Quis unquam „perſuadere ſibi potuiſſet, ſub principe, „& catholicæ religioni ac juſtitiæ tam „addicto, utramque tamen tam aperte, „nulloque pudore, & tanto tempore „violatam eſſe? Non omiſi quidem pre„ces, lacrimasque miſcere, ut reme„dium tot malis impetrarem; ſed ne „videar aut metu, aut negligentia meâ „precibus defuiſſe, illud adjungo, ut „throno etiam Majeſtatis Veſtræ ſup„plex advolvar, eamque qua maximâ „licet, Veneratione ac demiſſione com„pellem, dignetur Eccleſiam Apamien„ſem æque ac alias hujus provinciæ „Diæceſes in hanc usque diem hacte„nus liberam, nativæ ac canonicæ im„munitati relinquere; nec patiatur ca„pitulum meum cathedrale, quod ha„ctenus cum tanta ædificatione ac „fructu vitam regularem duxit, ad ſæ„cularem ſtatum dilabi. Jubeat demi„que, juxta Apoſtolicas ac Canonicas „regulas, liberam mihi, plenamque „proventuum Epiſcopalium adminiſtra„tionem reſtitui: Nam ſi Regum Gal„liæ præcipua gloria ac decus fuit, ut „in eorum ſinu, quoties Epiſcopi affli„gerentur, tutam ſtationem ac aſylum in „ſuis perſecutionibus & ærumnis inve„nirent. Cur ſperare non liceat, Ma„jeſtatem Veſtram non permiſſuram, „ut

„ut ego, quem ſemper teſtimonio e- Sæc. XVII.
„tiam hujus provinciæ fideliſſimum ha- A.C. 1679.
„buit, tot deinceps calamitatibus pre-
„mar? Cæterum utcunque res meæ
„cadant, nunquam ego ceſſabo pro Ma-
„jeſtatis Veſtræ, ejusque Regiæ fami-
„liæ incolumitate divinam bonitatem
„implorare.„

## §. CXI.

## *Ejusdem Epiſcopi literæ ad Pariſien-ſem Archiepiſcopum.*

Eadem die Franciſcus Apamienſis Præſul Franciſcum de Harlay Pariſienſem Archiepiſcopum, cujus impulſu Rex Narbonenſis Provinciæ Eccleſias juri Regaliæ ſubjecerat, dedocere, atque ad mitiora inclinare nitebatur, datis ad eundem hiſce literis: „Toti Galliæ perſuaſum eſt, illuſtriſſi-
„mam Dominationem Veſtram non pa-
„rum contuliſſe ad novam Regis decla-
„rationem, qua omnes Regni Gallici
„Eccleſiæ ſubdi Regaliæ jubentur. Cre-
„diderim vero, communem hanc opi-
„nionem ex eo fluxiſſe, quod illuſtriſ-
„ſima Dominatio Veſtra operam, Au-
„thoritatemque ſuam in comitiis Cleri
„Gallicani, quibus ipſa præſidebat, non
„ſolum non impenderit, eumque ut
„Regi ſupplicaret, permoverit, (id
„quod

Sæc. XVII. A.C. 1679

„quod D. Epiſcopus Alectenſis nuper „defunctus datis ad eadem comitia li„teris enixe petierat) verum etiam ne „id fieret, elaboraverit, utique ea ra„tione permota, quod Eccleſiarum ma„ſtrarum jus nec tam clarum, nec tanti „momenti eſſe crediderit, quam revera „eſt. Enimvero naturalis inclinatio, „qua omnes afficimur Principem de„merendi, ignoratio quoque juris Re„galiæ, qua plerosque laborare ſapien„tiſſimi quoque Pariſienſium confiten„tur (nunquam enim hæc materia e„tiam ab iis Epiſcopis, quorum mani„me intererat, ſatis examinata & di„ſcuſſa fuerat) ac denique uſus Rega„liæ in quibusdam Eccleſiis urbi Pari„ſienſi vicinis receptæ: hæc inquam „omnia forſan effecere, ut illuſtriſſimam „Dominationem Veſtram ea veritas la„teret, quam nunc omnes intelligunt, „qui modo hoc argumentum matura„omnique affectu liberi examinarunt. „Cum ergo nihil glorioſius ſit, quam ſi „legitimæ rationes ſuppetant, ſenten„tiam mutare, omnino de Illuſtriſſimæ „Dominationis Veſtræ generoſitate po„liceor mihi, eam pro Authoritate, „qua apud Regem præcipue floret, „effecturam, ut is ad conſervanda pri„vilegia ac jura Eccleſiarum animum „adjiciat, exemplo videlicet tot ma„gno-

„gnorum Principum Majestatis suæ „prædecessorum, qui ut potentia & „gloria apud posteros florerent, pie„tate ac religione sua a Deo impetra„runt. Ipsique historiarum scriptores „nihil aliud habuere, quo magis glo„riam commendarent, quam quod ho„norem Ecclesiæ, quam matris loco „venerabantur, privatis Coronæ ipsius „causis ante haberent. Et vero per„suasum habeo, ipsum Regem, quippe „justum rerum æstimatorem, quemad„modum consilium, quod illi exten„dendæ Regaliæ suggessistis, zelo ejus „augendæ potentiæ, Vestræque in „eum fidelitatis probandæ adscripsit; „ita vicissim, cum explorata jam veri„tate in aliam eum sententiam flectere „laborabitis; æquitati id Vestræ ma„gnoque amori adscripturum, quo ejus „æternæ salutis, veræque gloriæ pro„movendæ flagratis. Nec fieri a vobis „aliud poterit, quo magis divinam be„nedictionem in vos Vestramque Eccle„siam provocetis, quodque omnes in „hoc gallico regno æqui bonique a„mantes majori gaudio afficiat; imo „quod ipsius Regis gratiam bonamque „opinionem magis vobis conciliet: is „enim ingenue agnoscet, negotiorum „multitudinem, quæ animum Vestrum „distringunt, impedimento fuisse, ne „has

Sæc. XVII. A. C. 1679.

Sæc. XVII. A.C. 1679

„has Regaliæ materias adeo obſcuras
„implexasque, & a communi jure ab-
„ludentes, examinare Vobis licuerit,
„& tamen ne partibus meis deeſſem,
„ego illas datis ad Regem & Archi-
„epiſcopum Toloſanum literis clare ex-
„poſui; nunc tantum illud adjungo,
„ex communi receptaque omnium ju-
„ris-conſultorum opinione: *Omnia li-*
„*bera præſumi, niſi contraria ſervitus pro-*
„*betur;* quæ veritas, ſi in aliis omnibus
„locum habeat, multo maxime circa
„Eccleſias procedit. Nunc ergo ſi ra-
„tiones, & Authoritates rite expen-
„dantur, quæ pro Regaliæ ſervitute
„Eccleſiis imponendæ in medium affe-
„runtur, id unum ſufficiet, ut æquitas
„cauſſæ appareat, quam ego defende-
„dam ſuſcepi; ſi enim ab uſu & anti-
„qua poſſeſſione præſcindas, alia, quæ
„cumulari in hanc rem ſolent, ſunt om-
„nium ſapientium ſententia non infirma
„ſolum & inania, ſed etiam riſu digna.
„Cum ergo nec in mea Diæceſi, nec
„in aliis quampluribus Eccleſiis uſus
„& antiqua conſuetudo probari poſſint,
„ſequitur, non poſſe illis, niſi ſacrilego
„uſurpatione Regaliæ ſervitutem im-
„poni: quodſi circa hanc rem dubium
„aliquod ſuperſit, nihil moror, ut illi
„Deo juvante quamprimum abundeque
„ſatisfaciam. Cæterum tam multa &
„fin-

„ſingularia generoſitatis & amicitiæ „argumenta ab Illuſtriſſima Domina- „tione Veſtra jam accepi, & ſi iſta de- „eſſent, notitia, quam habet de vo- „luntate Romani Pontificis, deque ſa- „crorum canonum decretis, quæ Præ- „latis in Principum Aulis verſantibus „ſeveriſſime prohibent, ne in ſuarum „Eccleſiarum ſuorumque Coepiſcopo- „rum imo omnium inferioris etiam „conditionis Clericorum detrimentum „attentare aliquid audeant, id quod in „concilio Avenionenſi anno Chriſti mil- „leſimo trecenteſimo vigeſimo ſexto ſub „Joanne XXII. cap. 25. & in alio etiam „Avenionenſi ſub Benedicto XII. Anno „1337. cap. 20. repetitum eſt: hæc, „inquam omnia ſecurum me, certum- „que reddunt, Illuſtriſſimam Domina- „tionem Veſtram præ omnibus priva- „tis affectibus, quæ alias morari eam „poſſent, cauſſam Eccleſiæ amplexu- „ram eſſe, & interim &c.„ Sæc. XVII. A. C. 1679.

## §. CXII.

### *Literæ Apamienſis Epiſcopi ad P. de la Chaiſe Regis Confeſſarium.*

Quoniam vero Apamienſi Epiſcopo haud ignotum erat, quod P. de la Chaiſe, Jeſuita, qui Regi a confeſſionibus erat, ob anathema nuper in tres

Sæc. XVII. A. C. 1679

tres Jesuitas vibratum adhucdum praevatum dolorem sentiret, nullam ab eo opem sperabat, ac propterea nullas quoque ad eum literas hucusque dederat: cum autem antea arcto amicitiæ vinculo huic Jesuitæ junctus esset, nunc vero ab eo mutata rerum viciſſitudine graviſſimis moleſtiis premeretur, hinc non deerant amicorum nonnulli, qui Epiſcopum urgerent, ut eidem datis literis illatæ violentiæ iniquitatem exponeret, ſupplex, quatenus Regi, cujus animo dominabatur, hanc cauſſam impenſius commendaret: Tergiverſabatur dudum Epiſcopus, Societatis offenſam nonnihil offendentis exitio reſtingui propriæ experientiæ teſtimonio edoctus: ceſſit tandem amicorum importunitati, ac die decima quarta Junii has ad eundem perſcripſit literas:

*Gall. vind. pag. 263.*

„Jam dudum animo propoſueram „admodum reverendam Paternitatem „Veſtram literis convenire; ſed ne id „facerem, duas præſertim ob cauſſas „prohibitus ſum; primo enim verebar, „ne operam perderem, & nihil ferendo proficerem; deinde ne ſi coquerer, quas a Paternitate Veſtra „ſufferre moleſtias cogor, ipſa privatos „potius dolori, quam æquitati zeloque „Immunitatis Eccleſiaſticæ conſe-

„va-

„vandæ eas querelas adſcriberet. Ne „tamen ulla in re partibus meis de- „fuiſſe viderer, aut aliquid inexpertum „reliquiſſe, bonæ cauſſæ libertatique „Eccleſiæ a Divina Providentia mihi „commiſſæ promovendæ, ſtatui ami- „corum conſiliis cedere, & ſi quid ob- „tineri poſſet, hac quoque epiſtola ex- „periri, deinceps exitum hujus cauſ- „ſæ, & tam ſubſtantiam, quam mo- „dum ipſum ex animo integreque Deo „commiſſurus, ut is videlicet juxta „præſcriptum, legesque Divinæ ſuæ „Providentiæ omnia moderetur. Equi- „dem ſi aut contra Paternitatem Ve- „ſtram, aut ejus Societatem privatis „odiis ac ſimultatibus concitarer, ſcit „ipſa, quam multæ præclaræque occa- „ſiones abundaverint, juſtum animi „mei dolorem conteſtandi, neque ab „ullo mortalium id mihi vitio verti po- „tuiſſet; quippe non mea, ſed verita- „tis ac juſtitiæ, imo boni publici cauſſa „agebatur; & malui Charitatis, Chri- „ſtianæque Prudentiæ rationem ha- „bere, nec prius ſilentium abrumpere, „quam neceſſitas loqui me cogeret.„

Sæc. XVII. A. C. 1679.

„Plane cum Paternitatem Veſtram „& Chriſtianam eſſe, & Religioſam co- „gitabam, nunquam perſuaderi pote- „ram, & niſi aut ipſa, aut ejus Socie- „tas aliqua in re offenſa a me eſſet,

Sæc. XVII. A. C. 1679.

„adeo vindictæ avidam fore, ut eam „tanto Divinæ Gloriæ ac immunitatis „Ecclesiasticæ dispendio quæreret.„

„Reminisci adhuc potest, cum eam „conveniendi Parisiis occasio fuisset, „vidissemque globo Ecclesiasticorum in „cinctam, ejus favore Beneficia captan„tium, dixisse mihi: *Hos esse lupos præ„dæ insidiantes.* Qua ergo conscientia, „quæ gregi ovium innocentium alendo „debebantur, rapacibus lupis ipsa pro„jecit? imo ne exspectavit quidem, ut „fauces aperirent prædæ expetendæ, „sed etiam eorum famem prævenit; „cum enim Canonici Ecclesiæ meæ vi„tam Regularem profiteantur, quam „ego Apostolica auctoritate Regisque „auspiciis feliciter restitui, ii, qui in Be„neficiis Ecclesiasticis nihil aliud quam „proventus opesque affectant, nullo „plane cura Canonicatuum tangebantur, quibus Paupertatis vitæque com„munis obligatio incumbit. Sed Pa„ternitas Vestra illis animos addidit, „oblata spe eos Canonicatus ad vitam „sæcularem revocandi, idque se effe„cturam promisit.„

„Eadem quoque Patris Ferrieri in„tentio fuerat, vitam Regularem in „Ecclesia mea abolere volentis; id vero „quam a Divina voluntate alienum „fuerit, satis intelligere Paternitas „Ve-

„Veſtra ex iis difficultatibus potuit, Sæc. XVII.
„quæ Romæ & alibi ſuperari non po- A. C. 1679.
„tuere: non ergo capere poſſum, ex
„quibus rationibus animum ipſa adje-
„cerit operi deſtruendo, quod Patres
„etiam Societatis, quorum utique te-
„ſtimonia ſuſpecta habere non poteſt,
„approbare conati ſunt, ac ſæpe con-
„fiteri, illud in Dei gloriam, Diæceſis
„utilitatem, totiusque Eccleſiæ ædifi-
„cationem redundare; niſi forte eas-
„dem ob cauſſas delendæ vitæ Regu-
„lari accincta eſt, ob quas non eſt ve-
„rita palam jactare, id quoque majori
„Dei gloriæ acceſſurum, ſi jam pridem
„Eccleſiam meam Regii clauſiſſent.
„Quo ergo, mi Pater, demiſſa illa ve-
„neratio, & cæca obedientia avolavit,
„quam Societas Veſtra Apoſtolicæ Sedi
„hactenus profeſſa eſt? video enim co-
„nari vos deſtruere, quod illa ædifi-
„cavit; idque non ſolum ſine Sedis
„Apoſtolicæ auctoritate, ſed etiam
„contra illam. Obſervatum enim eſt
„in ultimis Codicillis, quos Paterni-
„tas Veſtra pro obtinendis Eccleſiæ
„meæ Canonicatibus expediri fecit,
„omiſſam fuiſſe clauſulam, addi alias
„ſolitam, qua videlicet, qui hujus-
„modi beneficia impetraverant, ju-
„bebantur habitum Regularem aſſu-
„mere, Tyrocinium experiri, ac deni-

Sæc. XVII. A. C. 1679.

„que Profeſſionem emittere. Qui ergo
„non omnino cæci ſunt, imo qui
„inter præcipuos amicos Paternitat
„Veſtræ profitentur, hæc omnia
„ctare eo dicunt, ut non obſtantibu
„capituli mei, Romanæque Sedis pro
„teſtationibus Decretisque, ſæculari
„vitæ licentiam inducat, Regulari
„tincta, ſicque quacunque tandem
„tione, etiam Profeſſione ſua plane
„digna fidem exolvat, quam illis ob
„ligavit, quos ad captandos Eccleſi
„meæ Canonicatus jam prius impe
„lerat. „

„Utinam ſaltem Paternitatem Ve
„ſtram ab hujusmodi conatibus rev
„rentia retineret Gallici Regni, in qu
„nemo non videt, abuti ipſam fiducia
„quam munus Confeſſarii ei apud Re
„gem conciliavit, & qua id unice ag
„ut præcipua Eccleſiæ jura ab igna
„licet Rege violentur, utque Princip
„auctoritate tam injuſtæ ſævæque acti
„nes muniantur, quas, niſi publicis
„authenticis monumentis conſtarem
„nemo credere ſuſtineret. Enim ver
„fieri non poteſt, ut Paternitas Veſtr
„Regaliæ examinandæ animum ſolli
„adjecerit, quin protinus intellexeri
„eam nec in mea, nec in aliis quam
„plurimis Eccleſiis locum habere; ſed
„que ingenti damno Eccleſiam afficere

„quæ

„quando Regi persuadet, ut eam sibi „usurpet. Quodsi Paternitas Vestra „istarum rerum plenam notitiam non „habet, qua rogo conscientia non mi„nus inclementer sæveque nos perse„quitur, quam si rei essemus Divinæ „humanæque Majestatis?„ Sæc. XVII. A.C. 1679.

„Non permittit brevitas epistolæ de„bita, ut hic aut rationes percurram, „quæ caussæ a me susceptæ æquita„tem ostendant, aut seriem malorum „pertexam, quæ tanto jam tempore „Regaliæ obtentu perpetior, præsertim „cum persuasum habeam, Paternita„tem Vestram non tam ignorantia re„rum, quam odio mei laborare, quod „ut deponat, a solo Deo expectari pot„est. Enim vero metus Regiam in„dignationem incurrendi, si videlicet „Regi innotescat, se ab eo deceptum „esse, cujus unica & præcipua obliga„tio erat, Principem rerum, quæ ad „animæ ipsius æternam salutem veram„que gloriam pertinent, admonere, „pudor quoque errorem ingenue con„fitendi, ac denique ingens cupido „deprimendi calcandique Episcopum, „Societati, vestrisque maximis (quip„pe a Christiana Sanctorumque Patrum „doctrina alienis) adversum: hæc, in„quam, omnia ingentia sunt, Paterni„tati Vestræ profitendæ Veritatis im-

Sæc. XVII. A. C. 1679.

„pedimenta, nec ab alio, quam qu
„cordium Dominus est, superari pos
„sunt, & tamen mihi credat (neque
„enim, uti spero, se ab Episcopo ad
„moneri indigne feret) multa sunt
„quæ justo eam timore percellere pos
„sint, ne, posteaquam ob calcatam im
„munitatem Ecclesiasticam, Divinam
„indignationem in se provocavit, Re
„giam quoque incurrat; Rex enim
„qua est prudentia & æquitate, ub
„aliquando intellexerit, se consiliis
„vobis suggestis, ac contra animi su
„sententiam deceptum, tot malorum
„caussam fuisse, non poterit non ea om
„nia eorumque auctores damnare. Et
„adverso si Paternitas vestra infortu
„nium ac impendentia mala prævenit
„expleatque boni Confessarii partes
„suamque industriam Regis saluti im
„pendat, cujus videlicet animam gr
„bernandam suscepit, Dei Benedictio
„nem experietur, & Rex quoque gr
„tum acceptumque habebit, se veri
„tem aliquando saltem edoctum esse
„Illos vero, quibus Paternitas Vestr
„caussa fuit, ut censuras Ecclesiæ in
„currerent, longe majori beneficio affe
„cerit, si potius viam illis & rationem
„ostenderit, qua se dignos reddant Ec
„clesiasticis honoribus, quam ut con
„tra Canonum præscriptum sibi illos
„usur-

„usurpent, & denique quicunque æqui „justique amantes sunt, Deum ex ani- „mo benedicent, ubi intellexerint, Pa- „ternitatem Vestram auctoritatem suam „persuadendo Regi interponere, ut Re- „galia intra fines a Majoribus suis ob- „tentos, & a Lugdunensi Concilio „(quod extendi eam vetuit) concessos „contentus esse velit.„ Sæc. XVII. A.C. 1679.

„Finio, mi Pater, nec aliud ad- „jungo, quam esse utique Charitatis „Vestræ, pacem tandem concedere „Episcopo septuaginta annos nato, „quadraginta pastorales insulas susti- „nenti, & ultimas horas præstolanti; „nec amplius pati viros selectæ virtu- „tis, Deoque speciali ratione consecra- „tos, quique cum tanta omnium ædifi- „catione illius se obsequio addixerunt, „ab iis tam sæva persecutione pulsari „dissiparique, qui se vitæ Regularis „hostes profitentur. Spero equidem, „me Deo propitio usque in extrema „fidelem fore, nec cessabo esse, quid- „cunque tandem a Paternitate Vestra „adversi mihi contigerit.„

## §. CXIII.

## *Innocentii XI. Papæ epistola ad Franciæ Regem circa Urbanistas Moniales.*

Sæc. XVII. A. C. 1679.

*Esprit d'Arn. part. 1. pag. 407.*

Ad nuperas, quas Innocentius Papa in Urbaniſtarum Monialium cauſa perſcripſerat, literas Toloſanus Archiepiſcopus nullum dedit reſponſum: Rex tamen Ludovicus Eſtræo Franciæ Oratori præcepit. ut illas Moniales, quas ipſe nominaverat, aut impoſterum tanquam Abbatiſſas nominaturus eſſet, Apoſtolico diplomate confirmari curaret: idipſum quoque Rex a Pontifice petebat, iterato datis ad eundem literis, ad quas tandem Innocentius Papa hunc in modum die decima nona Julii reſpondit: „Ubi primum divinæ bonitati viſum fuit, humilitatem noſtram „vocare ad Eccleſiæ Catholicæ gubernacula, hoc eſt, ad munus & ſua amplitudine graviſſimum, & temporum „iniquitate, moleſtiarum periculorumque pleniſſimum, ex innumeris difficultatibus, quæ ſe nobis operi magnum admoventibus obtulere, non ultimo numeranda loco eſt Majeſtatis „tuæ petitio per dilectum Filium nobilem Virum Ducem d'Eſtrées Oratorem tuum, deinde etiam per Regias „literas tuas nobis expoſita, ut Monaſteriis Ordinis Minorum Sancti Francifci Urbaniſtarum, ut nuncupant, „Sanctimoniales illas, quæ a te nominatæ fuerant, quæque deinceps nominarentur, Pontificio diplomate præ-

„fice.

Sæc. XVII. A. C. 1679.

„ficeremus. Cum enim ad Christia-
„nam Rempublicam in tanta rerum
„perturbatione bene gerendam, neces-
„sariam nobis fore videremus operam
„inprimis tuam, qui & propter exi-
„miam pietatem velles, & propter ex-
„cellentissimam authoritatem ac floren-
„tissimas Regni tui opes posses sollici-
„tudinem nostram strenue juvare, ac
„propterea magnopere cuperemus dare
„opportunitates, animum tuum satis
„per se ad magna ac præclara propen-
„sum magis etiam omnibus paternæ
„Charitatis officiis incitandi; merito
„doluimus, eorum culpa, qui te ad ta-
„lia petenda impellerent, cum tamen
„ex muneris sui debito, nihil ipsos nisi
„rectum, honestum, sanctum, Ecclesiæ
„Salutare, dignum denique Rege ma-
„ximo & Christianissimo apud te loqui
„vel monere par esset, eo nos adduci,
„ut vel ab Apostolici Ministerii officio
„discedere (quod neque tu ferres) vel
„parum secunda postulatis tuis responsa
„dare (quo nihil accidere nobis potest
„in vita tristius) cogeremur. Qui qui-
„dem homines, an ita se gerendo laudi
„dignitatique tuæ & Galliæ felicitati
„satis inserviant, singulari solertiæ ac
„sapientiæ tuæ considerandum relin-
„quimus. Eos sane non solum tibi
„autores fuisse accepimus, rem postu-

Sæc. XVII. A. C. 1679.

„landi nullo jure, nulla æquitate, nulla „canonica consuetudine subnixam; sed „cum aliquot egregii, pii doctique, & „vere tuæ laudis amantes viri, quibus „Parisiensis Aula abundat, in consi„lium a te adhibiti, aliud omnino sua„derent, & non minus suffragiorum „numero, quam rationum pondere sa„nior Sententia vicisset, tantum apud „aures tuas belli pacisque negotiis dis„tractas callidis insinuationibus va„luisse, ut ad ea decernenda descende„res, quæ ipsi consuluissent. Non o„misimus itaque, tum per Apostolicum „Nuntium, tum per Oratorem tuum „significare, quam graviter ac moleste „ferremus, quod sine aperta Sacrorum „Canonum (quorum te defensorem „profiteris) injuria, & sine gravi Ur„banistarum jactura, vel potius ruina, „votis tuis annuere non liceret: Spe„rantes te, re melius cognita & per„specta, æquissimo animo ab incæpto „destiturum, permissurumque, ut Ur„do ille suis institutis, suis moribus „viveret, qui a Sanctissimo Viro Fran„cisco Assisiate primum erectus, mox „a Sanctæ memoriæ Urbano IV. Præ„decessore nostro, ad enixas Sancti Lu„dovici Prædecessoris itidem tui pre„ces instauratus, & novis Constitutio„nibus ordinatus, per quadringentos „am-

Sæc. XVII. A. C. 1679.

„amplius annos tanta cum Christianæ „humilitatis & Sanctimoniæ laude in „Gallia floruisset. Verum omni officio „nostro, omni justitiæ respectu, & de„bita huic sanctæ Sedi a Regnis Ca„tholicis obedientia potiores fuisse eo„rum, quos diximus, hominum cona„tus, eventus docuit. Nam ea post„modum edita decreta cognovimus, & „quidem Regio tuo nomine inscripta, „quibus ad hanc diem, inaudito exem„plo & piis omnibus horrorem incu„tiente mandabatur, ut Moniales ad „Abbatissatus Urbanistarum a te no„minatæ, quæ plures numerabantur, „in bonorum Monasterii possessionem „illico inducerentur, & ab Episcopo ac „ab Ordinis sui Prælato instituerentur. „Neque multo post delatæ ad nos fuere „a pluribus Monasteriis aliæ super alias „Urbanistarum querelæ, venisse ad se „nominatas a Rege ex alio non solum „Monasterio, sed etiam Ordine cum „Regiis nominationis tuæ literis, & „literas prosequenti ingenti Satellitum „& militum manu. Cumque persua„dere sibi non possent, ut in tantum „scelus atque Ordinis sui dedecus & „perniciem eas admitterent, impetum „repente factum in Monasteriis, & „multa aspera & inaudita adversus Mo„niales patrata fuisse: in præsens vero „ita

Sæc. XVII. A. C. 1679.

„ita tractari se, ac si in captivitatem „& servitutem abductæ essent. Cum „tamen eæ, quæ tam sacrilego ritu „initiatæ sunt Abbatissæ, abdicata & „proscripta eximia illa & perfecta hu„militate ac paupertate, quas Sancti „Francisci Regula, & Urbani IV. Con„stitutio tam impense præcipiunt, & „sine quibus omnem illius familiæ di„sciplinam labi & corruere necesse est, „in nequiorem sæculi morem superbe „ac licenter, & profano plane cultu „luxuque vivant. Reputet Majestas „tua, quam intimo paterni doloris sen„su afficiamur, tam inhumaniter atque „indigne tractari videntes florem illum „Ecclesiastici germinis, coronam & „gaudium nostrum lectissimas Virgines, „quæ sæpe lacrimis & precibus suis „de irati Dei manibus extorquent im„minens populis meritæ ultionis fla„gellum, neque cessant pro tua & Re„gni istius Salute ac felicitate Divinam „clementiam exorare: dubitare nos „non patitur perspecta pietas, & ma„gnitudo animi tui, hæc non solum „injussu tuo, sed etiam te inscio pa„trari. Sed neque silere nos patiuntur „vel præsens calamitas & propinquior, „si remedium differatur, interitus San„ctissimi Ordinis, vel tam impie atque „audacter pessumdata hujus sanctæ Se„dis

„dis auctoritas, & legum rerumque Sæc. XVII.
„ſacrarum reverentia in tuo præſertim A. C. 1679.
„Regno a tuis adminiſtris, ſoſpite at-
„que incolumi te Rege Chriſtianiſſimo.
„Quamobrem, quas in ſinu noſtro que-
„relas depoſuere, paternam opem im-
„plorantes ſanctæ Moniales Urbaniſtæ,
„eas in ſinum tuum nos refundimus,
„Fili chariſſime, & Urbaniſtarum la-
„crimis addimus noſtras, ſi quas no-
„bis reliquas fecit tot afflictæ Reipu-
„blicæ Chriſtianæ calamitatum & præ-
„ſentium ſenſus, & metus futurorum.
„Per tuam te & clariſſimorum Regum
„Majorum tuorum eximiam pietatem,
„& in Apoſtolicam Sedem Obſervan-
„tiam, per irriguum erga Te & Regnum
„tuum cæleſtis beneficentiæ fontem,
„per inclitam bello dexteram jam pri-
„dem aſſuetam, & nunc maxime, uti
„ſperamus, parantem bello Domini
„præliari; per paternam denique no-
„ſtram erga te charitatem, cupidiſſi-
„mam laudum atque ornamentorum
„tuorum rogamus, obſecramusque,
„prohibe hanc a Sanctimonialibus Ur-
„baniſtis injuriam, ſed & flatu tuo
„compone tempeſtatem, qua miſere
„jactantur: redde illas priſtinæ quieti,
„redde legibus & Inſtitutis ſuis, quibus
„ſe religioſa Profeſſione Deo devove-
„runt, & magna cum ædificatione huc-

„usque

Sæc. XVII. A. C. 1679.

„usque vixerunt: tuere beneficium, „quod a Sancto Ludovico accepere; „ne secus faciendo tam illustre illius „facinus improbare videaris, cujus „exemplum in sacris expeditionibus, „ad quas te vox nostra, pietas tua & „publica vota vocare non desinunt, „æmulandum tibi proposuisti. Illud „præterea vehementer mirati sumus, „non defuisse, qui auderent editis etiam „& vulgatis per Galliam libellis insi„nuare Majestati tuæ, tibi ad hujus„modi Sanctimonialium Monasteria Ab„batissas nominandi jus esse; cum ta„men & magnæ apud Gallos auctori„tatis Jurisconsulti, potentiæ & ma„gnitudini Regum suorum addictissimi, „& Regii Administri maximi nomi„nis, tum propter excellentem virtu„tem, tum propter eminentissimam „quam consecuti postea sunt dignita„tem, qui digne denique in hac Aula „Oratoris Gallici munus exercuerant, „memoriæ constanter prodiderint, nul„lum ad mulierum Monasteria nomi„nandi jus Regibus competere; quod „& optima legum interpres diuturna „observantia comprobavit, & Reges „ipsos non semel in generalium Comi„tiorum decretis, & in suis ad Ro„manos Pontifices literis confessos in„genue fuisse, ex quibus multiplici „Gal-

„Gallorum Autorum teſtimonio aſtrui- Sæc. XVII.
„tur uti ex noſtris tabulariis liquido con- A. C. 1679.
„ſtat, ſicut ex tuis quoque conſtare
„pro certo traditur. Addunt ſuperio-
„ris ævi ſcriptores apud vos celeber-
„rimi, cum relatum Julio III. Romano
„Pontifici eſſet, Henricum II. aliquid
„movere de jure nominandi ejusmodi,
„excanduiſſe vehementer Julium, ei-
„que placando, Henricum publico do-
„cumento omni prætenſo juri renun-
„tiaſſe. Quid Majeſtas tua facturum
„fuiſſe Julium putat, ſi non ſolum ali-
„quid moviſſet Henricus, ſed nomi-
„natæ Abbatiſſæ alterius Ordinis &
„Monaſterii, & moribus ab inſtituto
„Monaſtico alienis, immiſſæ in poſſeſ-
„ſionem fuiſſent, armata vi, aliisque
„patratis gravibus & atrocibus, quæ
„ſupra memoravimus? Nos tamen iſta
„libenter obliviſcemur, ſi Majeſtas tua
„omnia, ut æquum, in priorem ſtatum
„quam primum reponi curaverit. Sed
„conquieſcere interim cor noſtrum non
„poteſt, cogiturque vox paterna erum-
„pere, dum tam dilectas nobis in Chri-
„ſto filias, pupillas quodammodo ocu-
„lorum Dei, tam graviter violenter-
„que vexari, ſua quiete, ſuis legibus,
„vetere diſciplina, omni denique Spi-
„rituali ſolatio, alimentis etiam, &
„ipſo, ſi fieri poſſet, cæleſti Sponſo ſuo
„ſpo-

Sæc. XVII. A.C. 1679.

„ſpoliari videmus. Æquo animo feras, „Fili chariſſime, ſi longiores fuimus, „ſi dolori atque amaritudini noſtræ a„pud te, a quo lenimentum merito pe„timus, & paterna fiducia præſtolamur, „liberalius indulſimus. Noſtra eſt iſta „cura, noſtra, imo Chriſti res agitur; „oves Chriſti ſunt, pretioſo ejus ſan„guine redemptæ, peculiari dilectione „fidei ac ſollicitudini noſtræ creditæ: „non patiemur, quantum quidem Deo „opitulante in nobis erit, eas de vetere „ſtatu ſuo & legitima poſſeſſione tur„bari, ac de materno quodammodo ſi„nu divelli, animam libenter pro ipſa„rum Salute boni Paſtoris exemplo po„ſituri. Non poſſumus denique Dei „cauſſæ, & Paſtorali officio noſtro de„eſſe. Quamvis autem & æquum om„nino ſit, & perpetuo in Eccleſia Ca„tholica more receptum, ut Pontificia „reſponſa non ad examen revocentur, „ſed humili obſequio excipiantur cuſto„dianturque, nonnullas diſſertationes „iſthic compoſitas, & per Oratorem „tuum nobis traditas, quaſi præclaros „juris tui teſtes ac vindices, a Viris „pietate & eruditione præſtantibus, & „harum inprimis rerum peritiſſimis exa„minari mandavimus; qui omnibus „mature perpenſis, reſponderunt, nihil „in eis novi afferri, quodque non fuerit

„a

„a juſtæ cauſſæ defenſoribus multo ante „rejectum, neque mereri, ut earum „ratio habeatur: idipſum nos, inqui- „rendo & ſcrutando ſingula, plane com- „perimus; ac propterea eundem Ora- „torem tuum, cum proxime ad nos „acceſſit, requiſivimus, ut de his Ma- „jeſtatem tuam diligenter edoceat, no- „ſtramque propenſiſſimam erga te vo- „luntatem, & conſtans perpetuumque „de te & de tuo inclito Regno bene „merendi ſtudium prolixe teſtetur.„ Sæc. XVII. A. C. 1679.

## §. CXIV.

### *Innocentii XI. epiſtola ad Epiſcopum Apamienſem.*

Interim Apamienſis Epiſcopus hoc rurſus anno omnibus, qui Regaliarum obtentu in quoddam ſuæ Diæceſis beneficium involaturi eſſent, anathema intentabat, ſimulque ſuum Clerum, gregemque a perverſis morum doctrinis ac corruptelis vindicare, paſtorali vigilantia ſatagebat: verum hoc ipſo ſuo fervore illorum, qui laxioris doctrinæ, ac Regaliæ Patroni erat, invidiam, ac vexandi pruriginem acuebat, novis inde calamitatibus oppreſſus: re comperta Innocentius Papa hunc Epiſcopum rurſus conſolari, atque ad conſtantiam excitare haud deſtitit, *Gall. vind. p. 266. Diſſert. 1. §. 8.*

Sæc. XVII. A.C. 1679.

ſtitit, eidemque die ſecunda Auguſti hanc transmiſit epiſtolam: „Præcipuæ „argumentum lætitiæ attulerunt nobis „literæ Fraternitatis tuæ proxime ad „nos datæ, in quibus eximium tuum „de integra atque incorrupta ſervanda „morali Theologia, de inſtauranda „Cleri, & Regularium Ordinum diſci„plina, deque propulſanda ab Eccleſia „ſæcularis poteſtatis injuria, zelum ſtu„diumque diſerte declaras. Et qui„dem quod ad Diæceſis tuæ rationes „pertinet, gratias Divinæ Majeſtati a„gere non ceſſamus, quod in tanta re„rum ac temporum difficultate ſuſcita„verit ſibi Sacerdotem fidelem, qui „opponat murum pro domo Iſrael. Ne„que dubitamus, quin tot experimen„tis probata, & confirmata virtus tua, „egregio propoſito, Deo bene juvante, „ad extremum conſtanter inſiſtat, pa„rati omni ope & auctoritate noſtra tibi „pro Dei honore tam ſtrenue laboranti „perpetuo adeſſe. Reliqua a dilecto „filio Archipresbytero Aquenſi Viro „pio, atque induſtrio, qui tuas nobis „literas reddidit, & a quo has Noſtras „accipies, fuſius cognoſces, ac Fra„ternitati tuæ Apoſtolicam Benedictio„nem impertimur.„

§. CXV.

Sæc. XVII.
A. C. 1679.

## §. CXV.

## *Excusatio Apamiensis Episcopi ob suam oppositionem contra Parlamenti sententiam.*

Sub idem tempus juvenis quidam nomine Barbes de Lussan a Regiis Ministris in Beneficium quoddam vi Regaliæ intrusus est: huic ergo usurpationi strenue obstitit Apamiensis Episcopus, ac binas Constitutiones, quibus anathema in hujus intrusi fautores vibrabat, edidit: Quamprimum ea res innotuit, confestim Harlæus Procurator Generalis in Regio Senatu tanta vehementia contra Episcopum declamabat, ut hic pronuntiata sententia coram Parlamento comparere, suasque Constitutiones tanquam irritas declarare juberetur: Verum Episcopus percepta hac sententia, quominus eidem morem gerere posset, suas exposuit rationes, datis die quarta Septembris ad Harlæum hisce literis: „Insinuata mihi „fuit sententia ad instantiam Vestram „a Parlamento pronuntiata, qua co„ram eo tribunali sisti jubeor, ad viden„dum irritari duas Constitutiones meas „(perinde ac si in illis edendis indebi„tam potestatem usurpassem) contra „duos Colonos, qui nomine juvenis

*Tract. de Regal. pag. 531.*

Sæc. XVII. A. C. 1679. „cujusdam Barbes de Luſſan ſcholas „adhuc terentis, & titulo Regaliæ Be„neficium illud adepti proventus, co„ſtodi Eccleſiæ Apamienſis aſſignatos „conduxerunt. Ego qui ignorare non „poſſum, quantum & Parlamento ipſi „(quippe præcipuo Galliæ Senatui) „& Dominationi etiam Veſtræ magnam „in eo Senatu partem occupanti hono„ris debeam; qua par eſt reverentia, „præfatum edictum excepi, & tamen, „ne deferre illi poſſem, graviſſimæ me „rationes compulerunt, quas me re„cenſentem Dominatio Veſtra benigne „audire dignetur.„

„*Primo* enim, quibus ego ſumptu„bus tam longum gravemque Proceſ„ſum ingrediar, quando me omnibus „ſpoliarunt, atque ad incitas redege„runt, ne alimentis quidem neceſſariis „relictis (quæ tamen etiam ſceleratiſſi„mis permittuntur) ut a viginti jam „menſibus vitam amicorum liberalitate „utcunque ægreque ſuſtineam? & ta„men neminem latet, nec patrimonium „mihi eſſe, quo ultimæ neceſſitati ſub„veniam, nec interim, quantum per „ætatem licet annis ac infirmitatibus „feſſam, functiones ac curas Paſtora„les omittere.„

„*Deinde*: Non intelligo, quam Ec„cleſia mea expectare a Parlamento ju„ſtitiam

„ſtitiam poſſit, quando & elapſo ſæ- Sæc. XVII.
„culo, & initio currentis, tanto ardore A.C. 1679.
„dilatandæ Regaliæ, totoque Regno
„extendendæ incubuit, ut moderari
„eum Reges oportuerit. Parlamentum
„enim jus Regaliæ tanquam Coronæ
„annexum, imo tanquam ipſius Parla-
„menti præcipuam prærogativam ab
„aliquot jam annis habuit, quia vide-
„licet omnes proceſſus, qui hanc Re-
„galiæ cauſſam ſpectant, Parlamento
„deferuntur. Quodſi plurium jam ſæ-
„culorum Jurisprudentiam conſultas,
„invenies, conſtanter a Parlamento
„eam regulam obſervatam fuiſſe, ut
„nunquam pro Rege pronuntiaret, niſi
„probata a Regiis Procuratoribus poſ-
„ſeſſione, quod utique Dominatio Ve-
„ſtra in Protocollis, Tabulariis, libris-
„que Auctorum, qui ſuper hoc argu-
„mento ſcripſere, probe notaverit. Cir-
„cumſtantiæ quoque, quæ Decretum
„Pariſienſe comitantur, hujusmodi
„ſunt, ut facile ex iis Parlamenti in
„me animum colligere liceat: Actio-
„nem enim criminalem duobus Cleri-
„cis intentat, adeo miſeris, ut ſolis
„Eleemoſynis, quæ mihi a fidelibus
„ſuppeditantur, & quarum partem ego
„illis communico, precario ſuſtenten-
„tur; adeoque innocentibus, ut nulla
„alia culpa laborent, quam quod binas

Sæc. XVII. A. C. 1679.

„Conſtitutiones meas partibus inſinua-
„rint, & quarum æquitatem exami-
„nare non utique ad eos pertinebat.„

„*Tertio.* Quemadmodum certiſſima
„res eſt, non poſſe jus Regaliæ, niſi
„Eccleſiæ privilegio ad Reges perti-
„nere; ita certum eſt, ad eandem Ec-
„cleſiam ſpectare, ut de Regalia co-
„gnoſcat, judicetque, id quod in Lug-
„dunenſi Concilio fecit; & quamvis
„daremus, ſententiam Concilii in hac
„cauſſa non omnino apertam, & cla-
„ram eſſe, eam tamen interpretari Pon-
„tificis Romani partes eſſent, non Regii
„Tribunalis. Cum ergo binis a me e-
„ditis Conſtitutionibus nihil aliud ege-
„rim, quam ut Decretum exequerer
„concilii œcumenici (id vero non de
„privatis tantum perſonis loquitur, ſed
„de *quantæcunque dignitatis honore præ-*
„*fulgentibus*) nec terminos exceſſerim a
„Concilio præfixos, ſequitur injuſtam
„eſſe eorum calumniam, qui in foro
„ſæculari me accuſant uſurpatæ, ac
„ultra metas dilatatæ poteſtatis. Has
„ipſas ob cauſſas nunquam ego in du-
„bium revocavi, quin poſſem debe-
„remque Laicos Cenſuris punire, qua-
„lescunque tandem eſſent, in rebus
„ſpiritualibus Deoque conſecratis (de
„his enim quæſtio jam vertitur) Ec-
„cleſiæ legibus ſubjacere; tantoque
„ma-

„magis ad id agendum permovebar, Sæc. XVII.
„quod viderem proventus, quos sibi A. C. 1679.
„Laici vendicabant, nihil aliud esse,
„quam meras decimas ad luminaris a-
„liamque divini cultus suppellectilem
„destinatas, sine qua nec sacra Officia
„peragi deinceps poterunt, quippe eo
„decoro sublato, quod eorum Sancti-
„tati debetur, & vere tam est injusta
„patensque hæc usurpatio, ut nullo
„honesti colore fucari possit.„

„*Quarto.* Quodsi alii Prælati, quo-
„rum Ecclesiæ liberæ erant, in exten-
„sionem Regaliæ consensere, non potest
„eorum consensus detrimento mihi esse,
„qui nullam penitus in eo partem ha-
„bui. Imo Reservationes, Protesta-
„tiones, derogationes, aliæque cau-
„telæ ab Episcopis aut ante, aut post
„consensum adhibitæ clare ostendunt,
„& agnovisse illos Ecclesiarum suarum
„jura ac libertates, & noluisse absolute
„renuntiare, imo nec sponte Regiis De-
„cretis acquievisse, sed solo metu, ne
„iisdem malis mecum involverentur,
„& adhuc pejoribus Ecclesias suas ob-
„ruerent, nisi obtemperassent. Et de-
„nique nunquam eorum consensu effici
„potuit, ut tantum damni Ecclesiæ
„subire cogerentur, id quod ex anne-
„xis, quas ad Illustrissimum Archie-

Sæc. XVII. A. C. 1679.

„piſcopum Toloſanum dedi, Domina„tio Veſtra plenius intelliget.„

„Cæterum cum Parlamenti Pari„ſienſis jurisdictioni me ſubmittere re„cuſavi, non ideo in cauſſa propria ju„dicem me conſtitui, ſed illud tantum „egi, ut in cauſſa ſpirituali, & in qua „Pontifices, Concilia, Epiſcopique au„ctoritate Dei funguntur, Decreta Ec„cleſiæ exequerer; etſi Cenſuras adhi„bui uſurpatoribus coercendis, exem„plo & auctoritate plurium concilio„rum, etiam œcumenicorum id feci, „qui dignam hanc cauſſam eſſe cenſe„bant, quæ hujusmodi pœnis ſuſtine„retur, præſertim cum non minor Epi„ſcopis obligatio incumbat, libertates „ac jura Eccleſiæ, quam fidei dogmata „propugnandi, id quod ſolide auctor „Sermonis oſtendit, quem dignum cen„ſui, ut Dominationi Veſtræ a me „transmitteretur.„

„Non permittit Epiſtolæ brevitas, „ut omnia pertexam, quæ de hac ma„teria dici poſſunt, quæque libenter „adjungam, ſi modo intelligam, id Do„minationi Veſtræ placere, ac tempus „ſuppetere ea perlegendi. Nunc finem „epiſtolæ impono & Dominationem „Veſtram ardentiſſime obteſtor, digne„tur in memoriam revocare, ſe & Regii „Miniſtri, & hominis Chriſtiani perſo„nam

„nam agere, atque ut prima obliga- Sæc. XVII.
„tionem imponit, ne quidquam de ju- A.C. 1679.
„ribus ad coronam ſpectantibus dilabi
„permittat, ita quoque ſecunda, ne
„illa in Eccleſiæ præjudicium extendi
„patiatur; alioquin periculum eſſet,
„cæleſtem Benedictionem impeditum
„iri, quam alioquin ſibi ſuæque illuſtri
„familiæ Dominatio Veſtra tam multis
„egregiisque operibus promerita eſt.„

## §. CXVI.

## *Innocentii XI. Epiſtolæ ad Apamienſem Epiſcopum & Franciæ Regem.*

De nova hac vexatione Franciſcus Apamienſis Epiſcopus ſummum Pontificem, in quo unicum auxilium, ſolatiumque ſibi repoſitum ſciebat, certiorem reddidit; Papa igitur tantam calamitatem, pro viribus prævertere intentus, ad eundem die decima Decembris hæc perſcripſit: „Perlegi„mus literas Fraternitatis tuæ, in qui„bus afflictum Apamienſis Eccleſiæ ſta„tum, & tuum propterea dolorem No„bis ob oculos ponis; qua de re Paſto„ralem zelum, & ſollicitudinem ma„gnopere commendamus, & eodem „tecum ſenſu affecti, non ceſſamus a „Patre miſericordiarum, pro muneris

*Abregé Chron. Hiſt. t. 10. p. 434.*

Sæc. XVII. A. C. 1679. „noſtri debito, poſtulare, ut priſtinam „Eccleſiæ iſti tranquillitatem, dignita„temque reſtituat, ac Nobis lumen ad „ea decernenda, exequendaque ſuppe„ditet, quæ cum tuæ, tum univerſæ „Eccleſiæ rationibus expedire vide„buntur. Reliqua ab eo cognoſces, „qui tuas Nobis literas reddidit: te„que atque invictam Epiſcopalis robo„ris conſtantiam, qua cæteris præli„ces, intimo charitatis affectu in Do„mino complectentes, Fraternitati tuæ „Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur.„

Enimvero ſummus Pontifex nulli pepercit labori, ut graves motus ii tantopere periculoſi, quibus Apamienſis, aliarumque Eccleſiarum navicula agitabatur, tandem ſedarentur: adlaborabant etiam non pauci Romæ, atque inter alios præcipue Cardinalis Cibo, prout Pater Mariana Socius Presbyter Oratorii Romani die vigeſima nona Octobris Apamienſem Epiſcopum de præfati Cardinalis patrocinio certiorem reddidit, hæc perſcribens: „Ego ſæpius allocutus ſum Emi„nentiſſimum Cardinalem Cibum de re„bus ad Eccleſiam Veſtram ſpectanti„bus: ac teſtor, quod optimus hic „Cardinalis agnoſcat juſtitiam cauſſæ, „necnon Spiritum vere Apoſtolicum, „quo

„quo illustrissima Dominatio Vestra ne- Sæc. XVII.
„gotium promovet, ipsumque negotium A. C. 1679.
„sæpius ex corde commendavit San-
„ctissimo summo Pontifici, nec unquam
„desistet a protectione tam piæ caussæ;
„ac certa sit, quod Eminentissimus iste
„Princeps diligit ex animo Illustrissimam
„Dominationem Vestram, vestramque
„probatam virtutem, prout meretur,
„in pretio habet. Ipse summus Ponti-
„fex benignam præbet aurem negotio,
„ac favorem suum, prout Deus dabit.
„Interim ego minimum, quod potero,
„libentissime adjiciam. „

Ultimum igitur arietem admoturus Pontifex rursus ad Ludovicum Regem die vigesima septima Decembris perscripsit hoc tenore: „Binis jam lite-
„ris fuse & luculenter ostendimus,
„Majestatem tuam etiam in concordi
„fere omnium Galliæ scriptorum testi-
„monio, & ex ipsis Regii tabularii tui
„actis, quod esset Ecclesiæ libertati in-
„juriosum, omni divino humanoque
„juri contrarium, & alienum, & per-
„petuo Regum Majorum tuorum more
„& exemplo editum, septem abhinc
„annis a te decretum, quo consuetu-
„dinem illam custodiendi fructus, &
„vacantium Ecclesiarum, quam Rega-
„liam nuncupant, ad eas quoque Ec-
„clesias extendi jubes, quæ hujusmodi
„one-

Sæc. XVII. A. C. 1679

„oneri nunquam obnoxiæ fuere, in „quibus literis vehementer a te pro „Paſtoralis officii Noſtri debito, & pro „paterna, quam gerimus, Salutis tuæ „cura efflagitavimus, ut Decretum „ipſum, aliaque deinceps acta adver„ſus jura libertatesque Eccleſiarum ab„rogari, abolerique mandares; erat „ſane illud etiam cauſſæ ipſius meri„tum, ea de Regii animi tui æquitate „& magnitudine opinio Noſtra, ut „certa ſpe duceremur, Majeſtatem tuam „omnibus in locum priſtinum quam„primum repoſitis, cor tuum ab ulte„riori tantæ rei Sollicitudine tot aliis „in Catholicæ Eccleſiæ Procuratione „diſtrictum liberaturam. Verum, poſt„quam plurium menſium ſpatium, quod „longanimitati Noſtræ probandæ ab„ultimis literis effluxit, nullum adhuc „neque ad eas reſponſum, neque ex „eis fructum videmus, quin etiam plu„rimorum literis, & Sermone nos pro„comperto habemus, omnia deteriore„in dies loco eſſe, & prætextu Regaliæ „hujusmodi beneficiorum collationes, „& Canonicas inſtitutiones impediri, „Epiſcoporum auctoritatem peſſumdari, „Eccleſiaſticam diſciplinam, ordinem„que turbari, novam denique praxim „veteri Eccleſiæ praxi, & divinæ inſti„tutioni contrariam invehi a ſæculari „pote-

„poteſtate, neque ea clam, aut timi- Sæc. XVII.
„de fieri reperimus, ſed aperte & manu A.C. 1679.
„Regia. Non dicimus hoc loco, ne
„actum agamus, quot inde ſcandala &
„querelæ, quot in Clerum Gallicanum
„incommoda naſcantur, quod Eccleſiæ
„univerſæ a tali exemplo periculum,
„quæ tempeſtas immineat, quæ no-
„mini atque honori tuo macula, quæ
„conſcientiæ labes inuratur: Satis enim
„ea in Superioribus literis indicavimus,
„ſatis patent ipſa per ſe; non patitur
„tamen ſincera ac plane paterna erga
„te, Regnumque iſtud ampliſſimum
„charitas Noſtra, Nos in tanta divini
„honoris injuria, in tam gravi tui ipſius
„periculo adhuc ſilere, ſed cogimur ite-
„rum intimo cordis affectu, & in viſce-
„ribus Jeſu Chriſti rogare, obſecrare-
„que Majeſtatem tuam, ut memor
„ejusdem Chriſti verborum ad Eccle-
„ſiæ Præpoſitos: qui vos audit, me
„audit. Nos potius, qui tibi parentis,
„& quidem amantiſſimi loco ſumus,
„audire velis, vera & ſalutaria ſuaden-
„tes, quam filios diffidentiæ, qui ter-
„rena tantum ſapiunt, quique conſiliis
„in ſpeciem utilibus, ſed revera perni-
„cioſis incliti iſtius Regni fundamenta
„in rerum ſacrarum reverentia, & in
„Eccleſiæ auctoritate, juribusque tuen-
„dis poſita convellunt; qui quidem, ſi

„ii

Sæc. XVII. A. C. 1679.

„ii esse vellent, quos esse ipsorum di-
„gnitas & officium, tuaque singularis
„in eos benignitas cogit, imitari po-
„tius deberent integritatem, fidemque
„eorum, quos olim pari loco positos
„memoriæ proditum est, & in Galli-
„cani Cleri acta nuper relatum, libera
„aliquando voce in simili caussa mo-
„nuisse Reges Prædecessores tuos: me-
„minissent, quid, & qua jurisjurandi
„religione, ubi Regni gubernacula su-
„scepturi, sacro chrismate inungeren-
„tur, polliciti Deo fuissent, se vide-
„licet divinæ ejus gloriæ omni ope &
„studio inservituros, & pro Ecclesiæ
„suæ Sanctæ juribus, & libertate asse-
„renda paratos semper fore sanguinem
„ipsum, vitamque profundere: consi-
„derarent fluxam & fugacem esse mor-
„talium vitam, Regum præsertim, ac
„Principum, qui, ubi ad strictum Dei
„judicium vocarentur, illuc accede-
„rent sine custodibus, sine comitatu,
„sine ullis Regiæ vel dignitatis insig-
„niis, vel potentiæ præsidiis nudi, at-
„que inermes reddituri omnis ante actæ
„vitæ rationem judici scrutatori cor-
„dium, quem nulla res latet, apud
„quem non est acceptio personarum,
„qui potestatem habet mittere in ge-
„henam, ubi potentes tormenta patiun-
„tur. Nec Superiori sæculo defuit in
„Gal-

„lia Episcopus, qui in frequenti alio- Sæc. XVII.
„rum Præsulum, aulæque Procerum A. C. 1679.
„corona apud Henricum Regem hujus
„nominis tertium Cleri Gallicani caus-
„sam in re non absimili orans Regi di-
„xerit: observatum fuisse, nunquam
„Regias in Gallia stirpes defuisse, nisi
„ubi Reges indebitas ad beneficia no-
„minationes arrogare, sibi cæpissent,
„a quibus S. Ludovicus Rex Christianæ
„humilitatis non minus gloria, quam
„Regiæ dignitatis culmine sublimior,
„usque adeo abhorruisset, ut ultro e-
„tiam Pontificia authoritate sibi dela-
„tas rejecerit. Fuit hæc quondam in
„Gallia, imo ad hæc nostra tempora
„strenue retenta est penes Episcopo-
„rum ordinem Apostolica loquendi li-
„bertas, nihil metuens, nihil sperans,
„nisi a Deo; neque id solum per Reges
„licuit, sed ita Episcoporum monita
„semper accepta sunt, ut Episcopi ipsi
„& sibi meritam laudem, & caussæ
„optatum exitum sint consecuti, man-
„seritque propterea inviolata tandem
„atque inconcussa sanctio œcumenici
„Concilii Lugdunensis: adeo, ut non-
„nulli Galliæ Reges impios, & sacri-
„legos publico Decreto eos appellave-
„rint, quicunque Regaliam ad Eccle-
„sias ei non assuetas extendere aliqua
„ratione tractarent, sicuti in nostris

„an-

Sæc. XVII. A.C. 1679.

„annalibus traditum reperitur; hæc „autem temporis præsentis infirmitas „eo acerbior nobis accidit, quod sci„mus, Majestatem tuam nihil ducere „inter Regii animi tui ornamenta præ„clarius zelo justitiæ, & studio divini „honoris, pro quo tam pia & tam sa„lutaria decreta nuper edidisti, ac tam „multa tanta cum nominis tui laude, „& bonorum omnium lætitia in præ„sens agis, destruendo Synagogas, & „ædes hæreticorum, ut tibi non mi„nora in cælo statuere videaris confer„vatæ propagatæque Religionis tro„phæa, quam in terris relicturum spe„ramus devictarum gentium Barbara„rum. Cavendum tamen diligenter est, „ne quod dextera, hoc est, ingenita „pietas tua ædificat, destruat sinistra, „hæc est, callida, & iniqua consilia „dicentium tenebras lucem, & lucem „tenebras: Cum moneamus Apocto„lico Oraculo: qui in uno delinquit, „esse omnium reum. Non defuere hac „etiam occasione in gallia quidam, ne„que plures deessent ex fratribus nostris „Episcopis, viri fortes, & Divinæ le„gis, & libertatis Ecclesiæ zelatores, „qui graviffimam hanc, & toti Fran„ciæ Regno, imo Ecclesiæ universæ „communem causam pari constantia, „& spiritu apud Majestatem tuam age„rent,

Sæc. XVII. A.C. 1679.

„rent, sed metu quodam, ut ipsis vi-
„detur, justo ignoscendoque; ut Nos
„autem judicamus, vano, & non so-
„lum Episcopali officio, sed etiam ma-
„gnanimitati, æquitatique tuæ inju-
„rioso retenti silent, exspectantes, dum
„humilitas Nostra a filiali tua in hanc
„S. Sedem observantia impetret, quod
„a Regia tua justitia Ecclesiis debitum
„poscere ipsi non audent. Itaque in
„his literis Nostris illorum omnium ju-
„stum dolorem, & preces agnoscet, qui-
„nimo Dei ipsius voluntatem ore te
„nostro alloquentis, ac serio monentis,
„ut præfatum Decretum, & quidquid
„ejus occasione adversus jura liberta-
„tesque Ecclesiæ actum, gestumque
„hactenus fuit, corrigi, emendarique
„omnino cures; alioquin magnopere
„veremur, ne subire aliquando debeas,
„quam tibi alias in literis denunciavi-
„mus, & nunc iterum, & tertio, in-
„vitique quidem, quantum pertinet ad
„sensum amoris in te Nostri, sed Deo
„Nos interius movente, aperte denun-
„ciamus, Cælestis iræ animadversio-
„nem; Nos sane neque hoc negotium
„per literas amplius urgebimus, ne-
„que desides erimus in adhibendis re-
„mediis, quæ traditæ nobis divinitus
„potestati competunt, quæque in tam
„gravi & periculoso morbo omittere

Sæc. XVII. A. C. 1679.

„ſine graviſſima neglecti Apoſtolici mu-
„neris culpa non poſſumus; neque ta-
„men ullum inde incommodum, aut
„periculum, nullam quantumvis fæ-
„vam atque horribilem tempeſtatem
„pertimeſcemus; ad hoc enim vocati
„ſumus, neque facimus animam No-
„ſtram pretioſiorem, quam Nos, probe
„intelligentes, non forti ſolum, ſed e-
„tiam æquo animo ſubeundas eſſe tri-
„bulationes propter juſtitiam, in qui-
„bus, & in cruce Domini Jeſu Chriſti
„gloriari oportet. Cauſſam Dei age-
„mus, quærentes, non quæ Noſtra
„ſunt, ſed quæ Jeſu Chriſti, cum eo
„poſtea, non Nobiſcum tibi negotium
„erit impoſterum; cum eo ſcilicet, ad-
„verſus quem non eſt Sapientia, non
„eſt conſilium, non eſt potentia. Nos,
„poſtquam Miniſterii noſtri partes plan-
„tando & rigando, ſicut oportet, im-
„pleverimus, expectabimus dum operi
„incrementum det Deus, a quo accu-
„rata prece flagitare non deſinemus, ut
„verbis, & exhortationibus hiſce No-
„ſtris vim, & robur infundat, Majeſ-
„ſtatis tuæ animum ad ſalubriora con-
„ſilia flectendo, unde & mereri tu poſ-
„ſis, & Nos lætari, res tuas omnes
„ſecundiorem indies curſum fluere, ſub-
„ditas Imperio tuo gentes perpetua, ac
„optima pace florere, tibique Apoſto-
„licam

„licam Benedictionem amantissime im- Sæc. XVII.
„pertimur.„ A. C. 1679.

Enim vero ad hasce literas Rex anni sequentis die vigesima prima Junii Fontis bellaquei mira benignitate respondens testabatur, quod, quamvis ex filialis obsequii lege suam mentem circa transmissas literas Pontificias pandere diutius differre vereretur, nihilominus consultum censuerit, suam sententiam per Estræum Cardinalem proxime Romam profecturum Pontifici exponere, eoquod huic apprime notum esset desiderium in omnibus ad Ecclesiæ bonum atque incrementum concurrendi, quodque ipse nil pro Dei gloria & Catholicæ Religionis augmentum glorioſius agere possit, quam si inter ipsum & Sanctitatem suam perfecta concordia foveretur, paratusque sit, omnia ad promerendum paternum ejusdem affectum conducentia exequi. Attamen non idem erat animus Regiis Ministris; adeo enim illorum animos Innocentius suis literis non leniebat, ut etiam novos, potentesque adversarios sibi accerseret; quippe Harlæus Archiepiscopus Parisiensis, & P. de la Chaise Pontificium diploma, in quo *filii diffidentiæ* vocabantur, ulturi, Franciæ Præsules in oppido S. Germani in Laja congregatos eo adegerunt, ut

Sæc. XVII. A. C. 1679.

quamdam epistolam ad Regem, qua illum ad infectandum Papam incitarunt, hasque Pontificis literas velut Regiæ Majestati injurias traduxerunt, suo chirographo firmarent, uti mox referemus.

## §. CXVII.

## *Gerbasii dissertatio de caussis majoribus.*

*Abrege Chron. Hist. t. 10. p. 456. Argentre coll. Jud. t. 3. p. 353. Abrege de l'Hist. Eccl. t. 3. p. 482.*

EOdem tempore, quo Innocentius Pontifex, cum validiorem opem haud ferre posset, partim afflictos paternis literis solabatur, partim Regis animum iteratis monitis pulsabat, tum in ejusdem Regis aula non deerant Ministri, atque Episcopi, qui Regis voluntati ancillantes speciosissimis rationibus Regaliæ æquitatem demonstrare aggrederentur: Evocabant in laboris subsidium alienos quoque calamos, cunctosque, quos vel Pontifici infestos, vel venalis ac conductitiæ eruditionis ostentatores noverant, præmiis, amplisque honorum ac dignitatum pollicitationibus sollicitabant, ut doctis lucubrationibus Regis caussam propugnarent: Peropportuna his videbatur dissertatio *de caussis Majoribus, ad rem concordatorum de caussis &c.* quam Joannes Gerbasius Sorbonæ Doctor aliquot abhinc annis jussu Cleri Gallicani pro defen-

defendendis Ecclesiæ Gallicanæ liber- Sæc. XVII.
tatibus conscripserat: Enimvero hæc A. C. 1679.
lucubratio jam ab aliquo tempore luci publicæ subtracta erat, fervente autem dissidio circa Regaliæ jus Gerbasius sive ab aliis incitatus, sive tam nobilem ingenii sui partum ad tenebras damnari indignatus, hoc anno Regem adiit, supplex, ut suam dissertationem sub Regis patrocinio publici juris facere permitteretur: Igitur Regio diplomate munitus, hoc adhuc anno illud opus literis Francisci le Cointe excudi curavit: Ea res Pontificis animum summo mærore affecit, unde sacræ Inquisitionis Cardinalibus negotium dedit, ut hanc dissertationem mature examinarent, & si quid reprehensione dignum offenderent, censuris notarent. Hi ergo die decima octava Decembris anni sequentis hunc libellum Romæ ad libros legi prohibitos rejecerunt, prodiit etiam postea alius liber, quo Gerbasii doctrina refellebatur. Re comperta Galliæ Archiepiscopi atque Episcopi in comitiis suis congregati, Parisiensem Archiepiscopum rogarunt, ut non modo hujus Authoris dissertationem, sed etiam libellum ei oppositum a quibusdam Deputatis examinari curaret: cum igitur Mauritius Tellierus Rhe-

Sæc. XVII. A. C. 1679.

mensis Archiepiscopus referret, quod Gervasii dissertatio censorum judicio sanam contineret doctrinam, ceteri Præsules illius Authorem summis honorabant encomiis, invictum ejus studium in tuendis Ecclesiæ Gallicanæ privilegiis maximopere commendantes: cum autem alii hunc Doctorem non modo intemperantius scripsisse, sed etiam schismatica, Sedique Apostolicæ valde injuria, ac de hæresi suspecta insperssisse, haud diffiteri possent, mox eidem novam suæ dissertationis editionem demandarunt, in qua omnia, quæ a Doctoribus huic negotio destinatis notata fuissent, ac Pontificis censuram provocassent, corrigere haud gravaretur.

## §. CXVIII.

## *Animadversio in Jansenistas.*

*Hode vie de Louis XIV. lib. 93. p. 203. Abregé de l'Hist. Eccl. t. 12. p. 112.*

Hæ contentiones Parisiensem Archiepiscopum, ac Patrem de la Chaise haud adeo distentos habebant, quin non etiam in illos, quos Jansenismi postulabant, Regem concitarent: horum ergo impulsu Ludovicus XIV. hoc anno, postquam Barcosius Abbatis Sancti Cyrani Nepos anno priori vita functus est, Abbatiam hanc funditus destrui jussit. Sub idem tempus, postquam Longevillæa Ducissa hoc anno obierat, Nico-

Nicoleus, & Arnoldus qui in ejus Palatio delituerant, e Regno aufugientes, Bruxellas contenderunt; verebatur enim Nicoleus indignationem præfati Archipræfulis, in cujus notitiam veniſſe noverat, quod ipſe auctor exſtitiſſet illius epiſtolæ, quam duo Franciæ Epiſcopi contra Chriſtianæ morum doctrinæ corruptores ad Papam dederant: Poſtea Regis juſſu utrumque Bellovacenſe Seminarium everſum eſt, indeque omnes, qui eidem dudum præerant, ſub Janſenismi obtentu expulſi ſunt, cum autem Portu-Regienſes ſe ex ſuo nido expelli proſpicerent, a P. Corto Mechlinienſis Oratorii Superiore Strandiam Septentrionalem Inſulam coemerunt, ut eo ſecedere tutumque a Gallicis vexationibus receptaculum haberent: mutato tamen conſilio Holſatiæ Duci hanc Inſulam rurſus vendidere, ac ſinguli, quo exoptata ſecuritas trahebat, ſeceſſerunt. Pariter Franciæ Rex reddita Neomagienſi pace Hugonotis omnibus, eorum Templis deſtructis, jus civitatis ademit, emigrandi facultatem negavit, & ſcholis clauſis pueros ſeptimum annum egreſſos Sacerdotibus & Jeſuitis inſtituendos tradidit, quocirca quamplurimi in Angliam ſeceſſerunt. Præterea Rex hoc anno, ſuo apud Genevenſes Oratori Chavignio negotium dedit,

Sæc. XVII. A. C. 1679.

Sæc. XVII. A.C. 1679.

dit, ut Urbis Senatores eo induceret, quatenus publicum Catholicæ Religionis exercitium concedere, huncque in finem Catholicis Templum S. Gervasii reddere vellent: ast responsum dare differebant, donec tam inter se, quam cum civibus, vicinisque amicis desuper deliberassent, interim vero Chavignius, annuente Genevensi Episcopo quotidie Missam in suo Palatio celebrari curavit, quo comperto Genevenses eidem adhuc campanæ pulsum concessere, ne Regis indignationem incurrerent.

## §. CXIX.

## *Polygamiæ impietas a quodam Lutherano innovata.*

*Maur. Rel.* 83. *p.* 72.

Progerminavit hoc anno Lipsiensis Lutheri schola, fæcundissima illa monstrorum Parens, nefandum scurram Joannem Lyserum, qui edito libello Teutonico (*) sub titulo: *Medulla omnium Regionum* polygamiam simultaneam juxta Mahometis Pseudo-Prophetæ leges, innovavit, mordicusque defendit: nostris quoque temporibus, Viris, quotquot voluerint, uxores simul habere, non modo licitum, sed etiam in qui-

(*) Das Markt aller Länder.

quibusdam eventibus præceptum esse: Hanc impietatem sparsurus, Germaniam, Daniam, Angliam, Sueciam, Franciam, Italiam & Bataviam pervagatus est; paucos tamen fœditissimæ suæ doctrinæ assectas invenit; ex Dania enim imo ferme ubique non sine infamiæ nota expulsus: præcipue vero in Suecia promeritas suæ scurrilitatis pœnas dedit: postquam enim Holmiæ sui libelli non pauca exemplaria in vulgus sparserat, tanta in protervum illius Authorem rabie efferveſcebant conjugatæ mulieres, ut magno numero ipsius diversorium cingentes, eum absdubio crudeliter trucidassent, nisi Magistratus eas tempestive dissipasset, & armata vi captum in carceres conjeciſſet: Postea hic nebulo in judicium vocatus, non modo ob concitatum hunc tumultum, sed potissimum propter impium dogma unacum libello suo ad rogum damnatus est: quam tamen sententiam Rex in diuturniores carceres commutavit, jussitque, ut divulgati libelli exemplaria præsente illius Auctore numellis publicis affixo cremarentur, ipse vero toto Regno expelleretur: pariter scelestam hanc illius doctrinam Musæus, & Brunemannus confutarunt. Sæc. XVII. A. C. 1679.

Sæc. XVII. A. C. 1679.

## §. CXX.

### *Calendarii Gregoriani usus a protestantibus acceptatus.*

*Reinh. Back. part. 1. Expos. Evang. pag. 258.*

Quamvis ipsimet Protestantes ultro faterentur, quod ob diversum Calendarii Gregoriani & Juliani usum in negotiationibus, in politicis & judiciis maxima orirentur incommoda, imo propter eadem festa præcipue Paschatis diverso tempore celebranda non leves turbæ ac seditiones Augustæ & alibi a Prædicantibus, aliisque fuissent excitatæ, ac propterea jam Anno 1654. non tantum Spiræ, verum etiam Anno 1664. duodecima Aprilis die Ratisbonæ feria ad utrumque hoc Calendarium aut concordandum, aut Julianum penitus abrogandum in Imperii comitiis deliberatio habita fuerit, semper tamen Protestantes unice, ne Gregorii XIII. Romani Pontificis jus in eorum Ecclesias agnoscere, & quod Anno 1582. recenti odio in comitiis Augustanis rejecerunt, nunc approbasse viderentur, omnem conatum, ac Cæsaris decreta interturbare moliti sunt: quocirca totum negotium ad proximam Cameræ visitationem & sequentia Imperii comitia rejicere oportuit. Hoc autem rursus anno Imperator, aliique Prin-

Principes Catholici tentabant, an persuadere possint Statibus Imperii Lutheranis æque ac Calvinistis, necnon urbibus Augustanæ confessioni addictis, ut deinceps solo Calendario Gregoriano uterentur, illudque approbarent: Verum Protestantes variis artibus, ac subterfugiis horum molimina eluserunt, caussantes, ejusmodi correctionem non ad Papam, sed ad Magistratum Romani Imperii pertinuisse, aliunde vero in Gregoriana emendatione nævos adhuc restare gravissimos, ac insuper Ataxiam ex Juliano Calendario ortam nondum fuisse sublatam: magis adhuc ridicula temeritate Prædicantes sese hujus Calendarii usui oppossuere, eoquod hac correctione Pontifex se vivum esse Anti-Christum monstrarit, de quo prædictum, quod sit mutaturus tempora & leges, & super omnes se sit exaltaturus: nequidem ad horam hostibus scilicet Catholicis cedendum esse, ajebant: aliunde vero circa tempora & dies festos Prædicantes nequidem Episcopi Lutherani judicio stare obstrictos esse, multo minus Romano Lupo & jurato Protestantium Ecclesiarum hosti, præcipue cum Gregorius asseruerit, se ad hanc mutationem fuisse inductum partim a Concilio Tridentino, partim Sanctorum Calendario adscriptorum veneratio-

Sæc. XVII. A. C. 1679.

Sæc. XVII. A. C. 1679.

ratione, Proteſtantes autem huic Concilio non obedire, & Sanctos non colere: Num ad pueriles haſce rationes riſum teneatis amici? Anno autem hujus ſæculi octogeſimo Markbraiti Franconiæ oppido Ferdinandus Schwarzenburgicus Princeps Religionis Catholicæ exercitium, uſumque Calendarii Gregoriani revocavit, obnitentibus Lutheranis, qui Proteſtantium Statuum Ratisbonæ conſiſtentium opem implorabant; nec hi illis defuere, quibus tamen Princeps repoſuit, nulla ſe Proteſtantium ſubditorum ſacra interturbare, nec ad ritus Catholicos cogere, eorum tamen obedientiam in receptione Calendarii utpote in re mere politica, depoſcere: ad hæc denuo reſponderunt Proteſtantes, Calendarii uſum ob comitantes circumſtantias, præcipue ob feſtos dies religioſe obſervandos ad œconomiam Eccleſiarum ſimul ſpectare, circa quam Princeps Catholicus non jure proprio, ſed modo duntaxat vicario, & veluti Diæceſanus diſponeret, tali autem Proteſtantes obedire non poſſent: Demum anno hujus ſæculi ultimo Proteſtantes Imperii Principes circa Calendarii reformationem & reformati uſum in Proteſtantium ditionibus decreto ſtatuerunt: *Ut ſemel pro ſemper undecim dies Februarii poſteriores abji-*

*abjicerentur, feriis Apoſtoli Matthiæ in Menſis lucem decimam octavam locatis, celebratio Paſchatis & reliquorum feſtorum, poſthac pro accurata Calculi Aſtronomici ratione inſtitueretur, dies Dominicalis, feriandi & hebdomadales Proteſtantium omnes, in columna particulari exhiberentur in perpetuum cum hac inſcriptione: Calendarium emendatum* Anno autem 1724. die ſecunda Aprilis necnon Anno 1743. die duodecima Septembris rurſus Imperator dato ad Ratisbonenſia comitia decreto Calendarium Gregorianum ab omnibus recipi præcepit; cum vero Anno 1738. Æquinoctium vernale die nona Martii veſpere hora octava, & novilunium mane eadem die, qua Judæi primam Menſis Niſam diem agunt, inciperet, proin proximum pleniluniun die vigeſima quarta Martii veſpere hora ſeptima inchoaret, eodemque die Judæi Paſcha, illudque & proximo die Dominico vigeſima ſexta ejusdem Menſis Chriſtiani celebrarent, hinc in Suecia Anno 1739. Fridericus Sueciæ Rex die trigeſima Januarii præcepit, ut expuncta cyclica Dionyſii computatione, indeque ſequentibus pleniluniis paſchalibus, impoſterum Paſcha juxta morem in Germania & Dania apud Proteſtantes uſitatum figeretur. Jam antea Ludovicus Godefridus Hochenloanus Princeps

Sæc. XVII. A. C. 1679.

Sæc. XVII. A. C. 1679.

ceps Paſcha juxta Gregorianum Calendarium celebrari, die vigeſima quinta Januarii Præconibus, & incolis injunxit: Tandem vero Anno 1776. die vigeſima Januarii Ratisbonæ Principes Proteſtantes declararunt, quod *ex libera voluntate*, & præcipue ad negotiationis emolumentum & præcavenda diſſidia præprimis in mixtæ Religionis ditionibus Calendario Gregoriano apud Catholicos uſitato, ſub nomine *communis Calendarii Imperialis* accedant, proin Paſcha, ceteraque inde dependentia feſta unacum Catholicis ſimul, *ſalvo tam in Sacris quam in profanis jure territoriali*, celebrarentur: Hoc Proteſtantium Decretum non modo Catholicorum Principum aſſenſu, ſed etiam Cæſaris mandato die ſeptima Junii ratum fuit habitum, confirmatumque: Jam olim Reinhardus Backius & Burgoldenſis Proteſtantibus ejusmodi conſilium ſuggeſſere, ſuadentes, ut ſi Proteſtantes ſub Principe vel Magiſtratu Catholico degentes hoc Calendarium acceptare cogerentur, tunc de ſalvo Religionis exercitio interpoſita proteſtatione, *non in gratiam Papæ, ſed in honorem ſui Principis vel Magiſtratus*, atque ad declinandam ſeditionis ſuſpicionem illud acceptarent. Quam inſana, ac Phrenetica averſio erga Papam etiam

in

in rebus sectæ nequidem adversis, sed Reipublicæ proficuis! Sæc. XVII. A.C. 1679.

## §. CXXI.

### *Eboracensis Dux a successionis jure ex odio Catholicæ Religionis excluſus.*

Interim inferioris Curiæ, seu plebæi Ordinis Senatores, quod confictæ conjurationi credulas aures unice ex odio erga Catholicos præbuerint, nunquam apertius testatum reddidere, nisi dum Eboracensem Ducem Caroli II. Angliæ Regis Fratrem a solii jure hucusque non audita temeritate excluserunt; postquam enim profuso Catholicorum sanguine suas manus polluerunt, necnon innoxios carceribus atque exiliis excarnificarunt, sudes adhuc in eorum oculis erat Jacobus II. Eboracensis Dux religione Catholicus, proximus Regni hæres; ergo adversus hunc die Dominica, haud veriti, *ne tumultus fieret in populo*, unanimi suffragio *ac nemine contradicente* concluserunt, quod Dux, utpote Papista, eoquod conjuratis animum addidisset, Successionis jure privaretur: Ita nempe Puritani conjurationis commentum pro opportuno Catholicum Regem excludendi medio, non autem conjurationem tanquam

*Salmon hist. d' Angl. t. 1. Rapin Hist. d' Angl. l. 23.*

Sæc. XVII. A. C. 1679.

quam cauſſam hujus excluſionis diu præmeditatæ habebant: id haud incognitum erat Regi, unde eorum temeritate ſumme offenſus, cum probe proſpiceret, Sanguinarios hoſce adhuc atrociora molituros, reſponſum dare differtulit: ut tamen eos nonnihil magis humanos redderet, Duci Fratri ſuo injunxit, ut intra octiduum e Regno Bruxellas ſecederet: poſtea trigeſima Aprilis die huic Parlamento pollicitus eſt, ſe Pontificii ſucceſſoris auctoritatem adeo circumſcripturum, ut nihil mali Anglicanæ religioni inferre poſſet: Eccleſiaſtica enim omnia beneficia & dignitates eo modo conferenda eſſe, ut omnio certum ſit, ea nonniſi Proteſtantibus piis & eruditis eſſe collata, eaque impediendi poteſtatem nec penes ipſum Regem fore: nullum Papiſtam locum in privato Senatu occupaturum, nec judicis munere functurum; durante autem Papiſtæ Succeſſoris regimine, nihil actum iri, niſi auctoritate Parlamenti, pariter in militia Rege obeunte, ubi ceſſat Parlamentum, penes præcedens conventus habendi jus fore, absque nova electione vel convocatione, paratum quoque Regem eſſe, pro Regni ſecuritate, ſi quid aliud in ſubditorum rem cederet, vel a Parlamento excogitari poſſet, efficere: Vix arctio-

ribus

ribus cancellis ſuprema Regis Catholici poteſtas, quæ neminem in terris ſe ſuperiorem præter Deum habere jactitatur, a ſuo Senatu ſeu ſubditis reſtringi potuiſſet: nihilominus tamen Puritani Senatores, quibus legitimum Succeſſorem ob Catholicæ Religionis notam *omnino* a ſolio arcere, firmum, fixumque erat, die vigeſima quinta Menſis Maij decretum condidére, vi cujus Eboracenſem Ducem ad ſuccedendum in Angliæ throno inhabilem declararunt, perinde acſi certæ juris naturalis violationi dubium prædominantis ſectæ periculum prævalere poſſet. Eapropter ab ipſis Anglis æqui bonique ſtudioſis hi Senatores pro infatuatis habebantur, qui ſimulato Religionis amore Divinas, humanasque leges conculcare haud vererentur, alii illos novitatis ante Henrici VIII. ſchisma nunquam auditæ inſimulabant, indignantes, quod Regni Succeſſorem, eoquod Catholicus eſſet, excludendo, ipſius ſuæ ſectæ infantiam nimis aperte proderent; quod vero ipſorum decretum nil niſi teterrimam odii & malevolentiæ peſtem exhallarit, ex ipſius verbis elucet: „Quia, inquiebant ipſi, Emiſ„ſarii Papæ, Sacerdotes, ipſiusque Pro„curatores Jacobum Eboracenſem Du„cem proximum regni hæredem ſeduxe„runt,

Sæc. XVII. A. C. 1679.

*Hiſt. de Jacq. II. Mem. de la dem. revol. d'Angl. t. I. pag. 6.*

Sæc. XVII. A. C. 1679.

„runt, illumque ad amplectendam Ec-
„cleſiæ Romanæ communionem indu-
„xerunt, eique Authores exſtitere, ut
„cum Pontifice, Cardinalibus & Nun-
„tiis ad promovenda Religionis Catho-
„licæ negotia, varia agitaret conſilia,
„hique ejus auctoritate ſuffulti, Regis
„Franciæ potentiam non ſine manifeſto
„Angliæ diſcrimine auxerint, tandem-
„que Principe Catholico ad ſolium e-
„levato, necnon inito cum exteris fœ-
„dere eorumque ſuppetiis damnanda
„eorum molimina ad exitum deducta
„eſſent (*) . . . . quocirca, auctori-
„tate Regis, (**) ac utriusque Parla-
„menti decernimus, I. præfatum Ja-
„cobum ad hæreditatis jus in Angliæ,
„Scotiæ & Hiberniæ Regna ineptum,
„& juribus, titulis, prærogativis, præ-
„fatorumque Regnorum proventibus
„fruendi incapacem eſſe. II. Si Res
„obie-

(*) An non hæc omnia meris ſuſpicionibus, conjecturis, & pro more & arbitrio contra Papam &c. excogitatis commentis innitantur, Lector a partium ſtudio alienus dijudicabit, ſaltem in re tanti momenti Senatores non nuda verba, & frivolas accuſationes, ſed validas earum probationes adducere debuiſſent.

(**) Quam falſo Regis conſenſum adducant, ipſius oppoſitio probat.

„obierit, aut regimini cesserit, hæc Re- Sæc. XVII.
„gna ad illum, qui successionis ordine pro- A. C. 1679.
„ximus, esse devoluta, perinde ac si Dux
„haudultra vita superstes foret. III. Om-
„nia, quæcunque Dux sub obtentu Re-
„giæ potestatis, attentaturus esset, non
„modo irrita, sed ipsum etiam tanquam
„perduellionis reum esse plectendum.
„Quemlibet, qui deinceps hunc Du-
„cem in cujuspiam Regni possessionem
„inducere, aut hunc in finem cum illo
„conferre ausus fuerit, læsæ Majestatis
„reum fore. V. Si idem Dux vel
„unico pede in aliquod ex his Regnis
„redire attentarit, pariter ejusdem
„criminis reum haberi, atque eundem
„comprehendere, captumque detinere
„cuilibet integrum esse, si vero Dux vel
„ejus fautores resisterent, armorum vi
„esse coercendos.„ Hoc edictum non-
nullis adeo iniquum videbatur, ut ex
trecentis triginta quinque suffragantibus centum viginti octo reclamarent. Ne vero Rex a sanguinariis hisce plebæi Ordinis Senatoribus ad confirmandum hoc decretum adigeretur, Parlamenti Sessiones usque ad Mensem Novembrem anni sequentis prorogavit, non sine maxima Senatorum indignatione, quam sat luculenter testabantur sparsis in vulgus libellis famosis, quibus Regem populo exosum

Sæc. XVII. A. C. 1679.

reddere satagebant, ac feralem scenam, qua anno hujus sæculi quadragesimo Carolum I. Regem suum ambitioni, invidiæ ac furori suo immolabant, in Carolo II. renovare nitebantur, nefando sub obtentu, quod Rex auctoritate sua Regia in Regni ac Religionis ruinam abuteretur: hoc autem colore continuas suas conspirationes in Regem, quas Catholicis imputabant, honestare, ac sanguinariam doctrinam de licita Regis Tyranni occisione ab ipsis adoptatam in usum deducere non erubuere: Nihilominus Rex fratrem suum Ducem sine legitima caussa exulare jussum in Angliam se revocasse Parlamento significabat, eoquod ipsius potissimum interesset, ut præsens, quæ in eum attentarentur, percipere posset. Tum vero quidam Proceres ad omnem formam mutabiles, Regi libellos offerebant, in quibus adversus temerarios Parlamenti ausus vehementer declamabant, inde vero resuscitatæ fuerunt factiones, quarum una Regiis partibus addicta *Torys* seu latrones a reliquis vocabatur, altera vero *Whiggs* seu rigidi dicebantur: Postremæ hujus factionis Dux erat Schaftburgus Comes qui, ut Ducis Eboracensis exitium machinaretur, Monmuthum Ducem legitimum esse Regis Filium in vulgus spargebat.

gebat, asserens, Carolum Regem vero matrimonio junctum fuisse Walteræ Monmuthi Ducis Matri, hujusque conjugii tabulas apud Gilbertum Gerardum etiamnum in nigra quadam cista asservari. Tam effrons, tamque ferax mendaciorum illo ævo erat Calviniana rabies! quo autem hoc commentum spectaret, haud ignorabat Rex, ac propterea Gerardum coram pleno Senatu adesse jussit. Hic vero interposita juramenti religione palam profitebatur, nunquam sibi ejusmodi tabulas fuisse consignatas, nec unquam ea de re se quicquam inaudiisse, cujus testimonio legitime comprobato Rex publico edicto declarabat, putidum esse mendacium, quod vel unquam cum quadam fœmina, præter Catharinam Conjugem suam Reginam, connubio junctus fuisset: spe igitur sua delusi factiosi, Castelmainium Comitem, quinque Proceres in Londinensi Turri inclusos, Powisiam Comitissam, pluresque alios Catholicos accusabant, perinde acsi in Presbyterianorum odium ad Oatis exemplum novam conjurationem contra Regem adinvenissent, re autem discussa omnes, qui hujus commenti inventores dicebantur, tanquam innocentes declarati & Oates ac Dangerfieldus novi hujus commenti Architecti tanquam impostores

Sæc. XVII. A. C. 1679.

Sæc. XVII. A.C. 1679. res rejecti sunt. Reipsa autem Presbyteriani in Scotia seditionem concitarunt, quam tamen partim captis, partim cessis, dissipatisque rebellibus idem Monmuthus Nothus Regis Filius extinxit, atque Eboracensis Dux in Scotiam a Rege missus, sua vigilantia morumque comitate hujus Regni pacem, tranquillitatemque restituit, & factiosos ad officium tam prospere revocavit, ut Scoti datis literis Regi testarentur, quod Ducem tanquam legitimum Regni hæredem agnoscerent, atque iniquam ejus exclusionem a Parlamento factam abominarentur.

## §. CXXII.

## *Varia Innocentii XI. Pontificis Maximi gesta.*

*Gottfrid. cont. Hist. Chron. t. 3. lib. 9.*

Cum Franciæ Rex pace recens firmata, non modo rursus in Belgio & Alsatia hostiles motus faceret, sed etiam ingentem armorum apparatum in Italiæ finibus contraheret, summus Pontifex magnum inde dolorem concepit, deploravitque, quod Christianos Principes ad mutuam concordiam, & jungenda arma contra Turcas jam jam cum numeroso exercitu advolantes inducere haud posset: nihilominus nondum animum despondens, Franciæ Regem

Regem rogabat, quatenus suam classem Pontificiis, Venetisque navigiis jungere vellet, ut Respublica Turcis Corcyrum Insulam infestare parantibus, totis viribus obsistere valeret. Insuper Vidonio Cardinali Apostolico apud Polonos Nuntio injunxit, ut Radzivilium Principem, qui Polonos ad bellum Turcis denuntiandum paratos referebat, dehortaretur, ne in Viennensi Legatione sua tantam pecuniarum summam non sine magno Polonici ærarii dispendio profunderet, nec Romam veniret, sed potius assignatas Polonis pecunias eo mittere festinaret, huic tamen monito Razivilius morem gerere recusans, anno sequenti Romæ decessit. Die etiam nona Julii Pontifex Thuribium Mongroveum Limæ Archiepiscopum Beatorum fastis adscripsit, concessitque facultatem Missam & Officium celebrandi Limæ, ubi obiit, & Majoricæ, ubi natus est, & Salmanticæ, ubi studuit, exponendi ejus reliquias, non tamen in supplicatione circumferendas. Pariter Pontifex pro avertenda pestilentia, in Polonia & Germania sævius grassante Anni sacri gratias promulgavit. Ut vero eo efficacius minus honestum mulierum vestitum extirparet, Sacerdotibus injunxit, ut fœminis nude circa collum

Sæc. XVII. A. C. 1679.

Sæc. XVII. A. C. 1679.

incedentibus peccatorum veniam denegarent; ac insuper indicta mortis pœna Sartoribus vetuit, ne ejusmodi vestes conficerent. Denique omnibus Clericis vestimentorum & conviviorum luxum, Cardinalibus vero theatralium ludorum frequentationem interdixit.

## §. CXXIII.

## *Francisci Barberini Cardinalis obitus.*

*Ciacon. in vita Urban. VIII. Purp. doct. lib. 6.*

Hoc anno Franciscus Barberinus Urbani VIII. Pontificis Nepos vivere desiit. Hic Florentiæ natus, literisque sacratioribus apprime instructus, a Patruo suo Purpuratorum Collegio anno hujus sæculi vigesimo tertio adscriptus est, ac variis Præfecturis, aliisque honorificis juxta ac onerosis muniis præpositus, Sedis Apostolicæ Legatus ad Franciæ & Hispaniæ Reges decernebatur, inde vero redux, Urbinatensem atque Avenionensem Legationem summa cum laude obibat; nec tamen æmulorum invidiam declinare poterat; horum enim livore, communibus cum ceteris Barberinis calamitatibus involutus, in Gallias nocte intempesta profugere compulsus est, ubi tamdiu exul hæsit, donec defervescente Innocentii X. ira male concepta revocatus, agnita innocentia a Pontifice variis honoribus

bus cumulabatur: ipse vero deinceps nonnisi pietatis exercitiis intentus, pauperes ægrotos medicinis, egentes vero familias, quas pudor a colligenda palam stipe retraxerat, quotidiano victu sublevabat, Mariæ etiam Henrietæ Angliæ Reginæ post Mariti sui capite plexi necem quotannis sexaginta florenorum millia, totidem Bavariæ Duci contra hæreticos pugnanti, plura etiam Venetis Turcico bello implicitis dono transmisit. Egregius etiam eruditorum fautor, ac doctrina, rerumque antiquarum cognitione nulli secundus Bibliothecam longe celeberrimam Romæ extruxit, ac ubique immortalem liberalitatis suæ ac beneficiorum memoriam omnium cordibus inscriptam reliquit. Decessit tandem meritis & annis plenus die nona Novembris, annos natus octoginta duos. Sæc. XVII. A. C. 1679.

## §. CXXIV.

## *Giberti Borromæi Cardinalis extrema.*

Hujus fatum præcesserat Gibertus Borromæus patria Mediolanensis, qui emenso Studiorum curriculo Doctoris honores emeruit ac Præsulari veste indutus, paulo post Ferrarienſi Legatione honoratus est, quam etiam ob singularem justitiæ amorem, raramque *Old. in add. in Ciacon. Eggs Purp. doct. p. 424.*

Sæc. XVII. A. C. 1679. in rebus gerendis solertiam cum ingenti civium applausu obibat: postea Romam reversus, pluribus Patrum cætibus, gravissimisque Ecclesiæ negotiis adhibitus, meritorum suffragio purpuram adeptus est, qua dignitate auctus miro scientiæ & eruditionis consortio jucundam duxit vitam tanto Principe dignam, & Reipublicæ bono maxime proficuam; Æmilianam quoque Provinciam Legatus integro triennio tam prudenter moderabatur. ut præprimis Clero ad omnes honestatis leges revocato, populum solo virtutum suarum exemplo, ad pietatis Studium permoveret, facinorosos vero sola dignitatis suæ auctoritate, non suppliciorum severitate coerceret, unde eo Rectore nullus capitali pœna affectus erat, cum nullus ea dignus reperiretur. Demum a Clemente X. hac legatione solutus, Romam reversus est, ubi salutis suæ negotio, ac literis intendens, tandem die decima sexta Januarii anno ætatis suæ sexagesimo quarto æternitatis viam glorioſe ingressus est.

## §. CXXV.

## *Joannes Franciscus Gondius Cardinalis mortuus.*

Obiit

Obiit quoque hoc anno Joannes Franciscus Paulus Gondi Cardinalis, dictus vulgo Radesianus, alternantis fortunæ spectaculum. Hic juventutis indomitæ impetum secutus, semel iterumque profanas delitias, quasi per transennam, carptim delibavit, sensimque a permissis ad vetitas cupiditates (adeo exiguum est licitorum illicitorumque confinium) prolapsus fuisset, nisi vocante Deo tandem, quod inter mundi illecebras oppido rarum est, introspicere orsus esset semetipsum, suæque salutis periculum: ruptis igitur omnibus pristinæ consuetudinis vinculis, spretisque Aulæ honoribus Instituto Sacerdotum Oratorii sese addixit, ubi sublimioribus scientiis mentem excolens, in Theologiæ studio ac Patrum lectione adeo profecit, ut Sorbonæ Doctoribus aggregatus, non modo crebro vastæ eruditionis specimine, sed & fervidis e suggestu sermonibus ingentem sibi pararet existimationem: Pluribus etiam Abbatiis præpositus, a Patruo suo in Parisiensis Archiepiscopatus Coadjutorem, ab Urbano autem octavo Pontifice in Corinthiacum Antistitem renuntiatus est. Habuit tamen in Regis aula sibi adversantes Mazarinum Cardinalem, ac ipsam Franciæ Reginam, a quibus indigne habitus, Gasto-

Sæc. XVII. A. C. 1679.

*Ciacon. in vita Innoc. X. Mem. du Card. de Retz.*

Sæc. XVII. A. C. 1679. Gaſtonis Aurelianenſis Ducis conſiliis ancillari cæperat: Poſtquam vero Rex Pariſios reverſus fuerat, Gondius inſidias vitæ ſuæ ſtructas eluctatus, totum ſeſe paſtoralis officii ſui curis ſacrabat, ac frequenter ad populum dicebat; nihilominus prævalente æmulorum potentia clam Vicennas captus abducebatur, adverſus hanc violentiam ſummo Pontifice, Pariſienſi Clero, & Sorbona vehementer declamantibus: poſtquam vero Archiepiſcopatus ceſſione ſuam libertatem redemerat, in Hiſpaniam profectus, oblatam aurei velleris dignitatem, multamque auri vim recuſavit, ac continuato itinere Romam contendit, ubi ab Innocentio X. perbenigne exceptus, eo mortuo haud parum Alexandri VII. electionem promovit; recrudeſcente autem novercantis fortunæ invidia, Roma exceſſit, atque in Belgium, indeque in Angliam delatus, Carolum II. Regem ad fidem Catholicam animo amplectendam induxiſſe fertur: tandem Pariſios reverſus, ut æris alieni onere ſolveretur, famulitio, veſtitu & victu honeſto magis, quam ſplendido utebatur, imo ipſam quoque Purpuram abdicare paratus erat, dummodo Clemens X. ad Gallorum vota Cardinalem natione Gallum hac dignitate honoraret: tandem vero in

in Abbatia ad S. Dionyſium, quam a Franciæ Rege obtinuerat, beato fine quievit: Erat ſane Præſul ſermonis eloquentia, animi conſtantia, atque eruditionis ubertate celeberrimus, adverſa fortuna tranquille, proſpera moderate uti aſſuetus, ſuo exemplo comprobans, optimum eſſe ſuæ quemque fortunæ fabrum: ſua quoque magnanimitate, morumque ſuavitate populi amorem mire ſibi conciliabat: Exſtant vitæ illius commentarii, primum anno Chriſti milleſimo ſeptingenteſimo decimo nono Amſtellodami editi, hos ab ipſo Cardinale conſcriptos referunt Proteſtantes, verum ab his ſub ejus nomine confictos fuiſſe, exploratum eſt. Sæc. XVII. A. C. 1679.

## §. CXXVI.

## *Diverſæ ſummi Pontificis Conſtitutiones.*

Plures hoc anno Conſtitutiones Apoſtolicas Innocentius XI. Pontifex Maximus edidit, ac primo quidem die trigeſima prima Julii confirmavit indulgentias Sodalibus ſancti Roſarii conceſſas: facultatem quoque celebrandi feſtum B. V. Mariæ de monte Carmelo unacum Miſſa & officio indulſit pro Regno Luſitaniæ. Declaravit pariter quod ſi feſtum S. Benedicti transferatur, ple- *Bullar. magn. Conſt. Innoc. XI. tom. 7.*

Sæc. XVII. A. C. 1679.

plenariæ etiam Indulgentiæ translatæ cenſeantur: Separavit inſuper quatuor Monaſteria FF. Eremitarum S. Auguſtini a Provincia Bavarica, ſcilicet Salisburgenſe, Diſſembergenſe, Ratembergenſe & Sefeldenſe, eaque aliis Provinciis aggregari juſſit, cum autem Carolus II. Hiſpaniarum Rex S. Joſephum in Regni Patronum elegiſſet, Papa ad Regis preces hanc electionem confirmavit, conceſſis in ejus Feſto indulgentiis plenariis. Præceperat idem Pontifex Luſitaniæ Inquiſitoribus, ut quædam judicii acta contra Judæos inſtructa in manus Nuntii Apoſtolici conſignarent, cum vero hi parere recuſaſſent, eos propter hanc inobedientiam ſuſpenſionem ab officio incurriſſe denuntiavit; ut poſtea memorabimus. Conceſſit præterea privilegium præſcriptionis centenariæ Canonicis Regularibus S. Joannis in Luſitania, prout Paulus III. Congregationi Caſſinenſi illud indulſerat: denique feſtum Patrocinii B. V. M. ab Alexandro VII. inſtitutum extendit, ad cunctas Regis Catholici ditiones: pro eodem etiam Regno declaravit, quod omnes Miſſæ per quoscunque Sacerdotes in die commemorationis defunctorum celebratæ ad quæcunque Altaria, defunctorum animabus æque ſuffragentur, acſi in Altari privilegiato fuiſſent celebratæ.

§ CXXVII.

Sæc. XVII.
A.C. 1679.

## §. CXXVII.

### *Sacrarum Congregationum deciſiones.*

*Deciſ. ſancti Congr. Rit. Offic. Rotæ &c.*

Ejusdem ſummi Pontificis juſſu & approbatione plura hoc anno decreta a Sacris Congregationibus Romanis fuere promulgata, ac præprimis Sacra Rituum Congregatio die decima ſexta Januarii decidit, quod in ſupplicationibus Fratres Minores Obſervantes præcedant Capuccinos in eadem urbe, quia iſti ſunt priores in ordine qualitatis & approbationis Apoſtolicæ, etſi Capuccini eſſent priores in fundatione in eodem loco, poſteriores tamen in approbatione Apoſtolica. Eadem quoque Congregatio die vigeſima prima ejusdem Menſis declaravit, quod ſi dies octava S. Antonii Patavini occurrat infra Octavam SS. Corporis Chriſti, apud Fratres Minores, & ubi eſt titulus Eccleſiæ, vel Patronus loci, fiat de præfata die octava cum commemoratione de octava Corporis Chriſti, & S. Sylverii cum nona ejusdem lectione. Cenſuit quoque S. Concilii Congregatio die duodecima Februarii, circa communionem in feria ſexta Paraſceves ſervandas eſſe Miſſalis rubricas, & uſum Eccleſiæ Romanæ. Declaravit etiam S. Rota die decima quarta Aprilis, quod

Sæc. XVII. A. C. 1679. quod proceſſionis inchoatio, & termi-natio in Eccleſia, illius primatum, & ſuperioritatem non demonſtret, ſi pro ſola commoditate, & ne Clerus itinere fatigetur, facta ſit: deciſum inſuper habetur a S. Indulgentiarum Congregatione die ſecunda Maij, quod ſi Pontifex omnibus capellam intra Regularium clauſtra ſitam viſitantibus indulgentiam concedit, non intelligatur capella in ipſo dormitorio conſtructa, proin nulla ſit conceſſa facultas mulieribus ingrediendi clauſtrum: Die autem trigeſima Septembris S. Rituum Congregatio declaravit, quod Miſſæ de Conceptione, Nativitate, Purificatione, & Aſſumptione B. V. necnon de Nativitate, Circumciſione, Epiphania, reſurrectionis & Aſcenſionis Domini & S. Joannis Baptiſtæ ut votivæ etiam in Sabbatis celebrari non valeant, feſtum vero duplex occurrens ante Octavam non privilegiatam non transferatur poſt octavam, ſed infra eandem celebretur, niſi forte omnes dies infra octavam eſſent impeditæ. Denique S. Concilii Congregatio die ſecunda Decembris decidit, quod non debeat approbari Confeſſarius pro illis, qui cum ipſo participant in opere carnali, vel maleficio, aut abortu, ne confeſſiones ſine erubeſcentia fiant.

§. CXXVIII.

Sæc. XVII.
A. C. 1679.

## §. CXXVIII.

### *Synodi Tornacenſis decreta.*

Rurſus hoc anno Gilbertus Choiſelius Tornacenſis Epiſcopus Diæceſanam Synodum die decima octava Aprilis celebrabat, in qua juxta Pariſienſe ſtatutum matrimonia coram invitis Parentibus contracta abrogavit. Pollicitus quoque eſt, ſe mature examinaturum Parochorum querelas circa nimiam Religioſorum in ſuis Parochiis mendicantium multitudinem, & prætenſionem quarumdam Monialium, quæ puellas apud ſe educatas necnon earum ancillas ſæculares voluerunt eſſe exemptas a debito Paſchali in Parochia perſolvendo, etſi ſæpius hæ e clauſura egrediantur. Prohibuit etiam cunctis Confeſſariis, ne ullas puellas, quæ cum Viris popinas frequentant, aut caupones, qui Viros juvenes unacum puellis ad potandum recipiunt, ſacramentaliter abſolvant. *Concil. Germ. t. 10.*

## §. CXXIX.

### *Principum atque Illuſtrium obitus.*

Inter varios Principes, quorum vitæ hic annus exitialis fuit, ſingulari memoria dignus eſt Ferdinandus Maria *Wagner hiſt. Leop. l. 7. pag. 492.*

Sæc. XVII. A. C. 1679.

secundus Bavariæ Elector Religionis servore, vitæ innocentia, & animi magnitudine nemini secundus. Hic nec amplis Gallorum promissis, nec Electorum Ecclesiasticorum, suæque Conjugis precibus induci poterat, ut excluso Leopoldo Austriaco Cæsareum diadema acceptaret: pari etiam moderatione, pacisque studio sese ita Gallis addictum monstrabat, ut tamen nec illis suppetias ferret, nec Cæsari molestiam crearet: Tandem vero die vigesima sexta Maij, cum Schleishemii ultra solitum dormire crederetur, mortuus in lectulo suo repertus est, non nisi quadraginta tres annos natus. Successit eidem ejus Filius Maximilianus Emanuel, ejus vero Filia Maria Anna Christina Ludovico Franciæ Delphino nupsit. Eodem hoc anno, quo Hispaniæ Rex Mariam Aloysiam Philippi Aurelianensis Ducis Filiam sibi in Thori conjugalis sociam die trigesima prima Augusti selegerat, Joannes Austriacus inopina morte sublatus est. Hic pro suprema, quam ei Carolus Rex adjudicabat, auctoritate non modo Novimagi pacem cum Gallis confecerat, sed etiam universum Hispaniæ Regnum a variis Ministrorum oppressionibus, aliisque corruptelis vindicabat: inde vero quorumdam Magnatum, quibus nimia

nimia ejus potentia exosa erat, livorem ac invidiam sibi accersebat; unde nec vana erat suspicio plurium, qui illum veneno a quibusdam Optimatibus propinato sublatum credidere: Obiit autem die decima septima Septembris anno ætatis suæ quinquagesimo. Meliore fato die decima Decembris octogenarius e vivis excessit Joannes Mauritius Nassovius Princeps Clivensis Gubernator ac supremus Belgii fœderati Maresçallus. Hujus vestigia pressit Joannes Fridericus Hanoveranus Dux, contra gentis suæ institutum religioni Catholicæ addictus. Hic Venetias profecturus, die vigesima octava ejusdem Mensis repentina morte Augustæ Vindelicorum oppressus est: uxorem reliquit unacum tribus filiabus Benedictam Odoardi Palatini Rhenani Filiam pariter Catholicam. Successit Friderici Frater Osnabrugensis Pseudo-Episcopus, qui omnes Catholicos e sua ditione vi expulit. Denique fatis concessit Antonia Wirtenbergici Ducis Princeps, quæ contra Lutheri placitum vitæ conjugali cælibatum prætulit, Prædicantibus illam nec incontinentiæ arguere, nec continentiæ dono dotatam celebrare audentibus. Sæc. XVII. A. C. 1679.

Sæc. XVII. A. C. 1679.

## §. CXXX.

## *Scriptorum religione Catholicorum opera & deceſſus.*

*Le Cerf Bibl. Hiſt. & Crit. pag. 185.*

Paucorum Scriptorum religione Catholicorum lucubrationes relegere haud ingratum erit, ac primo quidem Petrus Benedictus de Jumilac Benedictinus Congregationis S. Mauri edidit ſcientiam & uſum pleni Cantus Eccleſiaſtici teſtimonio S. Patrum comprobatum. II. Franciſcus Combefiſius Ord. FF. Prædicat. edidit Græco-latinam Bibliothecam vetuſtiſſimorum Eccleſiæ Patrum: octo volumina Bibliothecæ Patrum concionatoriæ, opera S. Maximi notis illuſtrata, Theophanis chronographiam, Hiſtoriæ Byzantinæ Scriptores, & alia pene innumera. III. Ludovicus Maria Acudi, qui diu Theologiam profeſſus, ac ſummo applauſu in celeberrimis urbibus concionatus, poſtquam per viginti novem annos Carmeli excalceati inſtitutum profitebatur, ex ſummi Pontificis indulgentia ad Ordinem FF. Prædicatorum tranſiit, ibidemque decem ferme annos vixit: Edidit, cum adhuc apud Carmelitas Excalceatos militaverat, librum de Scriptoribus utriusque Carmeli. Indicem eorum, quæ innumeri pene auctores de una-

unaquaque re ex professo scripserunt, & tractatus de Jure & justitia, restitutione, contractibus & censuris, post suum vero transitum scripsit varios sermones. IV. Petrus ab Angelis Carmelita Excalceatus typis vulgavit tractatum de ordine judiciali & praxi tribunalis religiosorum, spicilegium privilegiorum Regularium in communi præter alia. Sæc. XVII. A. C. 1679.

## §. CXXXI.

### *Scriptores Acatholici hoc anno denati.*

Celebriores ex Scriptoribus Acatholicis, qui relictis quibusdam lucubrationibus hoc anno decesserunt, sunt præprimis Thomas Hobbesius, qui Atheismi insimulatus, ex Anglia in Franciam profugere coactus est, eo quod Anglos a cæde Caroli I. Regis avertere molitus esset. Scripsit librum de cive, suum Leviathan, tractatum de homine, & corpore politico, & vitam propriam. II. Franciscus Burmanus edidit syntagma Theologicum, & librum de passione Domini. III. Jacobus Altingius typis vulgavit Rempublicam Hebræorum scholasticam, commentaria in Caput XI. ad Romanos, & varia alia. IV. Balthasar Menzer posteris *Carol. memoral. p. 222. & 228. Freher Theatr. erud.*

Sæc. XVII. A. C. 1679.

steris reliquit disputationes, extortam explicationem quæstionis de termino vitæ humanæ, considerationes de conventiculis, & colloquii Warenbergiani de Polygamia. V. Valentinus Fromme publici juris fecit Gnostologiam, Theologiam Catecheticam, catenam fidei, coercitivam potestatem Prædicantium, dissertationes Theologicas de bono Pastore, quæstionem, an inter Lutheranos & Calvinistas concordia Ecclesiastica sanciri possit, ac denique sensum Lutheranum exorcismi in Baptismo. VI. Petrus Ericus Liung edidit compendium Philosophiæ moralis, disputationes de libertate humana, de pietate in Deum & proximum, de vario sepeliendi ritu, de præstigiis dæmonum, de pace, Hospitalitate, jure Parentum in liberos, de educatione, de amore sui præter plura alia. VII. Joannes Theillius scripsit Hecatontadem quæstionum moralium, Analysin scholasticam Epistolarum cum resolutione Evangelii S. Lucæ, & Hymnos de Christo.

HISTO-

Sæc. XVII. A. C. 1680.

# HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ CONTINUATÆ.

## *LIBER CCVIII.*

INNOCENT. XI. PONTIF. MAXIM.
LEOPOLDUS I. ROM. IMP.

### §. I.

### *Iniquæ Puritanorum querelæ in Anglia contra Catholicos.*

Nondum in Anglia profuso innocentium Catholicorum sanguine extincta erat rabida sitis Presbyterianorum, ex quibus potissimum plebæi Ordinis Senatus constitit: quamvis enim hi Seroggsium capitalis fori Præfectum, aliosque ab Oate & Bedloo falso accusatos fuisse deprehenderent, eorum testimonia ab aliis quamplurimis falsitatis convicta, inter se pugnantia, ac centenis fabulis conspersa fuisse, etiam manibus palparent, prævalente tamen insano eorum Catholicos eliminandi proposito ex Catholicis quamplurimos

*Salmon hist. d'Angl. Theatr. Europ. t. 12. Rapin Hist. d'Angl. lib. 23.*

Sæc. XVII. A.C. 1680.

hoc item anno ad carceres, exilia, extremaque supplicia condemnarunt, ipsumque Ducem Eboracensem successionis jure exuere, pertinaciter persisterunt: Incassum Lionnellus Jenkins supremus Regni Secretarius pluresque alii indignitate facinoris commoti objectabant, cunctis legibus imo ipsis etiam Religionis principiis esse adversum, quod duntaxat ob Religionis diversitatem etiam privatus suo jure spolietur, & de nullo crimine convictus, imo nequidem auditus condemnetur, & Rex, qui tamen soli Deo suum jus debet, a quacunque potestate in terris privetur, præsertim cum omnes subditi adstringantur nupero juramento, quo polliciti essent, *quod Regi ejusque hæredibus ac Successoribus fidem & fidelitatem servaturi, & ipsum ipsosque pro viribus suis contra omnes conspirationes, & machinationes, quæcunque instituentur contra ipsius vel ipsorum personas, coronas, ac dignitates, defensuri sint.* Verum hæ, pluresque aliæ rationes nihil valuere in animis eorum, qui ad promovendum Catholicorum exterminium divinas, humanasque leges proculcare, sibi haud religioni ducunt: hoc furore incitati, omnem captabant occasionem, ut populo in Catholicos odium instillarent, simulque Catholicum Successorem excludendi

dendi necessitatem persuaderent: cum igitur Rex pro conservanda Tungri Urbe, quam Mauri toto impetu obsederant, suppetias peteret, hanc propositionem e re nata censebant Senatores, ut novas querelas contra Catholicos ad Regem deferrent, non eo fine, ut Regni periculum ex Maurorum invasione imminens Regi exponerent, sed ut populo Ducis exclusionem minus horrendam depingerent: Porrecto itaque libello exponebant. I. Huic urbi ferme semper præfuisse Catholicos, & præsidium ex Tribunis & milite Catholico fuisse compositum. II. In Anglia adeo prævaluisse Catholicos, ut prodigii loco habendum, quod Parlamentum ad eos opprimendos remedium invenire potuerit. III. Eos in sui incrementum ipsas leges contra illos sanctas vertisse, Judices & Magistratus eis oppositos sua auctoritate spoliasse, eorumque, quos corrumpere non poterant, ruinam promovisse. IV. Parlamentum duntaxat in rei Catholicæ commodum toties fuisse dissolutum. V. Auri suppetias Regi concessas ex Catholicorum consilio fuisse erogatas in arma Protestantibus inferenda, & augendam Gallorum potentiam. VI. Plurimos subditos sub Gallorum signis militare coactos, & Regis Ministros per Franciæ

Sæc. XVII. A. C. 1680.

Sæc. XVII. A. C. 1680. Regem apud Batavos ſollicitaſſe, ut ibidem Catholici ſuæ Religionis libertate frui poſſent. VII. Leges contra Catholicos latas non fuiſſe executioni datas, imo Non-conformiſtas Proteſtantes eorum impulſu fuiſſe vexatos. VIII. Catholicos a præſtiti juramenti fide fuiſſe a Papa ſolutos. IX. Quemdam Regis Miniſtrum Catholicum ad exterminandam religionem cum Papa, aliisque Principibus conſilia cudiſſe. X. Ex hoc autem literarum commercio ortam eſſe damnandam ac infernalem nuperam conjurationem. XI. Catholicos, ut hanc conſpirationem occultam tenerent, quemdam trucidaſſe Judicem. XII. Parlamentum, dum præcipuos conjurationis authores dijudicare pararet, fuiſſe tamdiu diſſolutum, donec interim Catholici ſua crimina occultandi, ſibique proſpiciendi ſpatium haberent. XIII. Teſtes præmiorum & Ducis Eboracenſis gratiæ pollicitationibus fuiſſe corruptos. XIV. Falſam conjurationem in odium Proteſtantium fuiſſe adinventam. XV. Judicem quemdam ſuo officio fuiſſe amotum, eoquod ſcriptum quoddam contra Eboracenſem Ducem acceptaſſet. XVI. Novellas, quibus Papismus ludibrio habetur, a Regiis fuiſſe prohibitas. XVII. Inſuperhabitis decretis de Catholicis Lon-

dino

dino & Weſtmonaſterio expellendis, hos tamen etiamnum ibi magno numero degere. Sæc. XVII. A.C. 1680.

Hæc mere in Religionis odium excogitata fuiſſe, noverant non pauci, ſuſpicabantur univerſi: nihilominus plæbei Ordinis Senatores ſuum edictum de Eboracenſi Duce a ſucceſſione excludendo ad Procerum Senatum transmittere præſumpſere, a quo ex nonaginta tribus ſuffragiis nonniſi triginta, & ex quatuordecim Epiſcopis duntaxat tres iniquæ ſententiæ acceſſerunt: inde vero Puritani Senatores in rabiem acti, ex ipſo ſuo Senatu nonnullos falſis criminationibus, carceribus, atque exauctoratione vexarunt.

## §. II.

## *Sententia Pariſienſis Facultatis circa juramentum Anglicanum.*

Jam ſæpius meminimus, quod Angli Catholicis, ut eos a ſectæ ſuæ Aſſeclis diſcernerent, varia juramenta imposuerint: inde vero tenerioribus Catholicorum quorumdam animis injecta eſt religio, an ſalva fide ac tuta conſcientia Catholici Angli ſubſequens præſtare valeant juramentum a Proteſtantibus præſcriptum: *Argentre Coll. Jud. t. 3. part. 1. pag. 139.*

„Ego

Sæc. XVII. A. C. 1680.

„Ego N. N. vere & ſincere agnoſco, „profiteor, teſtificor, & declaro in con„ſcientia mea, coram Deo & mundo, „quod ſupremus Dominus noſter Rex „Carolus eſt legitimus, & verus hujus „Regni Rex, & omnium & aliorum „Majeſtatis ſuæ Dominiorum & terra„rum. Et quod Papa nec per ſeipſum, „nec per ullam autoritatem Eccleſiæ „vel Sedis Romanæ, aut per ulla alia „media cum quibuscunque aliis ali„quam poteſtatem vel autoritatem ha„beat Regem deponendi, vel de aliqui„bus Majeſtatis ſuæ Regnis aut Domi„niis diſponendi, vel alicui Principi „extraneo ad ipſum damnificandum, „aut terras ſuas invadendum autorita„tem concedendi, vel ullos ſubdito„rum ſuorum ab eorum ſuæ Majeſtati „ſubjectione & obedientia exonerandi, „aut ullis eorum licentiam vel facultа„tem dandi, ut arma contra ipſum ge„rant, tumultus excitent, aut aliquam „violentiam aut damnum Majeſtatis „ſuæ Regiæ perſonæ, Statui vel regi„mini, aut aliquibus Majeſtatis ſuæ „ſubditis intra ſua dominia inferant.„

„Item juro ex corde, quod non ob„ſtante ulla declaratione, vel ſententia „excommunicationis vel privationis „facta vel conceſſa, aut facienda vel „concedenda per Papam vel Succeſſo„res,

„res, vel per quamcunque autoritatem „derivatam, aut derivari prætenſam „ab illo, ſeu a ſua ſede contra dictum „Regem, hæredes aut Succeſſores ſuos, „vel quacunque abſolutione dictorum „ſubditorum ab eorum obedientia, fi- „delitatem & veram obedientiam ſuæ „Majeſtati, hæredibus & ſucceſſoribus „ſuis præſtabo, ipſumque & ipſos totis „meis viribus contra omnes conſpira- „tiones & attentata quæcunque, quæ „contra perſonam illius, vel illorum, „eorumque coronam & dignitatem ra- „tione vel colore alicujus ejusmodi Sen- „tentiæ vel declarationis, vel alias „facta fuerint, deſendam, omnemque „operam impendam, ut Majeſtati ſuæ, „hæredibus & Succeſſoribus revelem, „& manifeſtas faciam omnes proditio- „nes, & proditorias conſpirationes, „quæ contra illam, aut aliquos illo- „rum attentari cognoſcam, vel audiam „

„Præterea juro, quod ex corde ab- „horreo, deteſtor, & abjuro tanquam „impiam & hæreticam hanc doctrinam, „& damnabilem propoſitionem, *quod* „*Principes per Papam excommunicati vel* „*depoſiti poſſint per ſuos ſubditos vel alios* „*quoscunque deponi aut occidi.*

„Et ulterius credo, & in conſcien- „tia mea juro, quod nec Papa, nec „ulla alia perſona quæcunque poteſta-

„tem

Sæc. XVII. A. C. 1680.

„tem habeat me ab hoc juramento, aut „aliqua ejus parte absolvendi: Quod „juramentum agnosco recta & plena „auctoritate esse legitime mihi ministra„tum, & omnibus indulgentiis, ac dis„pensationibus in contrarium renuncio. „Hæcque omnia plane & sincere agno„sco, & juro juxta hæc expressa verba „a me prolata, & juxta planum & „communem sensum, & intellectum „eorum verborum absque ulla æquiva„vocatione, aut mentali evasione, aut „secreta reservatione quacunque, hanc„que recognitionem & agnitionem facio „cordialiter, voluntarie, & vere in „vera fide Christiani viri, sic me Deus „adjuvet.„

Recurrebant igitur Catholici Angli ad Parisiensem Facultatem Theologicam, decidi petentes, an sine fidei ac conscientiæ læsione hoc juramento sese obstringere valerent. Die igitur decima sexta Augusti ejusdem Facultatis sexaginta Doctores declararunt: „hoc jusjurandum salva fide, & tuta „conscientia a Catholicis Anglis jurari „posse: si modo in propositione, quæ „est de depositione & cæde Principum, „ut quæ damnatur ut hæretica, *depositio „& occidi conjunctim accipiantur.* Imo „etsi divisim, ita ut tamen propositio „hæretica materialiter, id est verbo „Dei

„Dei contraria finiatur, quatenus de- Sæc. XVII.
„poni posse principes effert; formaliter A. C. 1680.
„vero etiam, quatenus & occidi posse
„superaddit.„

Idem hoc judicium Ecclesiæ & Academiæ Parisiensis Cancellarius die nona Augusti confirmavit, sequenti decreto: „Testamur omnibus, quorum „interest, vel interesse potest, attento „nos animo vidisse, & perlegisse juramentum supra transscriptum, nihil„que in eo reperisse, quod sit verbo „Dei, aut Catholicæ & Apostolicæ Fi„dei contrarium, proindeque censemus, illud salva eadem fide & tuta „conscientia a Catholicis Anglis emitti „posse, imo & eos ex religione teneri „illud idem, ut fideles decet subditos „omni ratione adimplere & exequi, in „cujus rei fidem subscripsimus, & præ„sentem subscriptionem sigillo nostro „muniri fecimus.„

Verum hæc Facultatis decisio nullatenus justas Catholicorum Anglorum anxietates sedabat; Clerici enim ac præcipue Regulares, summi Pontificis auctoritatem a privatis restringi aut explicari haud posse censebant, sed id potius universæ Ecclesiæ judicio reservatum esse propugnabant; quocirca Angliæ Regi supplicarunt, quatenus sola jurata fidelitatis sponsione contentus,

Sæc. XVII. A. C. 1680.

tus, cæteras conditiones tam religioni Catholicæ, quam conſcientiæ tranquillitati tantopere adverſas haud exigere vellet: Promptum ſeſe æque huic petitioni monſtrabat Rex, vehementius autem obſtitere Miniſtri Proteſtantes, qui hoc juramentum his clauſulis munitum eo fine præſcripſerant, ut inter ipſos Catholicos diſſidia progerminarent, eosque tam Regi, quam populo exoſos redderent: Acrius etiam huic Facultatis deciſioni ſeſe opponebant Gandavenſes Jeſuitæ Angli, qui die quinta Julii anni ſequentis habito conventu deciderunt, quod *ſi quis contra Pontificis decreta, docuerit, permiſſum eſſe præfatum fidei juramentum præſtare, abſolvi non valeat, niſi prius illud publice revocaverit, aut ſe ſecreto revocaturum publicitus fuerit.*

## §. III.

## *Innocens Staffordiæ Comes Catholicus in Anglia capite plexus.*

*Salmon hiſt. d'Angl.* 391.

Poſtquam Puritani Senatores ſuo furori privatos Catholicos immolaverant, tandem etiam Procerum ſanguine ſuas manus polluere aggreſſi ſunt, non alio miſerorum crimine, niſi quod Titus Oates bipedum nequiſſimus, eos eſſe Catholicos, proin conjurationis reos

reos accuſaſſet. Erant hi Arundelius, Powiſius, Petreus, Ballaſius & Stafordiæ Comes: Hi omnes innocentia tuti, ultro ſeſe judicio ſiſtebant, & quamvis Oates eorum accuſator toties falſitatis convictus fuiſſet, & Samſon Tongius poſt impiam Patris ſui mortem pollicitus eſſet, ſe clariſſimis teſtimoniis comprobaturum, quod ejus Pater & Titus Oates Catholicorum conjurationem pro arbitrio ſuo commenti fuerint, nihilominus ſanguinarii Senatores præprimis Stafordiæ Comitem, eoquod eſſet religioni Catholicæ ceteris magis addictus, morti tradere, conſtitutum habebant. Igitur die trigeſima Novembris hunc Comitem e carcere extractum in jus vocant, adverſus eum tres conductitios teſtes, nequiſſimum Oatem, Dugdalum, & Tubervilleum excipiunt. Hi ergo pro inveterata ſua mentiendi conſuetudine audacter illum meditati Regicidii accuſant, cum autem literas, ejusmodi criminis Indices, quibus tamen eorum teſtimonia unice initebantur, exhibere non poſſent, plebæi Ordinis Senatores in calumniæ ſubſidium Colemani nuper iniquo judicio damnati literas denuo producunt, in quibus tamen de Regis trucidandi propoſito, vel de Stafordiæ Comitis conjuratione ne verbum qui- Sæc. XVII. A. C. 1680.

Sæc. XVII. A. C. 1680.

dem, continebatur; ambo enim hi Catholici ſperabant quidem, exoptabantque, ut abolito juramento, legibusque pœnalibus, Catholicis Regnante Eboracenſi Duce major conſcientiæ libertas indulgeretur, hanc quoque ſpem ſuam gaudiumque Ferrierio & P. de la Chaiſe Jeſuitis, ac Franciæ Regis Confeſſariis communicabant: En totum meditati Regicidii argumentum? Num forte hæc ſpes crimen eſt extremo ſupplicio dignum, nonne hanc ſpem firmabat ipſa Anglici ingenii mobilitas, qua ad Henrici VIII. poſtea ad Mariæ Stuartæ, & rurſus ad Eliſabethæ nutum Angli religionem ſuam toties mutarunt? Forte tanquam perduelles carceribus, laqueo, capitisque pœna mulctati ſunt illi Angliæ Proceres, qui Regnante Maria Catholica literis ſpem teſtati ſunt fore, ut Stuarta e medio ſublata, ſub Eliſabethæ regimine Calviniana ſecta refloreſceret, plenaque ſuæ Religionis libertas Caviniſtis concederetur: Nihilominus deficientibus omnibus aliis teſtimoniis ejusmodi literæ per manifeſtam iniquitatem ad conjurationis indicium detortæ unicum, validiſſimumque reputabatur argumentum. Incaſſum Stafordiæ Comes demonſtrabat, mere confictam eſſe hanc conjurationem, Dugdalum

dalum esse profligatissimæ vitæ homi- Sæc. XVII.
nem, ob furta ab Heri sui famulitio A.C. 1680.
ejectum, ac unice intentum, ut falsæ hujus delationis ope suam ab ergastulo liberationem emendicaret: Frustra Comes Oatis testimonium ob tot repugnantias, additiones, omissiones &c. falsitatis arguebat, ac Judicibus deliberandum proponebat, an par sit credere, quod tot Nobiles ac ditissimi Proceres tam arcana tantique momenti consilia homini summa inopia conflictato manifestare voluerint, nullus tamen eorum ipsius miseriam aut data aut saltem promissa stipe sublevarit? Irrito etiam conatu Comes declarabat, quod nec ipse, nec suorum Domesticorum ullus unquam Tubervilleum Parisiis viderit, ejus vero testimonium plurimis perjuriis, falsitatibus, vitiisque scateat, ipsusque præter alias detestandas execrationes hæc verba effutire non abhorruerit: *rapiat me diabolus, si nostro ævo melior, quam delatoris conditio inveniatur:* Ad hæc omnia surdæ erant Puritanorum aures, & quamvis Comes se esse omnino innocuum usque ad extremum vitæ halitum coram Deo palam testaretur, nihilominus a quinquaginta quinque suffragantibus, reclamantibus triginta & uno, extremo supplicio, non aliud ob crimen, nisi

Sæc. XVII. A. C. 1680. quod Catholicus esset, addicitur, ac die vigesima nona Decembris anno ætatis suæ sexagesimo octavo in Londinensi Turri capite obtruncatur (*). Hæc laniena per integrum adhuc biennium tenuit, & quamvis nec minimo veritatis testimonio conficta hæc conjuratio probari potuerit, nihilominus sub illius obtentu Oliverius Punckel Armachanus Archiepiscopus ac Hiberniæ Primas, aliique inhumana crudelitate sublati sunt, donec Tongio & Bedloo sceleratissimis his delatoribus infausta morte hoc anno sublatis tandem anno hujus sæculi octogesimo tertio hujus conspirationis falsitas fuisset detecta, pluresque Calviniſtæ de nimis vera in Regem conjuratione convicti, in vinacula conjecti, ac morte damnati fuissent.

## §. IV.

## *Hugonotarum libertas in Gallis restricta.*

Ed-

(*) Eandem ob caussam, parique inhumanitate jam Anno 1641. Puritani, priusquam Carolum I. sanguinariæ suæ rabiei litaverant, fidelissimum Ministrum Stafordiæ Comitem Catholicum trucidarunt. Vid. lib. 200. §. 9. Tom. 60. pag. 501.

Sæc. XVII. A. C. 1680.

Eodem anno, quo Joannes Hieronymus de Imhoff Norimbergenſis Patritius ac Civici Judicii Aſſeſſor præter omnium expectationem ejurata Lutheri ſecta Herbipoli die vigeſima nona Junii coram ſplendida hominum frequentia fidem Catholicam profeſſus eſt, Ernestus Auguſtus Hanoveranus Princeps ſtatim poſt Fratris ſui Catholici obitum cunctos Catholicos e ſua ditione expulit; mitius cum Calviniſtis Ludovicus XIV. Franciæ Rex tam in Galliis, quam Colmariæ, aliisque Alſatiæ urbibus egit; quamvis enim religioni Catholicæ aditum panderet, incolas tamen ſua patria, ædibusque vi expellere, ſibi religioni duxit: nec ſeveriora in Galliis paſſi fuiſſent, ſi tolerata diutius eorum ſecta, inde orto tumultuum periculo, ac Regni ſaluti tranquillitatique conſuli potuiſſet: Eapropter Rex die decima Junii edictum promulgare coactus eſt, vi cujus Hugonotæ prædia conducere prohibebantur: Die autem ſexta Julii militiæ Præfectis injunctum, ut intra ſemeſtre vel religionem Catholicam amplecterentur, vel miſſionem peterent: Mulieres non aliis, quam Catholicis obſtetricibus uterentur, earumque proles Catholicis Sacerdotibus baptizandos offerrent, nec alios quam Catholicos famulos in ædibus

*Gottfrid. Hiſt. Cont. Chron. l. 10. pag. 272. Hode Hiſt. de Louis XIX. lib. 40. pag. 215.*

Sæc. XVII. A. C. 1680.

ſuis haberent, nec ullus Catholicam ducat, niſi prius ipſe ad veram fidem reverteretur; Inſuper Catholicis ſub pœna perpetui exilii ad Calvini caſtra tranſire, & Calvinianis Præconibus tales ad ſuos cœtus admittere, interminata ſuſpenſionis, & interdicendæ Religionis Calvinianæ pœna inhibitum eſt: Denique vi Regii edicti plura Hugonotarum Templa contra Nanetenſis edicti tenorem erecta funditus everſa fuere.

## §. V.

## *Vario Marte in Hungaria pugnatum contra rebelles Calviniſtas.*

*Han. Pan. nov. p. 479. Theatr. Europ. t. 12. Gottfrid. Hiſt. Chron. cont. l. 10. pag. 265.*

Interim Leopoldus Imperator nullum non movit lapidem, ut in Hungaria ſeditioſos Proteſtantes ad obſequium revocaret, ac præprimis Straſoldo Comiti negotium dedit, ut oblatis inducliis eos ſenſim ad pacis conſilia inclinaret. Nec omnino alienum ſeſe monſtrabat Töckelius rebellium Ductor, obtendebat tamen, inſcio Sultano pacem inire, ſibi haud integrum eſſe; Inſuper Franciæ Legatus, ut pacis negotium everteret, Töckelio quindecim millia recentis militiæ ſuis impenſis alenda promiſerat, ſpe etiam facta, Tartariæ Chamum ſeu Regem mox in Cæſaris ditiones cum valido agmine

agmine irrupturum: Nondum tamen Imperator omnem ſedandi tumultus ſpem abjecerat, ſed Leventiæ Epiſcopum ad Comitem ablegabat, cum eo de pace acturum: Indicitur ad duodecimam quintam Martii diem Tirnaviæ conventus, comparent utriusque partis Legati plena agendi facultate inſtructi, ac præceteris Proteſtantes poſtulant, ut I. Palatinus in proximis comitiis eligeretur, II. Regni munia indigenis Nobilibus conferrentur, III. ejectis Germanis Hungari in finitimis propugnaculis præſidia agerent, IV. plena ſectæ libertas reſtitutis omnibus Templis concederetur: Viciſſim vero Cæſarei rebellibus has proponebant pacis conditiones. I. Töckelius, ac præcipui rebellionis fautores petita delicti venia, denuo ſua bona in eo ſtatu, in quo nunc reperiuntur, recuperent. II. Poſitis armis trans Tibiſcum ſua figant domicilia, ibidemque, donec in proximis comitiis res decidatur, plena ſectæ libertate gaudeant. III. Vacantia Regni munia idoneis Hungaris Proceribus conferantur, electio autem Palatini ſit Cæſari reſervata: Verum æquiſſimas haſce conditiones reſpuebant Proteſtantes, qui violata induciarum fide pro more ſuo rapinis, cædibus & incendiis graſſantes, Solnam, vicinos-

Sæc. XVII. A. C. 1680.

Sæc. XVII. A. C. 1680.

que pagos deprædati sunt, atque usque ad Silesiæ fines omnia ferro flammaque devastarunt: Ut vero novas vires colligendi spatium nanciscerentur, rursus pacem exoptare simulabant, inter alia audacter postulantes, ut restitutis omnibus eorum Ecclesiis Jesuitæ e toto Regno ejicerentur: Quo hæc eorum consilia spectarent, haud ignorabat Imperator, quocirca seditiosos armorum potentia ad officium redigere statuit, & Capraram Belliducem cum valido exercitu in Hungariam movere jussit: Haud segnior Töckelius omnes, quotquot poterat, copias contraxit, cui etiam Bethunius Franciæ Marescallus conscriptos in Polonia milites, & Abasius Turcas, Tartaros, suosque Transylvanos adjunxit, atque in belli expensas rursus septuaginta aureorum millia suppeditavit: Sultanus quoque Comitem de validioribus militum suppetiis certiorem reddidit, necnon supremo Vezirio, cunctisque Bassis præcepit, ut Töckelio tot copias, quot postulaturus esset, sine cunctatione transmitterent: Tum vero crebris velitationibus pugnatum est, semper tamen alternante fortuna, & sæpius Cæsareis adversa.

§. VI.

Sæc. XVII.
A. C. 1680.

## §. VI.

## *Amadæi Guimenii Apologia a ſummo Pontifice damnata.*

Jam ſupra meminimus, librum, quem Guilielmus de Moja Jeſuita ſub ementito nomine Amadæi Guimenii ediderat, unacum laxioribus doctrinæ moralis propoſitionibus a Pariſina Facultate Theologica fuiſſe proſcriptum. Hæc cenſura haud parum offendit hunc Jeſuitam, quocirca ſui libri apologiam ſub hoc titulo edidit: *Adverſus quorumdam expoſtulationes contra nonnullas Jeſuitarum opiniones.* Eidem quoque libro in auctiore editione hunc affixit titulum *Amadæi &c. opuſculum ſingularia univerſæ Theologiæ moralis complectens &c.* Nec his contentus, inſuper Sacræ Cardinalium Congregationi libellum ſupplicem obtulit, in quo ſuum librum, quem huic Tribunali denuntiatum noverat, a cenſura vindicaturus, præter alia hæc expoſuit: *Inſurrexit Sorbona in librum Amadæi Guimenii: Illi, quos Societatis gloria offendit, illam obfuſcare aggreſſi ſunt. Non ergo de unius vel alterius Jeſuitæ honore, ſed de univerſæ Societatis cauſſa agitur, & hac apologia Familiæ de Eccleſia bene meritæ, & ad proximorum ſalutem neceſſariæ, famæ conſulitur;*

*Argentre Coll. jud. t. 3. p. 313. Vid. ſupra l. 205. §. 29. t. 63. p. 89.*

Sæc. XVII. A. C. 1680.

litur: Nihilominus jam anno priori die vigesima septima Septembris Innocentius XI. proprio motu Bullam edidit, eamque hoc anno die decima sexta ejusdem Mensis promulgari jussit, qua præfatum Mojæ librum damnavit: Hujus vero Constitutionis Apostolicæ tenor erat sequens: „Cum (sicut acce„pimus) liber quidam, cui titulus; *Adversus quorumdam expostulationes contra nonnullas Jesuitarum opiniones Morales, authore* Amadæo Guimenio: *&c. Bambergæ, & Panormi Anno* 1657. *impressus, & subinde Valentiæ, Lugduni, & Madriti Anno* 1664. additis nonnullis aliis opi„nionibus non sanis, sub alio titulo, vi„delicet: *Amadæi Guimenii Lonarienses, olim Primarii sacræ Theologiæ Professoris: Opusculum singularia universæ fere Theologiæ Moralis complectens, adversus quorumdam expostulationes, contra nonnullas Jesuitarum opiniones Morales*, Typis re„cusus, non solum die 5. Aprilis 1666. „a Congregatione tunc existentium S. „R. E. Cardinalium Indici librorum pro„hibitorum, & expurgandorum præ„posita, sed etiam die 12. Septembris „1675. a Congregatione ejusdem S.R.E. „Cardinalium in tota Reipublica Chri„stiana contra hæreticam pravitatem „Generalium Inquisitorum a S. Sede „Apostolica specialiter deputatorum „ite-

„iterato prohibitus fuerit; & nihilominus nonnulli propriæ ſalutis immemores librum eundem legere, & retinere damnabili lectionis uſu, & praxi „præſumant. Nos, quibus gregis ſui „curam commiſit Altiſſimus, periculis „animarum, quæ ex uſu, & praxi pernicioſæ doctrinæ in dicto libro traditæ „inſici, & in æternæ ſalutis detrimentum adduci poſſent, Paſtorali charitate occurrere cupientes, motu proprio, & ex certa ſcientia, & matura „deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine librum præ„dictum ſub utroque ſupra expreſſo, a„liove quocumque titulo, nomine & „idiomate, ſive in prædictis, ſive in „aliis quibusve locis hactenus typis impreſſum, ac etiam manu deſcriptum, „& quandocumque (quod abſit) impri„mendum, & deſcribendum tenore „præſentium damnamus, reprobamus, „& denuo prohibemus, ac pro damnato, & reprobato haberi volumus, il„liusque impreſſionem, deſcriptionem, „lectionem, retentionem, & uſum om„nibus, & ſingulis Chriſti fidelibus, e„tiam ſpecifica, & individua mentione „& expreſſione dignis, ſub pœna Ex„communicationis per contra facientes „ipſo facto absque alia declaratione in„currenda, a qua nemo a quoquam, „præ-

Sæc. XVII. A.C. 1680.

„præterquam a Nobis, seu Romano „Pontifice, pro tempore existente, nisi „in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere, „omnino interdicimus. Porro quicumque librum hujusmodi penes se habuerint, illum statim, atque præsentium literarum notitia ad eos pervenerit, locorum Ordinariis, vel hæreticæ pravitatis Inquisitoribus tradere, atque consignare teneantur; hi vero exemplaria sibi sic tradita illico flammis aboleri curent, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque: Ut autem eædem præsentes literæ ad omnium notitiam facilius perducantur, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, Volumus, & Auctoritate Apostolica decernimus, ut illæ ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, ac Cancellariæ Apostolicæ, & in acie campi Floræ de Urbe per aliquem ex Cursoribus nostris, ut moris est, publicentur, illarumque exempla ibidem affixa relinquantur: Sic autem publicatæ omnes, & singulos, quos concernunt, perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter notificatæ, & intimatæ fuissent. Utque ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii „pu-

„publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ „in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ „munitis, eadem prorſus fides, tam „in judicio, quam extra illud ubique „illorum haberetur, ſi exhibitæ forent, „vel oſtenſæ.„ Sæc. XVII. A.C. 1680.

Jam antea P. Honoratus Fabri itidem Socius doctrinæ moralis Jeſuiticæ apologeticum conſcripſit, in cujus ſecundo tomo libellum ſupplicem Patris Mojæ recenſuit, ſuæque apologiæ auctoritatem conciliavit approbatione ipſius Pauli Olivæ Societatis Præpoſiti Generalis, ſui P. Provincialis, Patris de la Chaiſe, & octo aliorum Societatis Theologorum, nihilominus tamen hæc ipſa ejus Apologia Anno 1672. & 1673. a S. Congregatione Indicis proſcripta eſt.

*Lettr. d'un Theol. touchant la moral. p. 73. Alegambe Bibl. Script. S. J. p. 350.*

## §. VII.

## *Burignoniæ Virginis fatuæ deliria, & obitus.*

Hoc demum anno Antonia Burignonia deliriis vitæque ſuæ finem fecit. Hæc Inſulis in Flandria Patre Mercatore nata, dum ſupra ætatem ſexumque ſapere incæpit, nunquam deſipere deſtitit. Decimum nonum ætatis ſuæ annum agebat, dum e paterna domo aufugiens, Montenſem Archi-

*Arnold. Hiſt. Hæret. Vol. II. p. 3. c. 16. pag. 154.*

Sæc. XVII. A. C. 1680.

Archiepiscopum accessit, apud quem Catholicos omnes a vera fide defeciſſe insimulans, instabat, ut cum aliis Virginibus in quodam pago, *Blatton* nomine, Evangelicam vitam ducere valeret: cum autem omnem orthodoxæ fidei cultum, disciplinam & sanctimoniam ludibrio habere, novamque sibi, potissima ex parte Enthusiasticam doctrinæ ac disciplinæ normam confingere deprehenderetur, inde ejecta Insulas secessit, ubi se Spiritu Sancto regi mentita, se per divinationes, visiones, somnia, ac cælitus prolatas voces, frequentissime autem in intimo cordis sui sine omni illusionis periculo divinam voluntatem, cunctaque sublimia intelligere jactitabat: Joannis quidem Engelberti, & Jacobi Bohemii celebrium e secta Lutherana fanaticorum visiones & dogmata Spiritui sancto tribuebat, his vero se longe superiorem dicebat, eoquod sibi Deus purum, plenumque cognitionis lumen affudisset: His deliriis semetipsam, aliosque aliquamdiu decipiens, rursus e Flandria emigrare jubebatur, unde Amstelodamum profuga, ibidem suas putidas merces divendebat; ast a Prædicantibus accusata, direque vexata, Nordstrandiam Insulam, quam Christianus de Cort Jansenistis vendiderat, incolere

*Vid. supra* §. 118. *pag.* 423.

lere ſtatuit, in itinere vero ab Hol- Sæc. XVII.
ſatiæ Præconibus apud Magiſtratum A.C. 1680.
delata, ſua typographia, libris, tota-
que fanaticæ ſuæ artis ſuppellectile ſpo-
liata eſt, Hamburgum ſecedere com-
pulſa: ubi tamen haud mitiora expe-
riri cogebatur, plurimos tamen ſacri-
lego calamo libros compoſuit, quibus
eandem a Deo authoritatem eſſe attri-
butam, quæ Sacris debetur literis, ſto-
lida temeritate aſſeverabat. Adamum
quoque promiſcuo ſexu, indeque Chri-
ſtum Dominum ante creatam Evam
fuiſſe genitum, gentiles ſine ulla Evan-
gelii prædicatione ex ſola Chriſti inter-
ceſſione ſalvari, pluraque alia impia
ejusmodi commenta divulgavit, quin
tamen ſuæ inſaniæ Sectatores ſollicite
quæreret, obvios tamen quosque ſine
Religionis diſcrimine recepit, dum-
modo eam velut Spiritus Magiſtram ac
Matrem venerari, ſeque ad pacti, quod
eis præſcripſerat, formulam obſtrin-
gere vellent: nec etiam eos repulit,
qui relictis uxoribus ei adhærebant,
quinimo Maritos, ut uxores ſuas ſequi
recuſantes deſerant, juſſit. Porro De-
liræ huic fœminæ jam carceres para-
bantur, quo tempeſtive comperto ipſa
Lucemburgo clam hoc anno in Hollan-
diam aufugit, aſt in itinere febri cor-
repta, Franckeræ die trigeſima Octo-
bris

Sæc. XVII. A. C. 1680.

bris deceſſit: Sectatorem ferme unicum poſt ſe reliquit Petrum Poiretum Hugonotam, quamplurimos autem Caviniſtas, qui fatuam hanc Virginem ejusque deliria ſummis celebrabant encomiis. Reliquit Burignonia novemdecim omnino ſcriptorum ſuorum volumina Amſtelodami noviſſime typis edita.

## §. VIII.

## *Lazari Pallavicini Cardinalis deceſſus.*

*Oldoin. in notis ad Ciacon.*

Digniore longe memoria celebrandus eſt obitus Lazari Pallavicini Cardinalis, ac Genuenſis Patritii: Hic ingenii acie præditus, atque in omni literatura exercitatus, primo Clericorum Cameræ Apoſtolicæ Decanum, poſtea Annonæ Præfectum, ac Urbis Romanæ Ædilem egit: cum autem hæc munia ſingulari ſollicitudine adimpleſſet, a Clemente IX. Cardinalis & paulopoſt Bononienſis Legatus renuntiabatur, qua legatione honorifice expleta, Romam reverſus, publicis Eccleſiæ negotiis per plures annos intendit; tandem vero articuli morbo conſumptus, egregius literatorum fautor, & pauperum Patronus ibidem juſtorum morte laboris præmium die vigeſima Aprilis recepit.

§. IX.

Sæc. XVII. A. C. 1680.

## §. IX.

## *Caroli Carafæ Cardinalis extrema.*

Primam lucem aſpexerat Romæ anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo undecimo Carolus ex nobiliſſimo Carafarum genere ortus. Hic acerrimi ingenii adoleſcens hauſtis politioribus literis primo Protonotarium, ac utriusque ut vocant, Signaturæ Referendarium & Antonii Barbarini in Ferrarienſi & Bononienſi Legatione comitem egit. Mortuo autem ejus Patruo Averſanæ Eccleſiæ Epiſcopus præfuit; inde vero evocatus, ſub Innocentio X. & Alexandro VII. in Helvetia primum, poſtea Venetiis, ac demum in Cæſaris Aula Apoſtolici Nuntii munere cum ſumma Principum commendatione, populique applauſu defunctus eſt, atque in laboris meritique præmium ab Alexandro VII. Cardinalis renuntiatus, ab ipſo Leopoldo Cæſare Ratisbonæ Cardinalitia inſignia recepit. Poſtea Bononiam Legatus a Clemente IX. decretus, & ab Innocentio X. variis, arduisque negotiis adhibitus, Eccleſiæ utilitatem cum magno proventu ad extremum usque ſpiritum procuravit; deceſſit autem Romæ publicis curis ac ſenio confectus die decima Octobris

*Eggs Purp. doct. t. 6.*

Sæc. XVII. A. C. 1680. anno ætatis suæ sexagesimo nono. Scripsit Carafa orationem elegantem de Adventu Spiritus sancti, quam Urbanus VIII. Pontifex, coram quo illam juvenis Carafa perorabat, publici juris fieri curavit: Edidit quoque plures epistolas, necnon acta suarum legationum.

## §. X.

## *Bernardini Roccii Cardinalis extrema.*

*Palat. fast. tom. 4.*

Hujus vestigia pressit Bernardinus Roccius patria Romanus, qui sub Patrui sui Cyriaci Roccii Cardinalis cura educatus, omnique scientiarum genere mire excultus, Patruum suum in variis legationibus comitabatur, ac exinde uberrimam publicorum negotiorum cognitionem hauriebat. Postea a summo Pontifice Neapolin Legatus decernebatur, ibidemque dissidia inter Ecclesiasticos ac Regni Ministros exorta feliciter composuit: inde Romam reversus, ab Alexandro VII. Papa supremus Pontificiæ Aulæ Præfectus nominabatur, hocque munere non sine maximo ærarii Apostolici augmento regnantibus Clemente IX. & X. defunctus est, a quo etiam Anno hujus sæculi septuagesimo quinto Roma-

Pur-

Purpura decoratus, Urbivetanam Ecclesiam Episcopus rexit, ab omnibus ob animi candorem, morum suavitatem, & eruditionis profunditatem maximi habitus: Egerat etiam summa cum laude Ferrarienſem Sedis Apostolicæ Legatum, ubi tamen anno ætatis suæ quinquagesimo quarto die tertia Novembris plenus meritis decessit. Sæc. XVII. A. C. 1680.

## §. XI.

## *Jacobus Philippus Ninius Cardinalis mortuus.*

Pari fato sublatus est Jacobus Philippus Ninius Senensis Patritius, qui ob ingenuam indolem, & acre ingenium a Fabio Chisio seligebatur, ut eo ad mores ingeniumque suum efformato postea in gravioribus negotiis uti posset: cum ergo Ninius conceptam de se spem haud falleret, ab eodem Cardinale ad Pontificatum assumpto ad nobiliora Palatii munera nominabatur, quibus summa Alexandri VII. totiusque Aulæ satisfactione defunctus, libellorum supplicum Magister & Palatii Præfectus, ac tandem Cardinalis renuntiatus est: Diversis etiam Patrum cætibus adscriptus, in maxime arduis non modo Urbis & ditionis Ecclesiasticæ, sed etiam totius rei Christianæ *Ciacon. in vita Alexand. VII. tom. 4. Palat. fast. Card.*

Sæc. XVII. A. C. 1680.

cauſſis ſuum conſilium & operam ſedulo impendit: nullatenus tamen induci potuit, ut Innocentii XI. Conſtitutioni, qua Nepotismum abrogabat, ſubſcriberet, quocirca illum Cardinalis Cibo in publico Patrum conſeſſu his verbis redarguit: *forte ſua Eminentia Papatum ſperat.*

## §. XII.

## *Levis colliſio Innocentii XI. Papæ cum Principum Oratoribus.*

Fervebat adhuc leve diſſidium circa nuper abolitam Palatiorum immunitatem; nonnulli enim exterorum Principum Oratores haad obſcure inſinuabant, ſibi in mandatis datum, ut non modo in ſuis Palatiis, ſed etiam in diſtrictu, quem circa ea hucusque deſcribere conſueviſſent, jurisdictionem armata manu tuerentur: Sub idem tempus quidam etiam Jeſuita contra Papam librum ſub hoc titulo: *Ruina Imperii* edidit: Illius Authorem Pontifex ſuo judicio ſiſti petiit, quoniam vero natione Gallus eſſet, & Franciæ Oratoris patrocinio frueretur, Paulus Oliva ſupremus Societatis Præpoſitus hunc Pontificio Tribunali tradere recuſabat. Præterea Principum Oratores, aliique, quos Purpuræ ſpes incita-

citaverat, importunius Papam urgebant, ut tandem novos crearet Cardinales, eoquod jam viginti tres vita functi fuissent, & non pauci periculose decumberent: aliunde vero ob tam exiguum Purpuratorum numerum Urbs commercio fraudaretur, pluresque famuli, unde victum quærerent, non haberent: Verum Pontifex ad hæc surdas habuit aures, non gentem, sed lætitiam multiplicare intentus: crebras tamen cum Cardinalibus instituit consultationes circa occurrentia Ecclesiæ negotia, quibuscum præprimis conclu-serat, Poloniæ Regi decimas ex Ecclesiasticorum bonis pro Turcico bello esse concedendas, denegandam vero quarumdam Abbatiarum cessionem: cum autem nuntiatum esset, quod Harlæus Parisiensis Archiepiscopus Apostolicæ Sedis Nuntios Episcopis subjicere moliretur, & Parisinum Parlamentum in Regaliæ caussa sententiam contra Ecclesiarum immunitates pronuntiasset, statuit Pontifex, supplicandum esse Regi, ut læsæ auctoritati satisfieri curaret, ipsumque P. Olivam Societatis Generalem esse urgendum, quatenus Patrem de la Chaise Regis Confessarium moneret, ut hic Regem ab usurpandis Ecclesiæ juribus dehortaretur: Attamen Generalis, sibi nullum in Per- Sæc. XVII. A. C. 1680.

Sæc. XVII. A. C. 1680.

sonas liliis munitas jus competere, respondit. Denique Pontifex novam Societatem, cui nomen a *Divina Misericordia*, instituit, cujus sodales quotidie eleemosynas ostiatim colligerent, urbisque incolis charitatis opera frequentius exercendi occasionem præberent, atque egenis succurrerent.

## §. XIII.

## *Disputatio inter Jacobum Boileau & Petrum Allixium Hugonotam.*

*Du Pin. Nouv. Bibl. des Auth. t. 19. p. 67.*

Seria hoc anno interceſſerat diſceptatio inter Jacobum Boileau Sorbonæ Doctorem necnon Senonenſis Eccleſiæ Decanum, & inter Petrum Allixium Calvinianum apud Charentonenſes Prædicantem. Hic enim, ut realem Corporis & Sanguinis Chriſti præſentiam in Euchariſtia negaret, in erroris ſubſidium detorquebat auctoritatem S. Auguſtini, qui a Conſentino interrogatus, *an nunc Corpus Domini oſſa & ſanguinem habeat*, Epiſtola 146. his S. Evangelii verbis reſpondit: *Palpate & videte, quia Spiritus carnem & oſſa non habet*, quibus addidit S. Auguſtinus: *fides adſit, & nulla quæſtio remanebit, niſi forte de ſanguine* poſt Chriſti reſurrectionem *requirendum ſit, quia cum Chriſtus dixiſſet: Palpate &c. non addidit ſanguinem: non ergo*

&

*& nos addamus inquirere, quod ille non addidit dicere, & de compendio, ſi placet, finita ſit quæſtio* &c. Ex hiſce D. Auguſtini verbis Calviniſta perperam intulit, quod nec ſanctus hic Doctor, nec Conſentius realem Sanguinis Chriſti in Euchariſtia præſentiam crediderint, alias nec Conſentius de Sanguinis exiſtentia dubitaſſet, nec Auguſtinus tam trepide ad hanc quæſtionem reſpondiſſet: Poſtea in ſui argumenti robur plures Eccleſiæ Patres allegabat, qui Chriſti corpus poſt Reſurrectionem aereum, & exangue ſtatuiſſent, hancque in rem diſſertationem edidit: verum Boileau huic Calviniſtæ diſſertationem latinam de Sanguine Chriſti poſt reſurrectionem oppoſuit, ac luculenter demonſtravit, Divum Auguſtinum nequaquam de reali Sanguinis præſentia dubitaſſe; cum diſertis verbis aſſeruerit, Corpus Chriſti ita in cælo eſſe, uti erat in terra, quando aſcendit in cælum: duntaxat autem dubitarit, an non & pituitam, fel flavum & nigrum nunc habeat: Poſtea redarguit ſuum adverſarium, quod unacum ſociis ſuis, valido contra realem præſentiam argumento deſtitutus, ad miſera hæc atque infirma deſperatæ ſuæ cauſſæ præſidia confugere coactus fuerit. Denique illum Sanctos Patres perperam interpretatum fuiſſe oſtendit,

Sæc. XVII. A. C. 1680.

Sæc. XVII. A. C. 1680.

explicatoque vero eorum sensu demonstrat, quod opinio, qua Christi corpus sanguine destitutum & in aerem diffusum dicebatur, damnatus Origenis error sit, a quodam Lutheri discipulo innovatus.

## §. XIV.

## *Innocentii XI. epistola ad Estræum Cardinalem in Regaliæ caussa.*

*Esprit d'Arnaud part. 1. pag. 428.*

Innotuit Innocentio Pontifici, quod Ludovicus XIV. Franciæ Rex Estræum Cardinalem Romam in Regaliarum negotio decernere statuisset, quocirca illum ad operam suam strenue conferendam incitaturus, die vigesima octava Februarii has ad eundem dedit literas: „Probe intelligis, pro tua singulari prudentia ac eruditione, quam „injusta fuerit deliberatio, ad quam „improba nonnullorum consilia Regem „Christianissimum impulere, subjicienti „oneri, quod *Regaliam* nuncupant, Ec„clesias quascunque illi non assuetas, „quam latius indies serpat hæc pestis, „quæ ex ea pernicies & ruina non in istud „solummodo Regnum, sed in universam „Ecclesiam derivari aliquando possit. „Neque dubitavimus, quin ex tua præ„stanti pietate & rei ipsius gravitate „jampridem excitatus, omni ope, stu„dio-

„dioque adnisus fueris, ut sollicitudi- Sæc. XVII.
„nem nostram Regis ad saluberrima A. C. 1680.
„consilia flectendi adjuvares. Verum
„cum nihil adhuc profeciſſe nos sentia-
„mus, imo pejora semper nuntientur,
„opportune duximus, antequam ali-
„quid decernamus, tertias ad eundem
„Regem literas dare, in quibus dolo-
„rem hac de re nostrum ac debitum, quo
„Apostolici Ministerii ratio nos adstrin-
„git, occurrendi præsenti malo & gra-
„vioribus ex eo consecuturis, luculen-
„tius aperuimus. Cum autem opera
„atque officia tua negotium juvare in-
„primis possint, tum propter gratiam,
„qua apud Regem flores, tum propter
„pietatis, doctrinæ, & prudentiæ, qua
„præstas, auctoritatem, mentem tibi
„nostram significare voluimus, & mit-
„tere exemplum literarum, quas ad
„Regem dedimus, ut ex earum senten-
„tia Majestatem suam alloqui possis, &
„præclaram illius indolem, ad omnem
„æquitatem detecto errore, in viam
„reducere. Postulat id a te dignitas
„tua, vocata in partem sollicitudinis,
„quam gerimus omnium Ecclesiarum,
„postulat optimi & clarissimi Regis erga
„te liberalitas, cujus commendatione ad
„tam sublimem in Ecclesia honoris gra-
„dum evectus fuisti, quamvis non mi-
„nus a tuo ipsius merito commendare-

Sæc. XVII. A. C. 1680.

„ris, cui quidem nullam rependere ma-
„jorem potes grati animi vicem, quam
„admonendo eum maculæ, quæ ejus
„gloriæ inuritur, & periculi, in quo
„salus ipsius æterna versatur: postulat
„denique hanc a te opem Laudensis Ec-
„clesia, cui præes. Quamvis enim
„fortasse in earum numero sit, quæ Re-
„galiæ antiquitus subsunt, ad eam
„tamen quoque derivatur aliarum ca-
„lamitas; cum non solum abusus Re-
„galiæ extendatur ad Ecclesias illi mi-
„nime obnoxias, sed etiam Regalia ipsa
„ad potestatem longe ampliorem, quæ
„Episcopalem exhaurit, & omnem Ec-
„clesiæ disciplinam pene subvertit. Ac-
„cedit, quod Galliæ Ecclesiæ propter
„affinitatem illam communem omnibus
„Christiani Orbis Ecclesiis, quam ex
„ejusdem Capitis, a quo pendent, ori-
„gine & influxu inter se contraxere,
„adeo mutuæ utilitatis vinculo, & cha-
„ritate invicem nexæ implicatæque
„sunt, ut non possit una infirmari, quin
„aliæ quoque infirmentur, & unius pe-
„riculum ad alias omnes pertineat.
„Nobis vero, quo magis necessaria est
„in hoc negotio societas officiorum tuo-
„rum, quod non habemus isthic Se-
„dis Apostolicæ Ministrum, qui possit
„sensus nostros Christianissimo Regi co-
„ram exponere, nec quemquam vide-
„mus,

„mus, qui majori zelo & efficacia id „exequi ac tu, possit. Dilecte Fili, cui „Apostolicam benedictionem peraman„ter impertimur.„ Sæc. XVII. A. C. 1690.

## §. XV.

## *Estræi Cardinalis responsum ad hasce Innocentii XI. literas.*

Verum Estræus Cardinalis Regis potius quam Pontificis causſæ favens has Parisiis ad eundem literas die tertia Maij dedit: „Sanctitatis vestræ literæ a Pontificii Nuntii Auditore Domino Abbate Lauri mihi traditæ sunt sub quadragesimæ finem Laudunum proficiscenti, & ea, qua decet & debeo maxima reverentia excepi. Redux quamprimum, ut par erat, has ad me missas Majestatem suam latere non passus sum, sed hoc negotium attingendi locus relictus non est, ea scilicet legi & inveni, quæ viam mihi ad tractationem omnem præcludebant. Hoc uno, Sanctissime Pater, responsa ad Sanctitatem vestram mea possem comprehendere, ex quo mandatis suis, modo, quo potui, satisfactum fuisse ostenderem, nisi sincerum neum & efficax in Beatitudinem vestram & Apostolicam Sedem studium majus aliquid videretur requirere. Quandoquidem de intelli- *Esprit. l. c. pag.* 431.

Sæc. XVII. A. C. 1680.

telligentiæ meæ tenuitate tam benigne sentiat Beatitudo Vestra, grave, ut opinor, non erit, si quædam oculis vestris candidissime subjiciam, speremque, re satis intellecta, & perpensis utrinque momentis, magna qua nunc turbatur, sollicitudine levatum iri Sanctitatem vestram, nihilque amplius pestis aut ruinæ, quam tenera pietas vestra reformidat, suspicaturam. Hanc longe magis pertimescerem ex mutuis, gravissimisque inter Sanctitatem vestram & maximum Regem offensionibus, si aliquando orirentur. Equidem utriusque Religio hoc accidere nunquam sinet, sed ad solam, licet vanam, tanti discriminis cogitationem horremus. Infinita sunt, ut optime notavit B. V. naturæ, subjectionis, & ingentium in me, gentemque meam beneficiorum vincula, quibus me Regi ita deditum alligatumque sentio, ut addictior esse non possim. Imo ad gratiarum cumulum accedit, quod ejus constanti patrocinio in eo honoris gradu constitutus sim, in quo mihi parem super merita mea aliquando contigit habere Sanctitatem vestram, illam mihi & Orbi universo in Patrem optare, etiam ceteris in idem consentientibus obtinere. Præteritorum nihilominus beneficiorum memoria, aut novorum spe non ita ducor, ut meæ in

Regem

Regem obſervantiæ nimium indulgere velim, aut ſuæ Majeſtati impenſius obſequi, ſi quod ubique apud omnes in confeſſo eſt, dico extitiſſe nullum reliquos inter Principes & Imperatores, qui majorem potentiam, clariores aut bellicas aut civiles virtutes cum puriori Religionis zelo conjunxerit, qui fidem Chriſtianam intactam magis & a novitatibus immunem voluerit, qui Sedis Apoſtolicæ ac Prædeceſſorum veſtrorum Conſtitutionibus ſe præbuerit obſequentiorem, qui in heroicis ſuis expeditionibus profligationem hæreſeos, & abolitæ apud hoſtes ſuos Catholicæ Religionis inſtaurationem majori ſtudio ſit proſecutus. Immenſa ſunt, quæ adverſus Calvini ſectarios apud nos præſtitit, ex quo ipſe imperium adminiſtrat: Spirant adhuc tenues hujus perverſæ ſectæ reliquiæ, quibus tamen non parcit, totus eſt in illa radicitus convellenda, edicta in dies ad hoc unum eduntur. Ad Regni ſui Eccleſias doctos & pios Viros eligit, illique præcipue debetur Clero Gallicano delatus honor etiam ab exteris, ejusque ingens apud Beatitudinem veſtram, quod magni decoris loco ducimus, exiſtimatio. Vacantium Eccleſiarum reditus ſibi jam olim adjudicatos aut promovendis Epiſcopis relinquit, aut partem aliquam in

Sæc. XVII. A. C. 1680.

Sæc. XVII. A. C. 1680.

in levationem eorum, qui ab hæreſi priſtinæ fidei reſtituuntur, diſpenſat. Hoc loco, Beatiſſime Pater, quis non deprehendat aut prædicet Regii animi magnitudinem & beneficentiam, qui negligit, quæ alii præferenda ſectarentur commoda, & in ipſosmet Epiſcopos, quibus Sanctitatis veſtræ favet auctoritas, ejusmodi jura transfert? Hac certe ratione, ſi non inveniſſet traditum per Avos atque Atavos hæreditarium Chriſtianiſſimi nomen in Regnatrice domo, tot benefactis ſibi proprium faceret. Encomia videntur quæ refero, Sanctiſſime Pater, ſunt tamen res geſtæ. Hoc dum Auguſtiſſimus Princeps apud ſe reputat, dum ad amoris & venerationis ſuæ & erga Sanctitatem veſtram ſenſus, quos illuſtriſſimis documentis comprobavit, animum adjecit, qua mente Beatitudinis veſtræ minaces literas conſiderare potuit? Ingenue fateor, ad has non parum me obſtupuiſſe. Si quæ ſentio, dicere licet, & ſane licetcum Parente optimo, æquiſſimo & veritatis cupidiſſimo, dicam cum Rege rem eſſe Europæ potentiſſimo, de fide Catholica optime merito, cujus gloriam & victorias, in illis ſingulam moderationem ſuſpiciunt omnes, quo nullus ſingulos Regni ſui ſubjectiores devinctioresque ordines unquam ha-

habuit: unde operæ pretium esset, & magis e re Apostolicæ Sedis, amanter hortari ac suavi potius quam acri sermone agere, iisque verbis, de quibus graviter me peccare crederem in Sanctitatem vestram, si præterirem silentio, plurimos me majoris notæ Viros audiisse, conquerentes, quasi ad invasores Ecclesiæ magis spectarent, quam ad Principem, quem apud Afros, Hungaros, Græcos, & Batavos, in medio Galliarum conspexerant universi fidem Catholicam asserentem, qui suis in religionem meritis ad Caroli Magni gloriam ceteris propius accessit, & in posterum, annuente Deo, & conspirante, ut spero, Beatitudine vestra, magis accessurus sit, si præconcepta semel consilia perficiat: qui tandem eo minus aliena invadere credendus est, quod in hac ipsa re propriis & non controversis minime utatur; sed in id negotii totus incumbit, ut a Regiis Magistratibus alias vindicata jura conservet. In Beatitudine vestra agnoscunt omnes Gregorii Magni innocentiam, fidem, constantiam, summum rerum humanarum contemptum, in supremo dignitatum apice humilitatem incredibilem, mentem capacem, a terrenis curis liberam, cæleſtibusque pene parem. Hæc cum olim in Sanctissimo Præ-

Sæc. XVII. A. C. 1680.

Sæc. XVII. A. C. 1680.

Præsule miraretur Christianus Orbis, inter tot excelsas dotes non minus laudavit ejus in tractandis Principum animis temperantiam, & modum. Ignosce, precor, candori meo, Beatissime Pater, si prolixius forsan & liberius in re tanti momenti locutus sum. Nihil apud piissimum Patrem veritate & sinceritate potius esse probe scio. Allaboro, ne mutuus amor inter vos excidat, aut pristina necessitudo & conjunctio frangatur. Plane credo, me neque de Apostolica Sede & universa religione impensius mereri, neque munere meo sanctius defungi posse. Sicut enim ex dissensione, quæ nunquam eveniet, certa pernicies, sic ex firmiori nexu, & interiori utriusque benevolentia & charitate, quam multa, quam magna in Ecclesiarum derivatura sint commoda, omnes intelligunt. Longævos interim annos, felix, glorioſum ac pacatum regimen Sanctitati vestræ votis omnibus exopto, atque ejus pedibus advolvor.„

## §. XVI.

## *Excommunicatio ab Apamiensi Episcopo contra Regalistas interminata.*

Acrior

Acrior adhuc fervebat in Galliis controverſia de Regaliis; cum enim nec Pontificis rationes juxta ac hortationes, nec Apamienſis Epiſcopi querelæ, minæ & preces eos, qui Regis gratiam occupandi ſtudio Regaliſtas etiam armata vi intrudere nitebantur, ad mitiora conſilia flectere poſſent, impune non pauci in curata etiam beneficia ſolo Regaliæ titulo tuti velut lupi involabant; ne vero Franciſcus Caulet digniſſimus Apamienſis Eccleſiæ Paſtor ſuis deeſſet partibus, hoſce uſurpatores ſacro anathematis fulmine rurſus percellere ſtatuit, die ſeptima Februarii promulgata hac Conſtitutione: „Conſtitutiones a nobis nuper pro„mulgatæ, quibus procul arcebamus, „qui in diæceſi noſtra Regaliæ obtentu „beneficia quædam impetraverunt (cum „tamen conſtet, præfatam noſtram „Diæceſin hujus Servitutis penitus im„munem eſſe, nec proinde Regaliæ „ſubjici poſſe, niſi violatis quampluri„mis ſacris Canonibus Regumque edi„ctis) adeo apud quorumdam avaros, „ambitioſos, ac Beneficiis Eccleſiaſti„cis inhiantes animos nihil effecere, „ut potius reperti ſint (quod non ſine „animi dolore intelleximus) qui Re„galiæ obtentu etiam ad Beneficia cu„rata aſpirare, & illa obtinere ſint co„nati;

Sæc. XVII. A.C. 1680.

*Tract. de Regal. pag.* 536.

Sæc. XVII. A.C. 1680.

„nati; id vero omni exemplo caret, ac
„etiam, ubi aliàs Regaliæ locus eſt,
„nunquam hactenus uſurpatum. Ex
„igitur temeritatis deventum eſt, ut
„in captandis Beneficiis Eccleſiaſticis
„nullus ſit regulis aut pudori locus, &
„quia hujusmodi intruſionibus ſiſtendis
„nulla amplius remedia ſuperſunt no-
„bis, quam auctoritas Epiſcopis a Deo
„tributa, cenſuræque Eccleſiaſticæ,
„ultima videlicet Eccleſiæ remedia, &
„quibus non ii ſolum coerceri debent,
„qui aliunde, quam per legitimam ac
„Canonicam januam in Eccleſias irrum-
„punt, ſed illi etiam, qui ita irrum-
„pentibus auxilia & conſilia ſubmini-
„ſtrant; ideo ex his aliisque cauſis
„Conſtitutiones noſtras jam alias edi-
„tas renovamus, ac inſuper ſub pœna
„Excommunicationis ipſo facto incur-
„rendæ omnibus cujuscunque digni-
„tis ac conditionis perſonis diſtricte
„prohibemus, ne Dignitates, Priora-
„tus, aliaque Beneficia curam anima-
„rum annexam habentia pro ſe aut aliis
„titulo Regaliæ petere, aut impetrare
„præſumant: neque, aut ſuo, aut ali-
„rum nomine eorum Poſſeſſionem ad-
„eant, aut fructus ſeu mediate, ſeu
„immediate percipiant. Prohibemus
„etiam æque ſub pœna Excommuni-
„cationis cujuscunque ſtatus ac condi-
„tionis

„tionis perſonis, ne ſcienter ac volun- Sæc. XVII.
„tarie ſub quovis prætextu aut colore, A. C. 1680.
„Notarii videlicet, teſtis, Emphyteutæ,
„ſub-Emphyteutæ, aut alia quavis ra-
„tione, ad actus & uſurpationes ſuprà
„nominatas auxilium, conſilium, aut
„favorem præſtent. Reſervamus etiam
„nobis, præterquam in articulo mor-
„tis, abſolutionem a præfata pœna
„Excommunicationis.„

Ne vero Epiſcopus quicquam eorum, quæ ad avertendas haſce calamitates adhibere poſſet, prætermiſiſſe videatur, omnes ſuos Diæceſanos enixe hortatus eſt, ut publicas preces, aliaque pietatis opera exercerent, hisque Divinam indignationem placare, atque animarum damna ob intruſos mercenarios impendentia præpedire ſatagerent: Hanc in rem die vigeſima ſecunda Februarii ad Clerum populumque Apamienſem Paſtorales haſce dedit literas: „Tam manifeſta ſunt indignationis di„vinæ hanc noſtram Diæceſin punientis „argumenta, & effectus, ut oporteat „aut cæcum eſſe, qui ea non videat, aut „plane inſenſibilem, qui illis non inti„mo dolore conficiatur. Eccleſiarum „Paſtoribus ultima fere neceſſitas in„cumbit officio ſuo abſtinendi, omit„tendique Sanctiores quasque functio„nes, imo eorum nonnulli, qui alioqui

Sæc. XVII. A. C. 1680.

„se totos addixerunt curandis anima-
„bus, coguntur gregem suum freque-
„ter deserere, necessitate alimenta men-
„dicandi, id quod sine dedecore sacri
„characteris, sine damno quampla-
„rium absque Sacramentis decedem-
„tium, sine juventutis neglectu neces-
„saria instructione carentis, ac denique
„sine infinita morum corruptela fieri
„haud potest. Hæc omnia inde pro-
„veniunt, quod legitimi ac canonice
„instituti Pastores redditibus sustentan-
„dæ vitæ necessariis priventur; quam-
„vis nec ad istos solos hæ miseriæ per-
„tineant, sed etiam ad magnam par-
„tem eorum pauperum, qui charitate
„Ecclesiasticorum fovebantur.„

„Equidem ingenue fatemur, cala-
„mitates, quibus conflictamur, nostris
„peccatis nostrisque imperfectionibus
„magna ex parte deberi; sed nec vos
„abnuetis, vestra quoque peccata mul-
„tum ad eas contulisse: quamquam &
„hoc ipsum negligentiæ nostræ adscri-
„bimus, quippe non ea, qua par est,
„industria partes officii nostri explemus:
„friget orandi studium: exempla minus
„quam oporteret sincera & incontami-
„nata: mores non satis incorrupti, ze-
„loque Apostolico flagrantes: denique
„omnes fateamur, oportet, flagella
„Divinæ justitiæ nostris peccatis, ab-
„usu-

„usuque Divinarum gratiarum provo- Sæc. XVII.
„cata fuisse, & forsan graviora adhuc A. C. 1680.
„impendent, nisi justitiam Divinam
„Cleri pœnitentia, dignaque satisfa-
„ctione occupemus.„

„Hæc nostra consilia illis forte in-
„tempestiva videbuntur, qui dies Qua-
„dragesimale jejunium præcedentes
„omni voluptati morumque licentiæ
„dedicarunt, perinde acsi propositum
„haberent, Spiritui sancto futuræque
„pœnitentiæ impedimenta objicere, &
„jejunium, atque alia sacri illius tem-
„poris opera contra intentionem Eccle-
„siæ plane inutilia reddere. At veri
„legitimique Christi fideles, ubi vident
„Matrem suam Ecclesiam abjectis gaudii
„insignibus luctu opertam, ut suum
„amorem & obsequium in Matrem te-
„stentur, eundem ipsi quoque dolorem,
„eosdemque mores induunt: & quam-
„quam omni Christiano nullum sit tem-
„pus exercendæ pœnitentiæ importu-
„num; tunc tamen, quicumque veram
„fidem amplectitur, vacare illi obstrin-
„gitur, quando judicium Dei observat
„a Sanctuario incipere, ac etiam cum
„Divinæ gloriæ jactura, si ita loqui fas
„sit, vindictam cælestem exerceri, quod
„plane præcipuum est irati Numinis
„argumentum. Nulla ergo ratio per-
„mittit, ut filii Matrem dolentem de-

Sæc. XVII. A.C. 1680.

„ſerant, multoque minus, lacrimas „non ſolum non extergant, verum et „tiam novum ei mærendi ſomitem ad„jungant, effrænata vivendi licentia, „cogantque in eas voces cum Propheta „prorumpere: *Suſtinui, qui ſimul contri„ſtaretur, & non fuit: qui conſolaretur, „& non inveni.*„

„Non deerit fortaſſe, qui credat in „poteſtate noſtra eſſe, torrentem malo„rum ſiſtere, utinam liceret id nobis „intacta conſcientia, ac juribus Eccle„ſiæ illibatis (quorum nos Deus cuſto„des conſtituit, etſi indignos) quovis „modo præſtare. Sed quamvis om„nem induſtriam locaverimus quæren„dis honeſtis mediis, quibus hæc cauſ„ſa componeretur, preces quoque ad „Deum, & conſilia ab hominibus vi„tute & doctrina conſpicuis addideri„mus, nunquam tamen modum repe„rimus in hac cauſſa tranſigendi, Deo „conſcientiaque inoffenſis, præſertim „poſtquam repetitis literis mentem „quoque Sanctiſſimi Domini Noſtri Ro„mani Pontificis intelleximus, noſtram „agendi rationem tanquam Eccleſiæ „utilem proficuamque apprime com„probantis.„

„Sed & illud ſalva omnino veritate „profitemur, præcipuum doloris noſtri „argumentum non eſſe, ærumnas, qui„bus

„bus in hac cauſſa acerbe jactamur, Sæc. XVII.
„ſed potius damna ſpiritualia, quæ in A.C. 1680.
„nos quoque redundant, ac ultimam
„neceſſitatem, qua pauperes conflictan-
„tur, & cui ſublevandæ nulla nobis
„poteſtas relicta eſt. Æquum igitur
„eſt, ut placando Deo, avertendisque
„malis, quæ Diæceſin noſtram partim
„affligunt, partim etiam deinceps im-
„pendent, manus nobiſcum operam-
„que ſocietis.„

„Omnibus ergo capitulis, Paro-
„chis, & Vicariis Diæceſis noſtræ præci-
„pimus, ut proxima Dominica, quæ
„eſt 25. currentis menſis, publicas ſup-
„plicationes inſtituant. Singulis quo-
„que Sacerdotibus, ut quamprimum
„commode potuerint, ter Miſſam reci-
„tent, quæ in Romano Miſſali *pro qua-*
„*cunque tribulatione* inſcribitur. Reliquis
„Eccleſiaſticis, ut Pſalmos pœniten-
„tiales cum Lytaniis, Orationibus, ac
„Verſiculis conſuetis perſolvant: om-
„nibus vero, ut quarta & ſexta feria,
„Sabbatoque proximæ hebdomadis
„jejunent. Laicos etiam exhortamur,
„ut Supplicationibus diligenter inter-
„ſint, ad Confeſſionis Sacramenta rite
„obeunda ſeſe diſponant, Beatiſſimæ
„Virginis Roſarium ſemel minimum re-
„citent, jejunia Eccleſiaſticis impoſita
„ipſi quoque ſuſcipiant. Omnes deni-

Sæc. XVII. A. C. 1680.

„que Diæceſis noſtræ fideles ardenter
„ac ſerio commonemus, ut Eleemoſy-
„nis, aliisque piis operibus, placandæ
„Divinæ juſtitiæ, impetrandæque mi-
„ſericordiæ diligenter incumbant. Ut
„vero mens & intentio noſtra omnibus
„innoteſcat, juſſimus hanc Conſtitutio-
„nem ſub ſacro Miſſæ Officio in omni-
„bus Parochiis proxima Dominica pro-
„mulgari, & ad valvas Eccleſiæ Ca-
„thedralis affigi.„

## §. XVII.

## *Duo Sacerdotes ab eodem Epiſcopo anathemate perculſi.*

Paulopoſt Petrus Brau Sacerdos, & Guerinus Palarin Collegiatæ B. Virginis de Campo Canonicus ad præfatæ Eccleſiæ beneficia titulo Regaliæ fuerant nominati, & quamvis Guerinus ipſemet antea Apamienſis Epiſcopi conſtitutionem ad publica Capituli acta referri conſenſiſſet, & trina vice a prædicto Epiſcopo monitus fuiſſet, nihilominus ejecto Balthaſare de Ouvrier Decano jam per ſeptem annos agnito, Decanatum dictæ Eccleſiæ poſſidere aggreſſus eſt; quoniam vero hoc beneficium, utpote electivum a Regalia exemptum erat, aliunde autem præfatus Guerinus, æque ac Petrus Brau nullas

las legitimas suæ contumaciæ causſas allegare poterant, hinc Epiſcopus die vigeſima quarta Martii hoc anno ambos tanquam excommunicatos declaravit, eosque a communione Eccleſiæ, necnon a participatione Corporis & Sanguinis Chriſti ſegregavit, præcepitque, ut horum abſolutione ſibi ſoli reſervata, ambo publice tanquam excommunicati denuntiarentur, hujusque ſententiæ notitia vicinis quoque Diæceſibus intimaretur. Sæc. XVII. A. C. 1680.

## §. XVIII.

### *Controverſia ob Caronenſem Electionem.*

Sub idem tempus adhuc gravius Roma, Galliaque collidebantur ob intruſam Monaſterii Caronenſis Superiorem: Situm erat hoc Aſceterium Caronæ exiguo agri Pariſini vico: illic Sanctimoniales degebant Congregationis B. Virginis Canonicorum Regularium S. Auguſtini Fundatore S. Petro Forrerio ejusdem inſtituti Sacerdote: Harum quædam bello Lotharingiam vaſtante inde in Belgium migrarunt, ubi Aurelianenſis Duciſſa, harum pietatem, morumque innocentiam admirata illas extincto Richelio Cardinale, ſecum in Gallias conduxit, eisque Caronæ

*Sfondr. Gall. vind. pag. 86. Hode Hiſt. de Louis XIV. lib. 40. pag. 218. Abregé de l'Hiſt. Eccl. t. 13. p. 478.*

Sæc. XVII. A. C. 1680.

ronæ haud procul Parisios Monasterium suo ære anno hujus sæculi quadragesimo tertio erexit, dotavitque. Decimo quarto post anno eadem Ducissa ab Alexandro VII. Pontifice obtinuit, ut quædam Virgo nomine Magdalena eidem Monasterio perpetuo præesset, etsi ex Regulæ instituto duntaxat Superiores triennio durarent, & *Matris*, non *Antistitæ* nomen gererent: adjecta tamen erat conditio, ut Magdalena fatis functa hæc gratia expiraret, ac deinceps juxta primævi instituti leges, Superiores seu Matres a Sanctimonialibus quolibet triennio eligerentur: Quamprimum Magdalena obierat, mox Franciæ Rex commendante Harlæo Parisiensi Episcopo Sororem de Querveno Ordinis S. Benedicti nominat, quæ Regio diplomate munita electionem prævenit, hujusque Monasterii Præfecturam occupavit, interim vero in Curia Romana egit, ut sub specioso collapsas Monasterii facultates reparandi obtentu ad solutiorem Ordinem transire posset, & Antistita confirmaretur: Utrumque vero eidem a summo Pontifice denegatum: ipsa autem paulopost vivis erepta est: Sperabatur eligendi libertas tandem reditura, cum illico rursus impellente Archiepiscopo & Patre de la ChaiseLudovicus RexAngelicam le Maître

tre Ordinis Ciſtercienſis Monialem de- Sæc. XVII.
ſignaret: Hæc igitur, cum oblatam di- A.C. 1680.
gnitatem lubentiſſime acceptaret, Archiepiſcopi literis die octava Novembris munita, ſe Abbatiſſam nominari præcepit: Obſiſtunt equidem Charonenſes Virgines, jusque ſibi competere obtendunt, ut ex propria ſua domo Matrem eligerent, cujus gubernatio juxta inſtituti præceptum triennalis eſſet: Aſt reclamat Archiepiſcopus, cauſſatus, Angelicam reſtaurandæ Oeconomiæ, utpote frugalem, & ſumptibus parcam, eſſe neceſſariam, nec ſimilem in tota earum Congregatione reperiri: Interpellatus etiam Pontifex, ut Apoſtolicæ confirmationis diploma novæ hujus Abbatiſſæ concederet; cum autem illud impetrari non poſſet, ingenio certatum eſt, atque artificioſo violatæ libertatis temperamento Archiepiſcopusſtatuit, ut Angelica eſſet Antiſtita & quidem perpetua, non tamen talis diceretur, quamvis interim, donec Pontificium diploma Roma veniret, officio fungeretur: Supplicant Regi & Archiepiſcopo Moniales, ſæpius Parlamenti opem implorant, inſtituti ſui leges infringi, ſuumque jus violari queruntur, diu contra intruſam luctantur; verum incaſſum omnia; eo quippe tempore, quo Moniales ad Divinam opem implorandam

Sæc. XVII. A. C. 1680.

dam preces ad Aram fuderant, Angelica pluribus famulis ac fæcularibus ſtipata effractis violenter clauſtri foribus, in Monaſterium irrupit; Archiepiſcopus vero quasdam Moniales, quæ acrius armatæ huic Antiſtitæ obſiſtebant, in Lotharingiam remiſit, ceteras vero ad præſtandum eidem obſequium adegit: Hæ autem Romam ad Innocentium XI Papam provocabant, qui etiam afflictas, oppreſſasque ſolaturus, die ſeptima Auguſti ad illas paternum hoc dedit diploma.

„Dilectæ in Chriſto Filiæ, allatum „ad nos eſt, Monialem quamdam Cı„ſtercienſis, ſeu alterius, non tamen „veſtri Ordinis Mariam Angelicam de„Maiſtre nuncupatam, prætextu Regiæ „nominationis ad perpetuam, ſeu tem„poralem illius Monaſterii Præfecturam „ſe in ejusdem poſſeſſionem, effractis „violenter clauſtri veſtri foribus, dum „vos ad divinam opem implorandam „preces ad aram ſuppliciter funderetis, „immiſiſſe. Eam ſane ex hujusmodi „facto cepimus intimi doloris amaritu„dinem, quam rei ipſius atrocitas, & „grave ſcandalum, quod exinde pro„fectum eſt, expoſcebat, neque minori „commiſerationis ſenſu proſecuti vos „fuimus, qui cognitam & perſpectam „habemus pietatem atque egregiam „di-

Sæc. XVII. A. C. 1680.

„disciplinam, qua instituti vestri, præ-
„sertim in gratuita & fideli puellarum
„instructione normam tenetis, spera-
„mus non defutura vobis veriora sola-
„tia a Patre misericordiarum, qui vir-
„tutem Vestram exercet, & quasi per
„ignem probat, ut ornet, & illustret
„magis, & ampliori mercede suo tem-
„pore coronet: Præcipimus interim
„Vobis, ne præfatæ Mariæ Angelicæ
„ullum obedientiæ actum exhibeatis,
„aut quidquam faciatis, quod trahi a-
„liquo modo possit in approbationem,
„& consensum eorum, quæ hac occa-
„sione a quocumque quovis colore per-
„acta, & patrata sunt, quæque Nos
„Apostolica auctoritate nulla, atque
„irrita declaramus, & (quatenus opus
„sit) cassamus, omniaque & singula
„tam a dicta Maria Angelica, quam ab
„ejus fautoribus attentata annullamus,
„revocamus, atque abrogamus; sed
„procedatis juxta Regularum vestra-
„rum præscriptum, ad eligendam de
„gremio vestro Matrem, seu Priorissam
„triennalem ea charitate & pru-
„dentia, ut Monasterio vestro præesse
„cum laude possit. Ceterum manda-
„mus, ut Sorores seu Matres vestræ,
„Moniales dicti vestri Monasterii, quæ
„ausu temerario relegatæ asseruntur,
„quanto citius redeant, ut ibi voce

„acti-

Sæc. XVII. A. C. 1680.

„activa & passiva frui, potiri & gau-
„dere possint, vobisque & ipsis, tota-
„que Congregationi Beatæ Mariæ Vir-
„ginis instituti præfati Servi Dei Petri
„Fourier, & præsertim vestro Mona-
„sterio Pontificium Nostrum patroci-
„nium ex animo pollicemur, dum ac-
„curatis, & jugibus precibus vestris
„necessitates Ecclesiæ, & Nos ipsos
„commendamus, quibus Apostolicam
„Benedictionem paterne impartimur.„

Verum Pontificii hujus decreti adeo nulla Parisiis ratio habebatur, ut etiam Parisiensis Archiepiscopus & Regis Confessarius summopere indignati, quod hæ Moniales Catharinam Angelicam Levesque in suam Superiorem elegissent, Senatum Regium accederent, adversus Papæ diploma vehementer declamantes. Mox igitur Parlamentum die vigesima quarta Septembris edito decreto sacris hisce Virginibus præcepit, ne Pontificis mandato parerent, nec illud executioni darent, sed Archiepiscopi jussis obtemperarent. Insuper Regius Senatus novæ Superioris electionem a Monialibus factam, licet a Papa confirmatam omnino irritam declaravit, ipsumque Pontificis diploma, quo Monialibus aliam eligendi libertas fuit reddita, suppressit. Ipsi etiam Franciæ Præsules Parisiis congregati, &

& præcipue inter eos Rhemensis Archiepiscopus palam declararunt, ea, quæ Romæ hac in causa gesta essent, juri Canonico, Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus, Regnique legibus adversari, Regique ex jure Regalium competere potestatem nominandi Superiorem, Papam igitur immerito ad nudam relationem quarumdam fœminarum in propria earum causa, parte altera non audita, sine judiciali cognitione declarasse irrita, quæ Regis & Archiepiscopi auctoritate acta fuissent, hunc quoque agendi modum contra Canones, & Ordinariorum ac Metropolitarum jura pugnare, ordinem jurisdictionis everti, ac studiose Papam cum Ecclesia Gallicana collidi. His sufflaminabant egregie Pater de la Chaise Regis Confessarius, & P. Ludovicus Maimburgus Jesuitæ, quorum posterior calamo quidem Pontificiæ auctoritati infestissimo, argumentis tamen nonnisi exoletis marcidisque, ac toties a Luthero, Calvino, Illirico-que recoctis Regaliæ causam tuebatur, ac propterea Jesuitæ omnes Romæ pessime audiebant. Sæc. XVII. A. C. 1680.

§. XIX.

Sæc. XVII. A. C. 1680.

## §. XIX.

## *Extremus Apamienſis Epiſcopi conatus pro impedienda Regaliæ in ſuam Diœceſin introductione.*

*Gall. Vind. Sfontr. pag. 275. Tract. de Regal. pag. 543.*

Poſtquam Franciſcus ad tuendam Eccleſiæ libertatem contra extenſum Regaliæ jus preces, hortationes, rationes, privatas, publicasque & Canonicas denuntiationes & minas inciſum adhibuerat, acerbiora remedia experturus, cunctos Regaliæ titulo utentes, rurſus anathemate percuſſit, die trigeſima prima Martii hac in eos pronuntiata ſententia:

„Cum nihil Eccleſia habeat magis
„neceſſarium, majorisque pretii, quam
„& libertatem de Officiis Beneficiisque,
„præſertim Cathedralium Eccleſiarum
„diſponendi (in quibus Canonici alii-
„que in dignitate conſtituti in partem
„ſollicitudinis Epiſcopalis, regendæque
„Diœceſis, præſertim vacante Eccleſia,
„vocati ſunt) & liberam temporalium
„proventuum adminiſtrationem, ſine
„quibus nec Divina officia decore per-
„agi, nec Eccleſiæ reparari ornariique,
„nec habiles miniſtri ſuſtentari, nec
„quotidianis pauperum neceſſitatibus
„ſub-

Sæc. XVII. A. C. 1680.

„ſubveniri, nec denique expenſæ quotidianæ perferri poſſunt; introductio vero Regaliæ utroque hoc jure, ſaltem vacantibus Eccleſiis, privet, eapropter non alio eam loco, quam duræ Servitutis habere poſſumus omninoque illi libertati adverſæ, quam Chriſtus ſuo nobis ſanguine acquiſivit, ipſo etiam Ludovico Juniore teſte in ſua Declaratione de Anno 1137. ubi Provinciam Aquitaniæ hujus jugi immunem eſſe fatetur.„

„Hic Regaliæ abuſus Laicis Regiisque Miniſtris occaſionem tribuit, Cathedralium & Collegiatarum Eccleſiarum, ac præcipua Diæceſis Beneficia hominibus ſine ulla ad ſtatum Eccleſiaſticum vocatione conferendi, ſine Scientia & pietate adimplendi, nec aliud meritum præſeferentibus, quam quod apud Majeſtatis ſuæ Miniſtros, quibus iſtorum beneficiorum diſtributio permiſſa eſt, omnem induſtriam collocaverint, ut aliquo Beneficio potirentur; quod tamen unicum, quamvis alia deeſſent, ſi ex Spiritu & diſciplina Eccleſiæ res agatur, omnino indignos reddit omni Eccleſiaſtica dignitate. Ex quo ſequitur, ut qui ad Epiſcopatus promoventur, tantum abſit, ut perſonas reperiant, in quarum humeros partem aliquam Paſtoralis

Sæc. XVII. A. C. 1680.

„Sollicitudinis ſecure deponant, ſed po-
„tius, quæ Epiſcopis boni aliquid præ-
„ſtare volentibus ſe omni conatu op-
„ponant.„

„Auget malum damnumque, quod
„cum denominatio ad vacantes Epi-
„ſcopatus Regii juris ſit, nunquam
„Regios officiales occaſio & rationes
„deficient Regi perſuadendi, ut no-
„minationem differat, Regaliamque
„producat, id quod Divum Bernardum
„in eas querelas prorumpere coegit,
„quæ *Epiſtola* 122. leguntur, tempore
„videlicet Ludovici Junioris more re-
„ceptum fuiſſe, ut Epiſcopatuum col-
„latio differretur, quo diutius eorum
„proventibus frui liceret.„

„Poſtquam ergo tam in Conſtitutio-
„nibus noſtris, quam aliis publicis actis
„bus juſtiſſimas rationes palam fecer-
„mus, quæ nos obſtringunt, ut quan-
„tum pro noſtra virili parte fas eſt, li-
„bertatem Eccleſiæ contra Regalian
„tueamur, fruſtra etiam adhibitis dul-
„cioribus remediis, qualia ſunt preces,
„adhortationes, demonſtrationes, pri-
„vatæ publicæque & canonicæ admo-
„nitiones, cogimur tandem non ſine
„ingenti intimoque dolore alia & acer-
„biora remedia experiri.„

„Quamplurima ſunt œcumenica Con-
„cilia, ſummorumque Pontificum Con-
„ſtitu-

„ſtitutiones, quibus contra bonorum ju- Sæc. XVII.
„riumque Eccleſiaſticorum uſurpatores, A. C. 1680.
„eosque, qui hujusmodi uſurpatori-
„bus auxilium aut conſilium præſtant,
„Excommunicatio pronuntiatur, ſic-
„que a nobis editæ Conſtitutiones non
„tam novas prohibitiones novasque pœ-
„nas complectuntur, quam antiquas
„renovant applicantque, tantoque ma-
„gis ad hoc agendum impellimur, quod
„Decreta pœnæque a ſacris Canonibus
„ſancitæ, non ſolos Laicos reſpiciunt,
„jurium, bonorum, libertatumque Ec-
„cleſiaſticarum uſurpatores; ſed etiam
„in Clericos & Epiſcopos vibrantur,
„qui aſſenſum præbent, neque ſe hujus-
„modi uſurpationibus, quantum licet,
„opponunt, & præſertim Concilium
„Lugdunenſe adeo inter alia celebre,
„loquens de hoc ipſo Regaliæ argu-
„mento, non ſolum cap. 12. contra il-
„los tam ſæculares, quam Eccleſiaſti-
„cos, qui obtentu Regaliæ in Eccleſiis
„hujus juris expertibus vacantia bona
„uſurpant, Excommunicationis ſenten-
„tiam profert; verum etiam eos, qui
„hujusmodi uſurpatoribus connivent,
„neque uti oporteret, ſe illis oppo-
„nunt, fructibus omnium ſuorum be-
„neficiorum privat.„

„Concilium Avenionenſe ſub Papa
„Joanne XXII. Anno 1322. Excommu-

 „nica-

Sæc. XVII. A. C. 1680.

„nicationem indicit & illis, qui vacan-
„tia bona Eccleſiarum uſurpant, &
„qui uſurpatoribus *gratis*, hoc eſt, vo-
„luntarie *obediunt*, id quod iisdem ver-
„verbis in alio Concilio Avenione æqua
„habito ſub Benedicto XII. Anno 1337
„repetitum fuit. Concilium quoque
„Tridentinum *Seſſ.* 22. *cap.* 11. omnibus
„quacunque dignitate, etiam Regali
„aut Imperiali præfulgentibus ſub pœ-
„na Excommunicationis interdicit, ne
„bona & jura Eccleſiaſtica ſibi vendi-
„cent; iisdemque pœnis omnes Eccle-
„ſiaſticos afficit, quicunque hujusmodi
„uſurpatoribus aut conſenſum aut opem
„ram præſtant.„

„Eccleſiæ quæcunque recepto jam
„more & antiqua conſuetudine Regi
„liæ jugo aſſueverunt, non poſſunt mo
„gemere, & quamdiu Deo libuerit
„hanc ſervitutem non patienter tole
„rare. Eas vero Eccleſias quod ma
„net, quæ nullo hactenus titulo ac
„conſuetudine juri Regaliæ ſubjectæ
„fuerunt, earum Epiſcopi, quippe Pa
„ſtores cuſtodesque, ſufferre potius de
„nia debent, quam ut antiquam & ca
„nonicam libertatem aboleri, & jugo
„tam gravi inſuetoque Eccleſias ſuas
„ſupponi patiantur.„

„Qui hactenus titulo Regaliæ Be
„neficia noſtræ Diæceſis occuparunt,
„ani

„ambitionis avaritiæque Spiritum, quo „nimium quantum agitantur, tam claris manifeſtisque ſignis prodiderunt, „ut omnino conjicere liceat, nullo eos „timore cenſurarum percelli, quas comminati ſumus, quasque actualiter incurrerant, licet nimia forſan conniventia unicum pro excommunicato „hactenus denuntiaverimus. Et tamen nullum aliud remedium ſupereſt „nobis, quo hunc malorum torrentem „ſiſtamus impediamusque, ne paucorum exempla in plurium perniciem „transeat, irreparabili Diæceſis noſtræ „damno, quam ut has pœnas extendamus, iisque etiam applicemus, qui „conſilio, auxilio, aut alio quovis modo introducendæ in hanc noſtram „Diæceſin Regaliæ auctores fuerint, „tantoque magis ad hoc agendum conſtringimur, quod in hac cauſſa non „alias partes vendicemus, quam ut „exequamur Decreta Eccleſiæ, idque „in materia, quam ad cognitionem & „poteſtatem noſtram pertinere nemo „inficiabitur; quippe cum in illa non „de proventibus tantum Eccleſiæ, verum etiam de collationibus beneficiorum agatur, utique ſunt res ſpirituales mereque Eccleſiaſticæ: & vero „pollicemur nobis, eos, qui privatis „lucris minus cæce obſtinateque ad-

Sæc. XVII. A. C. 1680.

„hærent, facile Conſtitutionibus noſtris
„obtemperaturos, nec ſacræ Juriſdi-
„ctionis declinandæ cauſſa fallaci va-
„noque effugio profanos Magiſtratu
„appellaturos, id quod in cauſſis, qua
„connexionem aliquam cum civilibus
„habent, ſæpe multumque evenit.„

„Erunt fortaſſe etiam, qui, cum
„Cenſuras a nobis latas incurrerint,
„ſuperiorem auctoritatem, a qua ab-
„ſolvantur, appellabunt: Verum cum
„notorium ſit, vanum hunc eſſe ini-
„tumque recurſum, nihil aliud agent
„quam ut contumaciam ſuam, legum
„que Eccleſiaſticarum contemptum ma-
„gis magisque conteſtentur. Et præ-
„ſertim cum nihil aliud agamus, quam
„ut quam plura cum Generalia, tum
„Provincialia, & in Galliis recepta
„Concilia exequamur, non poteſt hæc
„præſens noſtra Conſtitutio niſi ab illis
„violari, qui totius Eccleſiæ auctori-
„tati una adverſantur: nec eſt alia pro-
„teſtas præter Pontificiam, quæ hujus
„cauſſæ cognitionem pro eo ſtatu, in
„in quo verſatur, arrogare ſibi poſſit.„

Multo minus eo prætextu Cenſuras
„a nobis latas declinare poterunt, quod
„non omnes ſolemnitates adhiberi alias
„ſolitæ, obſervatæ in præſenti negotio
„fuerint; quis enim neſciat, accidenta-
„tia, quæ abeſſe poſſunt, ſubſtantiæ
„poſ-

„poſtponi oportere? neque tunc ſolem- Sæc. XVII.
„nitates neceſſarias eſſe, quando ſunt A. C. 1680.
„impoſſibiles, id quod in præſenti cauſſa
„manifeſte contingit; nemo enim igno-
„rat, aliquos de Clericis noſtris, qui
„Decreta a nobis edita inſinuare, &
„promulgare ſunt auſi, injuriis affe-
„ctos, intentatisque carceribus abſter-
„ritos eſſe.„

„Perſuademus ergo nobis, nemi-
„nem fore tam ſui pietatisque ac Re-
„ligionis immemorem, qui, ut Cleri-
„cis gratificetur dignitatum quæſtus-
„que avidis, tam gravibus magnisque
„malis (qualia ſunt, quæ ex cenſuris,
„præſertim Excommunicatione prove-
„niunt) implicare ſe velit, tantumque
„abſuturum, ut animæ, Dei, ſuæque
„Salutis amantes Societate eorum,
„qui anathemate percuſſi ſunt, infici
„ſe patiantur, ut potius magno ſui me-
„rito hanc occaſionem, ſuam erga Ec-
„cleſiam obedientiam, fidelitatemque
„conteſtandi, amplexuri ſint, vi-
„tando videlicet obduratos illos, &
„ab Eccleſiæ communione ſeparatos
„peccatores. Quodſi aliqui ſint, qui,
„ne levi aliquo emolumento ſe privent,
„aut humanis reſpectibus renuntient,
„malint Eccleſiæ Decretis adverſari, ii
„plane, ſi in laqueos diaboli incidant,

Sæc. XVII. A. C. 1680.

„animæque naufragium patiantur, ſibi „ipſis culpam, non aliis adſcribent.„

„Nos enim quod attinet, Deum toto „cordis affectu enixeque precamur, ut „in omnes Diæceſis noſtræ fideles mi„ſericordiæ & benignitatis ſuæ fontes „effluere faciat, flagella vero juſtitiæ „& iracundiæ ſuæ clementer avertat. „Nec enim in hac cauſſa, Deo teſte, „alium nobis finem propoſuimus, quam „ut obligationi reſponderemus, quam „nobis officium noſtrum imponit, ut„que pro virili noſtra parte Eccleſiæ „noſtræ libertatem ac jura tueremur, „omniumque fidelium curæ noſtræ ſub„ditorum ſaluti caveremus: eorum e„tiam, quorum corpora vibrata Ex„communicatione *poteſtati Sathanæ tra„didimus, ut eorum corpora in die Domini „ſalva fiant.* Quodſi aliqui ſint, qui „Eccleſiæ pœnis abuti, quam corrigi „malint, remedia iis curandis a me „adhibita in fomenta potius contuma„ciæ convertant, id quidem maximo „dolori nobis erit; quippe cum id di„vinæ iracundiæ, quam in hujusmodi „obduratos peccatores exercere etiam „in hoc mundo ſolet, præcipuum ar„gumentum ſit; illud ſaltem conſolabi„tur nos, quod videlicet omnes partes „miniſterii noſtri expleverimus, omni„que metu liberati ſimus eas pœnas „incur-

„incurrendi, quas alioquin timidis o- Sæc. XVII.
„tiosisque Pastoribus Propheta intentat, A. C. 1680.
„quodque Decretis Ecclesiæ obtempe-
„raverimus, ut arma Spiritualia pro
„Ecclesiæ juribus defendendis stringa-
„mus, nobis imperantis.„

„Has igitur aliasque ob causas post
„invocatam Spiritus sancti gratiam,
„postque audita consilia virorum, do-
„ctrina & virtute præstantium, sub pœ-
„na Excommunicationis ipso facto in-
„currendæ, omnibus cujuscunque sta-
„tus ac dignitatis hominibus districte
„injungimus, ne pro se, aut pro aliis
„Prioratus, Canonicatus, Præbendas,
„aut alia quæcunque Diœcesis nostræ
„Beneficia titulo Regaliæ petant, ne-
„que eorum possessionem capiant, aut
„si aliqua impetrarunt, ne eorum fru-
„ctus sibi vendicare, aut functiones
„exercere præsumant. Prohibemus e-
„tiam æque sub pœna Excommunica-
„tionis ipso facto incurrendæ omnibus
„cujuscunque status ac conditionis ho-
„minibus, ne sub quovis Procuratoris,
„Commissarii, Conductoris, aut alio
„nomine tituloque Regaliæ proventus
„Episcopatus, seu Capituli nostri, aut
„aliorum Beneficiorum Diœcesis Apa-
„miensis, sive in parata pecunia, sive
„in aliis rebus pretio æstimabilibus per-
„cipere audeant. Prohibemus denique

Sæc. XVII. A. C. 1680.

„omnibus & ſingulis ſub pœna Excom-
„municationis, ne ad percipiendos,
„diſtribuendosve proventus noſtros, aut
„obtinenda Beneficia noſtræ Diæceſis
„titulo Regaliæ, exercendasque eorum
„functiones, aut alium actum eden-
„dum, qui Regaliæ in hanc Diæceſim
„introducendæ ſervire poſſit; ne, in-
„quam, ad hæc omnia, aut iſtorum
„aliquid auxilio, aut conſilio quovis
„modo concurrant. Quin potius om-
„nes Diæceſanos, ac præſertim Eccle-
„ſiaſticos exhortamur, ut omni, qua
„poſſunt, honeſta ratione, ac modo,
„ſe Regaliam ejusque extenſionem a-
„verſari, ac improbare conteſtentur.
„Quia vero Adverſariorum potentia in
„hac præſenti aliisque Conſtitutionibus
„noſtris promulgandis non permittit
„omnes, alioqui neceſſarias, ſolemni-
„tates obſervari, ideo declaramus eas
„hoc ipſo, quod a nobis publicatæ, &
„ad valvas Eccleſiarum affixæ fuerint,
„pro ſufficienter promulgatis & publi-
„catis habendas eſſe, nosque ſine aliis
„citationibus, monitionibus, aut inti-
„nuationibus præcedentibus ad pœnas,
„Cenſuras, & Excommunicationes pro-
„ceſſuros, quarum etiam abſolutionem
„nobis reſervamus, nec permittimus,
„ut ab his Cenſuris abſolvere poſſint,
„quibus alioqui facultatem generalem
„de-

„dedimus a casibus reservatis absol- Sæc. XVII.
„vendi.„ A.C. 1680.

## §. XX.

## *Apamiensis Episcopi Vindiciæ.*

Cum autem non modo Regis Ministri, sed etiam Tolosanus Archiepiscopus, ceterique Franciæ Præsules Apamiensem Episcopum contumaciæ, ac insani zeli insimularent, imo & Tolosanus excommunicationis sententiam contra Palarinum nuper denuntiatam omnino irritam declarasset, huncque Canonicum a censura ad *cautelam* absolutum, ad exercendas beneficii & officii usurpati functiones habilem reddidisset, atque Episcopum ad diem octavam Maij coram suo Tribunali comparere jussisset, hic eadem die præfato Archiepiscopo literas submisit, quibus sententiam a se pronuntiatam esse validam demonstravit, ita præfatus: *Gall. vind. pag. 281. Du Pin hist. de l'Eccl. t. 4. p. 364.*

„Equidem fateri ingenue debeo, & „præsentibus literis (posteaquam liber„tas mihi adempta est publicis ac so„lemnioribus tabulis id agendi) palam „testari, me in iis, quæ Regaliam „spectant, nullo modo illustrissimæ Do„minationis Vestræ Jurisdictionem a„gnoscere posse, & consequenter nec „ejus hac in re judicio, sententiis,

„De-

Sæc. XVII. A. C. 1680.

„Decretis, ad eamque interpositis Appellationibus deferre. Rationes, quæ „hoc mihi persuadent, jam alibi in „scripto prima Octobris Anno 1677. exposui, & nemo eas legit, qui non „continuo professus sit, se illis convictum esse; nihilominus tamen non „prætermittam in præsenti etiam epistola aliqua fusius deducere. *Primo* „videlicet, illustrissimam Dominationem Vestram non esse in iis, quæ ad „Regaliam pertinent, Judicem competentem. *Secundo.* In judicio, sententiisque ab ipsa latis prætermissas fuisse „formas necessarias, & quarum defectu „validæ dici non possunt. *Tertio.* Etiam in substantia ipsius Caussæ a regulis Justitiæ plane deflexisse. *Quarto.* „Constitutiones a me editas, & quoad „modum, & quoad substantiam ipsam „æquas omnino esse. *Quinto.* Appellationes ad Dominationem Vestram „Illustrissimam interpositas, & inhibitiones ab ipsa factas non posse mearum „Constitutionum executionem morari.„

Primum caput probabat ex Concilii Nicæni Can. 8. Sardicensis Can. 17. Chalcedonensis Can. 9. & Canonistarum sententia in caput *sicut olim* de accusationibus, ex quibus intulit, quod Excommunicationes contra Ecclesiasticos aut laicos pronuntiatæ, *in Conciliis Pro-*

*Provincialibus* examinatæ & discussæ fuerint. Sæc. XVII. A. C. 1680.

Alterum a se jam Anno 1677. die 18. Octobris comprobatum fuisse ajebat, aliunde vero hoc judicium nec vocato, nec audito Episcopo fuisse pronuntiatum, & Palarino sacras functiones peragendi facultatem concessam, quin de eo constaret Episcopo, an censuris sit solutus, vel innexus, atque absolutionem ad cautelam tantum valere, quando constat, excommunicationem esse nullam, nec sufficere, ut excommunicatio sit injusta, nec aliud hanc absolutionem efficere, nisi ut absolutus in judicio stare possit.

Tertium probavit ex eo, quod Pontifex primum Tolosani decretum jam irritum declarasset, & Episcopi sententiam confirmasset.

Quartum probare nitebatur elisis Palarini objectionibus contra Episcopi sententiam allatis, perinde acsi Episcopus solemnitates (quæ tamen impossibiles erant) necessarias, tresque Canonicas monitiones prætermisisset, cum tamen Palarinus non primum sed excommunicationem jam incurrisse declararetur.

Quinto denique ostendit ex Juris Canonici dispositione, non esse appellationibus deferendum, si & quando illegitimæ sunt. §. XXI.

Sæc. XVII.
A. C. 1680.

## §. XXI.

## *Cleri Gallicani epistola ad Ludovicum Franciæ Regem.*

*Palat. in vit. Innoc. p. 59. Du Pin. l. c. Regal. Sacerd. p. 79. Vid. supra §. 116. pag. 420.*

Ad Innocentii Papæ literas, quas anno priori die vigesima nona Decembris scripserat, nondum Franciæ Rex responsum dedit, hoc autem anno ad eundem perscripsit, quod Cardinalem Estræum Romam decreturus sit, ut Regis mentem circa Regaliæ caussam summo Pontifici declararet: postquam vero Franciæ Præsulibus innotuerat, quod Papa in præfatis literis cælestis iræ animadversionem Regi denuntiarit, seque remedia, quæ traditæ divinitus potestati competerent, adhibiturum comminatus esset, ac insuper Regios Ministros, & sub illis haud obscure ipsos etiam Galliæ Præsules *dissidentiæ Filios* nuncupasset, inde exacerbati Franciæ Archiepiscopi, Episcopi, aliique Ecclesiastici a Clero Gallicano deputati, mox die decima Julii Conventum in oppido S. Germani in Laya habuerunt, ubi sequentem epistolam ad Regem esse mittendam decreverunt.

„Intelleximus, nec absque intimo „doloris sensu, a Sanctissimo Domino Nostro Romano Pontifice ad Majestatem „Vestram delatas esse literas, quibus „non

„non ſolum Majeſtatem Veſtram exhor- Sæc. XVII.
„tandam ducit, ne aliquas noſtrarum A. C. 1680.
„Eccleſiarum Regaliæ ſubjiciat; verum
„etiam niſi paternis, ac ſæpe repetitis
„admonitionibus acquieſcat, ſua pote-
„ſtate ſe uſurum denunciat: Enim vero
„noſtrarum partium, noſtrique obſequii
„eſſe credimus minime in re tanti mo-
„menti ſilentium tenere, eo præſertim
„tempore, quo invito, ægroque animo
„ferimus, Filium Primogenitum, Ec-
„cleſiæque Protectorem iis omnino mi-
„nis, eademque acerbitate tractari,
„qua Principes ſolent, qui Eccleſiæ jura
„invadunt. Non eſt nobis animus cum
„Majeſtate Veſtra in eo negotio diſce-
„ptare, in quo ab eadem tot argumenta,
„notasque Pietatis & Juſtitiæ jam du-
„dum accepimus; ſed tantum hanc no-
„vam agendi rationem dolentes intue-
„mur, ex qua tantum abeſt, ut Ec-
„cleſiæ, ſedique Romanæ honoris ali-
„quid, & emolumenti accedat, ut po-
„tius ingentia utrique mala, peſſimi-
„que effectus timendi ſint; quis enim
„non videat, intempeſtiva hac ſeveri-
„tate eorum animos, & molitiones
„ali, qui turbido, inquietoque inge-
„nio ſunt, & contra Sanctitatis ſuæ
„genium, ac intentiones rectiſſimas oc-
„caſionem hanc amplectuntur, vindi-
„ctam, privatosque affectus explicandi,
„&

Sæc. XVII. A. C. 1680.

„& Majestatis Vestræ, ejusque Prælatorum honori, quod jam dudum faciunt, acerbe insultandi. Ipsi omnino sunt, qui lapidem omnem movent, industriamque collocant dignitati Sacerdotali cum Regia collidendæ, eo potissimum tempore, quo nunquam magis opportuit utramque fœderari, & nunc maxime, cum quæ religioni augendæ, Disciplinæ exornandæ, expugnandisque erroribus hæreticorum a Majestate Vestra quotidie fiunt, orbe toto cantantur: Enim vero nec consilia Nobis, nec media desunt, quibus auctoritate Majestatis Vestræ, & potentia nixi, tam pernicioſos funestosque eventus avertere possimus, explicata videlicet summo Pontifici animi nostri sententia, aliisque remediis, quæ tam gravi malo conveniunt, mature adhibitis, illæsa tamen ea reverentia, obsequioque, quod Christi Vicario profitemur. Hoc siquidem Prædecessores nostri semper habuerunt, ut zelo, quo Ecclesiasticam libertatem tuendi flagrabant, reverentiam adjungerent, tot titulis cum naturæ, tum Religionis suis Regibus debitam. Et quemadmodum Majestati Vestræ inter alia tot decora illud etiam accessit, ut Majores suos omnes potentia & religio-

„ligione poſt ſe relinquat, ita Nos quo- Sæc. XVII.
„que ſic obſtrictos habet, devinctos- A. C. 1680.
„que, ut ab ejus obſequio nulla ra-
„tione, nullisque artibus avelli poſſi-
„mus. Serviet hæc animi noſtri con-
„teſtatio eludendis conatibus omnium
„ſacræ Sedi, Regnoque inimicorum,
„eamque Nos tanto libentius, & quam
„fieri poteſt candidiſſime, repetendam
„ducimus, quod neceſſarium creda-
„mus, ut totus orbis intelligat, & a-
„morem Eccleſiis, & venerationem
„Regibus debitam conjungi a nobis
„poſſe, qui erimus perpetuum.„

*Majeſtatis Veſtræ.*

*Humillimi, obſequientiſſimi, fideliſſimi, obligatiſſimi Servi & ſubditi, Archiepiſcopi, Epiſcopi, cæterique Deputati, &c.*

Hiſce literis triginta ſeptem partim Epiſcopi partim alii Eccleſiaſtici ſubſcripti legebantur.

Interim Apamienſis Epiſcopus de horum Præſulum auſibus, ac præcipue Toloſani Archiepiſcopi violentia Papam Innocentium datis literis certiorem reddidit, ad quas hic die decima ſeptima Julii hæc reſpondit: „Quod plurimo-
„rum ſermone Noſtris auribus dudum
„inſonat, Fraternitatis tuæ ad Nos li-
„teræ plane declarant, te ſcilicet in

Sæc. XVII. A. C. 1680.

„tribulationibus gloriantem, & inter
„affectæ valetudinis incommoda, inter
„paupertatis & vexationum anguſtias
„creſcentem quotidie magis in Char-
„tate Chriſti, magno fortique animo
„illius cauſſam agere, pergratum Deo
„hominibusque ſpectaculum exhibere,
„magnum profecto ex tantæ virtutis
„experimento dolori Noſtro ſolatium
„cepimus, & pari obligationis nexu
„obſtringimur, tendendi ſupplices in
„cælum manus, ut uberes profitea-
„mur miſericordiarum Patri gratias,
„quod difficilimo tempore ſuſcitaverit
„ſibi in iſto Regno Sacerdotem fidelem,
„qui in communi animorum conſter-
„natione & ſilentio, quaſi tubam ex-
„altet vocem ſuam, & opponat murum
„pro domo Iſrael. Documentum il-
„luſtre cæteris, quos Dominus poſtea
„regere Eccleſiam, quam acquiſivit
„ſanguine ſuo, quam præclara, quam
„gaudii plena res ſit, dignos haberi,
„qui pro Jeſu Chriſti nomine contume-
„liam patiantur: ſi contumelia dicenda
„eſt, ex qua vera & ſolida in hac qui-
„que morali vita oritur gloria, judicio
„ſapientum. Nos quidem, quantum
„ſitum in Nobis erit, nullo loco deero-
„mus virtuti tuæ: quamquam etſi de-
„eſſent omnes, pro explorato tamen
„habemus Deum cauſſæ ſuæ, neceſſe
„tali

„tati Ecclesiæ, constanti tuæ in ipsum „fidei, assiduis & accuratis precibus „Nostris, bonorum denique omnium „votis non defuturum. Statueramus „efficax remedium adhibere iis, quæ „Archiepiscopus Tolosanus contra Lug„dunensis Concilii sanctionem, & con„tra Apamiensis Ecclesiæ, vel potius „Provinciæ Tolosanæ jura, libertatem„que attentare ausus fuit: sed redditis „Christianissimi Regis literis, in quibus „ad ultimas Nostras cum consueta fi„lialis observantiæ significatione respon„dens, se injunxisse significat dilecto „filio Nostro Cardinali d'Estrées, ut „expedito itinere ad urbem proficisca„tur, regiam Nobis mentem super ne„gotio Regaliæ declaraturus: operæ „pretium duximus, eidem remedio su„persedere, dum Cardinalis adveniat. „Nobis enim persuademus, Regem „quoque ipsum interim curaturum, ut „omnia in locum pristinum reponantur. „Quodsi secus accidat, & præfatus Ar„chiepiscopus, ab eoque causſam ha„bentes pergant in te tuisque Canoni„cis, aliisque Ecclesiæ tuæ Beneficia„riis vexandis, prætextu juris Metro„politici, tuæ Pastoralis sollicitudinis, „& spectatæ constantiæ partes erunt, „te, tuamque Ecclesiam adversus eorum „attentata, sacrorum Canonum, & Con-

Sæc. XVII. A. C. 1680.

Sæc. XVII. A. C. 1680.

„ſtitutionum Apoſtolicarum ope, armis-
„que defendere. Ad nos enim quod
„pertinet, omne tibi a Pontificia au-
„thoritate, & a paterna charitate No-
„ſtra præſidium polliceri debes, tibi-
„que Apoſtolicam benedictionem pe-
„amanter impertimur. „

## §. XXII.

## *Franciſcus Caulet Apamienſis Epiſcopus fatis functus.*

Hæ Pontificis literæ Franciſcum Apamienſem Epiſcopum vix non jam cum morte luctantem repererant; poſtquam enim reparata Eccleſiæ diſciplina Clerum, populumque ad ſanctioris vitæ normam reduxerat, & propter Eccleſiarum libertatem, quam imperterrito animo tuebatur, graviſſimus calamitates, injurias, extremasque miſerias perpeſſus erat, vitæ ſuæ finem appropinquare ſentiens, poſtremas ad Ludovicum Regem literas dedit, quibus eum enixe rogabat, quatenus inſpecta æquitatis cauſſa Apamienſis Provinciæ Eccleſias hactenus a Regaliæ ſervitute liberas in priſtina & Canonica immunitate relinquere dignaretur: tandem vero morbis, ærumnisque confectus die ſeptima Auguſti ſeptuagenarius pie in Domino obiit. Præfuit Eccleſiæ ſuæ annis

annis triginta sex, verus plane Pastor, qui animam suam pro ovibus posuit. Comperta ipsius morte mox regius Judex Episcopalem domum ingressus, cuncta scrinia, totamque suppellectitanta exactitudine obserravit, regioque sigillo munivit, ut linteamina, quibus defuncti cadaver involveretur, ab exteris mutuo accipere, necesse esset: Justis de more persolutis, & corpore in sepulcrum illato, sacellum occludebatur, ne populus, qui turmatim ad ejus monumentum confluxerat, preces fundere, suique Patris, quem sanctitatis odore flagrantem crediderat, patrocinium implorare posset: Nec etiam post ejus mortem resedit adversantium furor, sparguntur famosi libelli, carpitur ejus orthodoxia, pietas, pœnitentia ac zelus: non deerant, qui hunc Episcopum, utpote Societatis inimicum ad inferos damnatum dicerent: Hujus tenoris epistolam P. Renatus Rapin Jesuita ad Cardinalem Cibo Parisiis Romam perscripsit, quæ tamen ibidem ad rogum damnata est. Sæc. XVII. A.C. 1680.

## §. XXIII.

### *Apamienſis Canonici dire vexati.*

Expletis funeribus Cathedrale Apamiensis Ecclesiæ Capitulum habito con- *Abrege de l'Hist. Eccl. t. 10. p. 439.*

Sæc. XVII. A. C. 1680.

conventu Daubredum, & Patrem Rech elegit, qui Diæceſin, donec novus optaretur Epiſcopus, Vicaria auctoritate regerent. Ex his Daubredus Archiepiſcopum Toloſanum convenit, eidem ſui electionem ſignificaturus, a quo etiam perbenigne exceptus, ſine ulla tergiverſatione officio ſuo fungi permiſſus eſt: Præprimis igitur ad cunctos, qui vi Regaliæ in hac Diæceſi beneficiis proviſi erant, literas dedit, quibus eos monebat, & beneficiorum reditibus contenti, ſacris officiis in Eccleſia Apamienſi ſeſe non ingererent, ne novis tumultibus anſa præberetur. Verum hæc monita contempſerunt Regaliſtæ, ac inſuperhabita defuncti Epiſcopi cenſura non pietatis ſtudio, ſed contradicendi animo veſperis interfuere: Hunc contemptum ægerrime ferens Daubredus, obſtinatos cenſuris perſtrinxit. Tum vero hi in rabiem acti, cuncta fuſque verterunt, & contra Apamienſem Vicarium apud Regem, Pariſienſem Archiepiſcopum, Metropolitam, & Regium Senatum queſti impetrarunt, ut Daubredo exilium & carceres decernerentur: In eandem quoque calamitatem inciderat Pater Rech, qui ad Aquas Auguſtas haud procul Burdigala relegatus, ibidem in teterrimum carcerem detrudebatur, ab Aquitaniæ Præ-

Præfecto tam inclementer habitus, ut ne panis quidem ei porrigeretur, præter buccellas a militibus emendicatas: Pari inhumanitate Pater Carlatus Capituli Syndicus tam ante, quam post Episcopi obitum vexatus est; cum enim œconomum, quem Regii Ministri pro administrandis Capituli proventibus constituebant, agnoscere recusaret, ex Regis mandato Gergolium usque exulare coactus fuisset, nisi Medici judicio itineris molestias ob grave senium & periculosum morbum ferendo impar, beneficii loco habuisset, ut ad arcem Pequaiensem ad oram maris transportaretur, ubi tamen quinto post Mense ob aeris malignitatem denegatis etiam, quæ efflictim petebat, morientium Sacramentis, in carcere contabuit. Insuper innumeris pene ærumnis Sede vacante postmodum afficiebantur reliqui hujus Ecclesiæ Canonici, quos tamen Innocentius XI. Papa ad constantiam excitare haud destitit, datis ad eos die vigesima quinta Septembris hisce literis. „Nihil accidere nobis tristius „poterat nuntio, quem cum rumore „ipso publico vestræ literæ attulerunt; „decessisse bonæ memoriæ Franciscum „Apamiensis Ecclesiæ Episcopum, ea „virtute, eoque Pastorali zelo, & in„victa animi constantia præditum, ut

Sæc. XVII. A. C. 1680.

Sæc. XVII A. C. 1680.

„Vir ſecundum cor Dei, & vere Apo-
„ſtolicus dici meruerit. Quod autem
„dolorem noſtrum cumulat, eo tem-
„pore deceſſit, quo eum maxime vivere
„afflicta ejusdem Eccleſiæ conditio po-
„ſtulabat. Cauſſa enim veſtra, quos
„tam vigili Paſtore, tam provido pa-
„rente orbatos videmus, non media-
„criter angimur. Omnem tamen do-
„loris ſenſum ab animis noſtris debet
„abſtergere conſideratio præmiorum,
„ad quæ illum, ſicuti ſperare fas eſt,
„tot pro ſua Eccleſia exhauſti labores,
„tot incommoda, atque ærumnæ pro
„cauſſa Dei forti magnoque animo ad
„ſupremum vitæ ſpiritum toleratæ, ex
„hoc mortali carcere evocarunt. Unde
„ſpes alia oriri debet, eum validiore
„in poſterum patrocinio rebus veſtris a
„cælo affuturum, neque paſſurum, ut
„Apamienſis Eccleſiæ Diſciplinam tam
„ſapienter a ſe, tam ſalubriter reſtitu-
„tam quisquam mortalium invertat:
„Sed potius a Miſericordiarum Patre
„impetraturam, ut converſis in melius
„animis, conſiliisque aliter ſapientium
„priſtina eidem Eccleſiæ pax, tranquil-
„litasque reddatur, ut ſponſæ ſibi per
„tot annos ad extremum dilectæ, in
„præſens viduatæ, Præſul ſi minus
„pari, ſimili tamen ſpiritu ac virtute
„contingat; modo vos fideles inveniat
„mini

„mini in Canonica libertate ipſius Ec- Sæc. XVII.
„cleſiæ pro viribus tuenda, & in ob- A.C. 1680.
„ſervandis Sapientiſſimis Conſtitutioni-
„bus, quas ab eo lucubratas, vobis-
„que ad ſanctioris vitæ regulam pro in-
„ſtituti veſtri Sanctitate propoſitas,
„Nos non ita pridem Apoſtolica aucto-
„ritate firmavimus: quæ ut ſtrenue
„& conſtanter exequamini, utque iſtius
„Diæceſis Clerum in tradita ab ipſo di-
„ſciplina ſedulo contineatis, ſuperva-
„caneum ducimus adhortari; cum diu-
„turno experimento perſpecta virtus,
„fidesque veſtra, plus etiam quam a
„vobis petere æquum eſſet, pollicean-
„tur. Cæterum ex noſtris ad eundem
„Epiſcopum literis decima ſeptima Ju-
„lii datis, cognoſcere potuiſtis, quam
„præcipuum ſibi locum inter Pontifi-
„cias curas vindicet negotium Apa-
„mienſe, cum quo plurimarum Gallici
„Regni Eccleſiarum, vel potius totius
„Eccleſiæ Catholicæ cauſſa conjuncta
„eſt. Meritas interim, rebus ab ex-
„ceſſu Epiſcopi per vos pie ac fortiter
„geſtis, laudes tribuimus, utque in in-
„ſtituto itinere ſtrenue pergatis, vos
„magnopere hortamur, nihil omiſſuri
„eorum, quæ ad proſperum rerum exi-
„tum conducere poſſe intelligemus.
„Speramus autem, ac plane confidi-
„mus, Divinam bonitatem vos, atque

Sæc. XVII. A. C. 1680. „Eccleſiam iſtam ſingulari cum veſtra „laude & proventu ab omni tribula„tione, quam ſubire neceſſe eſt, qui„cunque volunt pie vivere in Chriſto „Jeſu, quam primum liberaturam. Læta „interim vobis omnia aſſiduo cum Di„vinæ gratiæ incremento apprecamur, „& intimo paterni amoris ſenſu bene„dicimus. „

## §. XXIV.

## *Epiſtola Innocentii XI. Papæ ad Toloſanum Archiepiſcopum & ad Apamienſe Capitulum.*

Haud ignorabat Pontifex, quod Nonpezatus Toloſæ Archiepiſcopus ad Apamienſis Capituli invidiam Clericos vi regaliæ promotos ſtrenue defenderet, omnemque moleſtiam Canonicis inferre haud prætermitteret, hinc Innocentius Pontifex, qui in vibrandis ſacris fulminibus oppido tardus erat, hunc Archiepiſcopum a tam indigna agendi ratione paternis hiſce literis die ſecunda Octobris dehortatus eſt: „Non „poſſumus non vehementer mirari, quod „ad aures veſtras pervenit, videlicet „Fraternitatem tuam veritam non eſſe „paſſim abſolvere eos, quos novo & „injuſto Regaliæ titulo, in Apamien„ſis Diæceſis Beneficia intruſos bone „me-

„memoriæ Franciſcus Epiſcopus decla- Sæc. XVII.
„ravit obſtrictos cenſuris, a Generali A. C. 1680.
„Concilio Lugdunenſi inflictis; cum
„præſertim non deſint, qui parochia-
„les quoque Eccleſias (rem antea in-
„auditam) eo prætextu occuparint. Ad-
„mirationem vero noſtram vehementer
„auget, quod nihil ſtatuere potes con-
„tra jura, libertatemque Eccleſiæ Apa-
„mienſis, quin idem contra Toloſanam
„& univerſam Provinciam iſtam ſta-
„tuas. Præterea ignorare non potes,
„Epiſcopum ipſum Apamienſem a tuis
„Sententiis ad Nos, & ad hanc San-
„ctam Sedem appellaſſe, Nosque ap-
„pellationem hujusmodi admiſiſſe, cu-
„jus rei vel umbra ipſa, ſi debitam ei-
„dem Sedi reverentiam in conſilio ha-
„bere voluiſſes, revocare te, atque re-
„trahere debuiſſet. Hæc ſcribenda ad
„Fraternitatem tuam duximus, ut &
„ea, quæ perperam egiſti, corrigas, &
„a ſimilibus in poſterum agendis abſti-
„neas, atque interim conſcientiæ
„tuæ conſulas.„

Inquiſitiſſimo autem animo ferebat Pontifex, quod Daubredus Vicarius Generalis exulare juſſus fuiſſet; cum ergo a Regiis Miniſtris absdubio alium intrudi prævideret, hinc utrique Clero & populo præcepit, ne præter Daubredum ullatenus ullum tanquam Capituli

Sæc. XVII. A. C. 1680.

tuli Vicarium agnoscerent, huncque in finem eadem die has ad Apamiense Capitulum literas dedit: Præter om-
„nem exspectationem Nostram accepi-
„mus ex vestris literis, quæ nuper ibi-
„hic acciderunt de dilecto Filio Mi-
„chael d'Aubarede Archidiacono, &
„Vicario Generali, per vos verum &
„legitimum ejusdem Ecclesiæ Capitu-
„lum constituentes, Canonice Electo,
„exulare jusso, deque admissis ad ce-
„lebrationem divinorum officiorum iis,
„quos tanquam in beneficiorum posses-
„sionem temere ac violenter intrusos,
„bonæ memoriæ Franciscus Episcopus
„vester innodatos censuris, a Generali
„Concilio Lugdunensi inflictis, promul-
„gaverat. Vestræ tamen pietatis ac
„fidei erit, manere in statione, & lo-
„cum, in quo positi estis, constanter
„tenere, sicut facitis: neque alios Vi-
„carios Generales sede vacante agno-
„scere, quam præfatum Michaelem
„d'Aubarede, & alios a vobis electos,
„vel eligendos; quos etiam, quatenus
„opus sit, autoritate Apostolica confir-
„mamus, & respective confirmabimus,
„mandantes Clero tam sæculari, quam
„Regulari, & universo populo Apa-
„mensi, ut neminem alium, quam
„quos diximus, Vicarium Capitularem
„agnoscant, aut illi actum ullum obe-
„dien-

„dientiæ præſtent; de quo etiam per „vos, ſeu per electos a vobis Vicarios, „moneri præfatos, Clerum & populum „volumus, ac mandamus; alios enim, „quicunque Vicarii Generalis auctori„tatem ſibi quocunque nomine uſur„pare auderent, antequam novum Epi„ſcopum Apamienſi Eccleſiæ præfece„rimus, nullum plane jus, aut facul„tatem habere eos, negotiis ſe Eccle„ſiæ & Diæceſis iſtius immiſcendi, ea„que omnia, quæ Vicariatus ejusmodi „titulo per eos agi contingeret, irrita „& inania, ac nullius momenti fore „declaramus. Agendæ interim Divinæ „Miſericordiæ uberes gratiæ de occa„ſionibus, quibus virtutem ac fidem „veſtram exercet, & de ſingulari con„ſtantia, qua vos armat, ad omnia a„lacriter pro Chriſti nomine cum gau„dio ſuſtinenda. Nos Paternum No„ſtrum ob anguſtias veſtras dolorem, ea „interim conſideratione lenimus, quod „multæ ſunt tribulationes juſtorum, & „de omnibus eis liberabit eos Dominus. „Ac vobis dilecti Filii, Apoſtolicam „Benedictionem peramanter imper„timur.„

Sæc. XVII. A. C. 1680.

§. XXV.

Sæc. XVII. A. C. 1680.

## §. XXV.

## *Editio operum S. Augustini a P. Benedictinis Congregationis S. Mauri concinnata.*

*Le Cerf Bibl. des Auth. de la Congr. de S. Maur pag. 24. Libell. M.S. edit. ab Auth. Bibl. Germ. t. 33. pag. 188.*

Quamvis pene innumeræ fuissent editiones operum S. Augustini, atque inter eas præcipue Parisienses, necnon illa Amerbachii de Anno 1504. Basileensis Erasmi de Anno 1529. & Antverpiana Lovanienſium Doctorum de Anno 1677. magno haberentur pretio, nihilominus eruditissimi Patres Benedictini ex Congregatione Sancti Mauri novam adornare editionem decrevere, quæ sane ob maximam sancti hujus Doctoris auctoritatem utilissima, illo autem ævo propter ferventes de gratia controversias difficillima erat: Videbatur quibusdam supervacaneus hic labor, eoquod vix triennium effluxerat, a quo Lovanienſis editio prioribus longe elegantior prodiret, ex hinc vero a mendis haud immunem, multis in locis depravatam, operibus supposititiis, atque inverso epistolarum, aliorumque librorum ordine deformatam, minus exactam esse, aliisque nævis scatere, existimabant non pauci. Prævaluit horum opinio, agebatur autem de Viris tanto labori natis, & genuinis, integris-

grisque Manuscriptis Codicibus operum S. Augustini; utrumque vero abunde suppeditabat Congregatio Sancti Mauri, Viris eruditionis ubertate, laborisque assiduitate, ac plurium Patrum editionibus a se exactissime adornatis jam ubique celebratissima. Urgebant etiam hujus laboris executionem Viri scientia, auctoritate, & potentia in primis conspicui, atque inter eos præcipue Franciscus Harlæus Parisiensis Archiepiscopus, pluresque alii Franciæ Præsules præfatæ Congregationis Benedictinos, ut hoc opus in se susciperent, admotis gloriæ, utilitatisque stimulis incitabant, utque editionis labor magis expeditus redderetur, Lamoignonus primus Regii Senatus Præses, maximæ apud Regem auctoritatis Vir se procuraturum spopondit, ut hi Patres propriam Typographiam in ædibus suis erigere valerent, hunc tamen favorem Benedictini, non minus prudenter quam provide acceptare recusarunt. Postquam igitur novæ editionis consilium firmum ratumque steterat, præceteris seligebatur Franciscus Delfavius suo ævo longe doctissimus, quo tamen ob funestum casum Congregationi erepto P. Thomas Blampinus nominatus est, eique in laboris socios adjuncti Dionysius Sammarthanus, Robertus Gue-

Sæc. XVII. A. C. 1680.

Sæc. XVII. A. C. 1680.

Guerardus, Joannes Durandus, Petrus Coutant, & Claudius Maurus, omnes Monachi ex Congregatione S. Mauri, eruditione, artisque criticæ scientia clarissimi. Timebatur scholarum quarum quælibet sibi hunc S. Doctorum vendicat, offensio ob opinionum diversitatem circa gratiæ dogma exortam; huic autem modo cuneum repererunt Benedictini, statuentes, ut editio tali fieret candore, quo ante exorta hæc dissidia fieri potuisset, proin nullius partis sententiis accederetur, sed præter notas duntaxat marginales & criticas ex propriis plerumque S. Doctoris verbis desumptas sine aliis annotationibus, reflexionibus aut dissertationibus nonnisi sola verba S. Augustini summa integritate redderentur; eruuntur igitur ex reconditissimis Provinciarum scriniis vetustissimi codices, qui Parisiis inter se summo studio conferebantur: Datur labori initium, hocque anno primus prodiit Tomus, quem Ludovico XIV. Franciæ Regi nuncupatum clarissimus Joannes Mabillonius obtulit, atque eleganti præfatione ornavit: circa secundum hujus operis tomum hoc item anno editum hærebant Patres, dubii, quem ordinem in Sancti Doctoris epistolis tenerent: tandem vero suadente Abbate Santeuillio Chronologicum ordinem,

dinem, illo priorum editionum relicto secuti sunt: sequentibus porro annis alii novem tomi, & denique anno hujus sæculi nonagesimo decimus, & anno millesimo septingentesimo undecimus publicam aspexere lucem. Sæc. XVII. A. C. 1680.

## §. XXVI.

### *Hæc editio a variis impugnata.*

Tanti operis successum Ecclesiæ maximopere proficuum eruditis hisce Benedictinis gratulabantur omnes æquitatis studiosi, gaudebant, tandem ex omnibus Ecclesiæ Patribus celeberrimi Doctoris opera primitivæ suæ puritati restituta: novam tamen hanc editionem præprimis suggillabant Protestantes, qui ad tuenda sectæ suæ commenta depravatis SS. Patrum editionibus uti assueverunt: nec deerant ex Catholicis, qui se in novo hoc sole maculas deprehendisse crederent, & quidem P. Spirito Aulonensis Cappucinus Parisiensi Archiepiscopo libellum supplicem porrexit, in quo Patres Benedictinos insimulabat, quod in Jansenianæ doctrinæ favorem manu exaratis hæreticorum codicibus usi essent, idque exinde patere ajebat, quod cum D. Augustinus in suo Enchiridion c. 195. dixisset, *cum possent salvi esse, si vellent*, *Epist. Abbat. Germ. Du Pin Nouv. Bibl. t. 18. p. 223.*

Sæc. XVII. A. C. 1680.

Benedictini hæc verba: *si vellet*, subrogarint: Ad hanc accusationem ab Archiepiscopo accersitus P. Blampinus, factæ depravationis rationem redditurus, qui unacum Mabillonio accedens, ex vetustissimis, fideque dignissimis Codicibus, quos ex Regis, sancti Victoris, Sorbonæ aliisque Bibliothecis extraxerant, demonstravit, ly *si vellet* in illis reperiri, hancque lectionem a Lovanienſibus sensui Sancti Doctoris adeo accommodam fuisse creditam, ut quamvis antiquioribus Codicibus destituti posuerint, *si vellent*, in margine tamen annotarint, lectionem *si vellet*, fors meliorem fore. Ab eo tempore hæc editio ab æmulis non fuit impugnata, donec decimus illius tomus prælum reliquerat: Tum vero novum indicebatur bellum Patri Blampino, quod libro *de Correptione & gratia* in variis ejusdem libri exemplaribus adjunxisset Analysin ab Arnaldo compositam: ergo pro more Molinistis usitato mox Jansenismi accusatur, a suismet Superioribus ob imminutam editionis gloriam severe carpitur, ab Archiepiscopo rursus vocatur: ostendit quidem Blampinus hanc Analysin jam anno hujus sæculi quadragesimo quarto typis editam, a Doctoribus approbatam, Regioque privilegio munitam passim omnium manibus esse tri-

tritam, a se quidem, ut facilior esset operis intelligentia, reimpressam, paucisque distributam fuisse, se tamen cuncta hæc exemplaria repetere, rogoque dicare paratum esse: de cetero autem hanc analysin nil nisi Catholicæ fidei consonum, ipsiusque Augustinianæ doctrinæ synopsin complecti: Nec tamen propterea resedit æmulorum infectatio: amovetur quidem a Superioris officio, adhuc tamen instant, & urgent ejus hostes, ut etiam Lutetia excedere juberetur: obstat vero Parisiensis Archiepiscopus, declarans, Blampinum non alterius culpæ reum esse, nisi quod inconsultis suis Superioribus Analysin jam antea approbatam, typisque editam novo prælo subjecisset: nihilominus ut obtrectantium ora clauderentur, Blampinus invidiæ victima in proximis Ordinis comitiis tanquam Sancti Nicasii Prior Lutetia Rhemos mittitur, præsatæ Urbis Archiepiscopi patrocinio tutus. Exonerata in hunc Virum tempestate in ipsam editionem calumniantium furor sese effudit: spargebatur enim, eam variis scatere erroribus, multisque in locis textus esse depravatos, ac propterea novum hoc opus Romæ fuisse proscriptum: ast temporis progressu hos rumores perperam

Sæc. XVII. A. C. 1680.

Sæc. XVII. A. C. 1680. a malevolis adinventos feciſſe, compertum erat.

## §. XXVII.

### *Acrior quorumdam oppoſitio contra eandem editionem.*

Jam firmum, decretumque erat Congregationi San-Maurianæ, novæque editionis Authoribus Janſenismi maculam adfricare; nil enim hac calumnia aptius ad obſcurandam eorum gloriam alienæ laudis æmulis videbatur: hanc in rem paſſim plures divulgabantur libelli famoſi, qui tamen a Benedictinis flocci habebantur, eoquod ejusmodi ſcripta per aliquot dies magnas veluti accenſi ſtraminis flammas diffundere, mox autem in modicos cineres reſidere comperiiſſent: Sæviorem autem tempeſtatem inſtare, Benedictinos monebat Luveſius, Abbas, qui Benedictinis Abbatiæ ad S. Germanum nuntiabat, ſibi transmiſſam fuiſſe epiſtolam exeunte anno Domini milleſimo ſexageſimo nonageſimo octavo typis edditam ſub hoc nomine: *Epiſtola Abbatis . . . . . ad R. R. PP. Benedictinos Congregationis S. Mauri circa tomum poſteremum ſuæ editionis operum S. Auguſtini Coloniæ.* In hujus epiſtolæ præfatione Typograhus monuiſſe præfertur, eam a quo-

a quodam ex præcipuis Germaniæ Abbatibus fuisse primo in lingua latina compositam, ob rei autem gravitatem nunc Gallice redditam, utque commento veritas constare videretur, multo post tempore pauca quædam latina illius exemplaria divulgabantur. Nunquam genuinus illius Author detegi potuit; alii Patrem Danielem, alii P. Bouhours vel Germanium Jesuitas in suspicionem trahunt, nulla tamen solida ratione sed nonnisi conjecturis aguntur: id unice constat, jactatum hunc Germaniæ Abbatem Molinismo, & veste nigra conspicuum fuisse. Utut autem sit, id certum est, quod biduo post Lussonienſis Episcopus alterum hujus epistolæ exemplar Renodotio Abbati Benedictino tradiderit, qui tot calumnias stomachatus, altera die Archiepiscopum Parisiensem adiit, supplex, ut S. Augustini doctrinam in hac epistola labefactatam vindicare, ac Benedictinos illius Editores protegere vellet. Lubenti animo suum Archiepiscopus spondebat patrocinium, minus benigne autem Patrem Priorem Abbatiæ ad S. Germanum exceperat Carnutensis Episcopus, eidem exprobrans, quod decimus novæ editionis Tomus „ubique Jansenismi erroribus scateret, „& relicta Catholica doctrina de gratia

Sæc. XVII. A. C. 1680.

Sæc. XVII. A. C. 1680.

„sufficiente novitates inspersas haberet, „se proin Ecclesiæ causſam intrepide „defensurum, cunctis, qui pro veritate „decertaturi essent, Antesignanum fore, „nec sibi deesse plures paris animi Præ„sules, imo etsi infimus Episcoporum „foret, atque ab omnibus derelictus, „se tamen solum in aciem erupturum, „*etsi res, uti epistola præsefert, se ita ha*„*beret*, pro gratiæ sufficientis dogmate „mortem oppetiturum.„ Ex postremis Episcopi verbis Pater Prior haud temere inferebat, quod hic Præsul nec hunc tomum pervolverit, nec rem ad trutinam vocarit; quocirca eidem respondit, quod si hunc librum evolvere haud gravaretur, mox deprehensurus esset, quod Benedictini gratiam *sufficientem* non alio modo vel admiserint vel excluserint, quam quo illam Sanctus Doctor adoptavit, admisit, vel rejecit, cum ipsi ad S. Augustini verba nil addidissent, nec detraxissent. De cætero autem disertis verbis de hac gratia specialem mentionem facere studiose prætermiserint, ne contra instituti sui rationem Theologos inter se dissidentes quavis ratione offenderent, novisque tricis ansam præberent. Hæc loquentem interpellabat Parochus ad S. Sulpitium, qui minas ingeminans addidit, hanc culpam non solo silentio, sed publi-

publica palinodia expiari posse, & reliquos quoque novem tomos rigidæ censuræ subjiciendos esse. In his angustiis prehensi Benedictini, per Patrem Mabillonium Bossuetii Meldensis Episcopi patrocinium implorarunt, supplices, ut Sancti Doctoris honorem tueri vellet. Hic vero respondit, se quidem Abbatis epistolam non perlegisse, satis tamen sibi perspectam esse novæ editionis utilitatem, in qua, etsi quicquam reprehensione dignum ostenderetur, propterea tamen nec tam excellens opus rejicere, nec proficuos Congregationis labores interturbare oportet, & cum non desint media, quibus Ecclesiæ doctrina, & Congregationis honor in tuto collocari posset. Enimvero Bossuetius non modo Carnutensem Episcopum placare satagebat, sed insuper Versallias contendens Regi exponebat, quod Benedictini passim famosis libellis Jansenismi accusarentur, ipse autem de eorum Orthodoxia spondere posset, proin suam Majestatem rogaret, ne sinistram de eis opinionem sibi instillari permitteret: ad hæc reposuit Rex, reprimendos esse ejusmodi libellos, simulque cohibenda esse Parlamenti decreta, quibus ejusmodi scripta flammis addicuntur; nuper enim varii ejus generis libelli contra Rhemensem & Sæc. XVII. A. C. 1680.

Sæc. XVII. A. C. 1680. Parisinum Archiepiscopum carnificis manu die decima Januarii fuere combusti.

## §. XXVIII.

### *Pater La Chaise aliique Jesuitæ ob hanc editionem cum Benedictinis colliſi.*

Ne vero Franciæ Rex invidorum suggestionibus a vindicanda Editorum innocentia averteretur, supremus Benedictini Ordinis Præpositus Patrem de la Chaise Regis Confessarium adiit, eidem totius causſæ merita expositurus: hic autem mox interrupto sermone hæc regessit: „nullus Jesuita est Author epi„stolæ contra novam editionem divul„gatæ, immerito igitur ea Societati a „quibusdam adscribitur, & si Jesuita „illam consarcinasset, a suo Superiore „castigaretur: quoties autem Paterni„tatem vestram hortatus sum, ut a sua „Congregatione novitates eliminari fa„tageret, quotidie tamen vestri Mo„nachi novas doctrinas divulgant.„ Pluribus ultro citroque prolatis acris utrinque contentio incaluit, ex ipsa autem non petita excusatione præfatam epistolam ex Jesuitæ calamo profluxisse, haud parum augebatur suspicio, cui etiam accessit nova Patris Dionysii San-

Sanmarthani Benedictini contentio cum Patre Tureneminio; cum enim hic Jesuita in quadam disputatione audientium patientiam prolixa nimis garrulitate fatigaret, & Sanmerthanus tum Abbatiæ Rotomagensis Prior palam exclamaret, quod si utiliora proferre non posset, tam diu consessum detinere, nimis molestum foret, Jesuita reposuit: *vos, vos depravatis vestris editionibus orbi literario molesti estis:* quoniam vero paucis post hanc altercationem diebus præfata Abbatis Germani epistola fuisset in lucem producta, ea Jesuitis adscribebatur: Paulopost idem P. Sanmarthanus eruditorum consessum habebat, in quo prolixius de præfata epistola differens, ex textibus inter se collatis demonstratum ibat, illius Authorem tam Theologiæ scientia, quam animi integritate carere: absoluto hoc sermone alium ejusmodi conventum indixit, id vero Jesuitæ iniquo ferentes animo, præcipuum Parisini Senatus Præsidem sollicitarunt, ut ejusmodi consessus, utpote tranquillitati publicæ noxios præpediret, hic vero utriusque partis dissidia componere intentus, tam Patri Sanmarthano suo Nepoti, quam Jesuitis auctor exstitit, ut habito inter se colloquio contentionibus finem imponerent: huic consilio optatus allusisset successus,

Sæc. XVII. A.C. 1680.

Sæc. XVII. A. C. 1680.

niſi quidam Jeſuita rebus jamjam amice compoſitis in fine colloquii addidiſſet, in hac epiſtola validiſſimam objici difficultatem, quam prius a Benedictinis tolli, optandum foret: mox autem Sanmarthanus ex ipſo D. Auguſtino Jeſuitis demonſtravit, id ipſum ceteris omnibus magis infirmum eſſe argumentum: ex ipſo igitur hanc epiſtolam propugnandi ardore Jeſuitæ illius Authores credebantur. Inſuper Turonienſis Archiepiſcopus, quod ſex Jeſuitæ in Collegio S. Ludovici decimum ceterosque novæ editionis tomos examini ſubjeciſſent, Mabillonio ſignificabat, eidemque quindecim articulos veluti totidem intentatæ accuſationis capita tradebat, his verbis concepta. I. S. Auguſtinus ait:

*Ench.* c. 95. *Nec utique Deus injuſte noluit ſalvos fieri, cum poſſent ſalvi eſſe, ſi vellent:* Benedictini in nova editione ponunt, *ſi vellet*, & annotatio in hunc locum addita, confirmat hanc lectionem; ajunt enim, *ſi velles, id eſt, ſi eadem voluntas maneret.* II. Idem S. Doctor ſcribit: *Quis enim diceret: & quid feciſti, ſi damnaret injuſtum?* Benedictini hanc annotationem faciunt: *Editi* juſtum. *Verius Corbei optimæ notæ MS.* injuſtum; *nam id Auguſtinus poſtea repetit num.* 15. *ſi damnet omnes iniquos . . . . . Si maſſam iſtam iniquitatis damnas, quisquam tibi dicet: in-*

*Enarr. in Pſal.* 70. *Serm.* 1.

*injuſte feciſti, neque profecto dicere auſus ſis, juſtum aliquem Dei ſententia poſſe dignum pœnæ fieri, ſive pronuntiari, quod omnino ſignificat verbo:* damnare; *reſpicere videtur ad verba Sapientiæ* 12. *v.* 12. Hæc correctio & annotatio deſumpta eſt ex Janſenii lib. 3. de Statu naturæ puræ, ubi in fine hæc addit: *ſi in textu ponitur* juſtum, *totum D. Auguſtini ſyſtema evertitur:* Obſervandum per tranſenam, quod ex utriusque hujus textus conformitate unum per alterum correxerint Benedictini: quod autem hæc correctio æque ac annotatio ſit mala, non demonſtrarunt examinatores, ſi autem eſt bona, a quocunque demum ſit facto, rejicienda non eſt.

III. S. Auguſtinus hæc habet: *Adjutorium bene agendi adjunctum naturæ, atque doctrinæ per inſpirationem flagrantiſſimæ, atque luminoſiſſimæ charitatis*: Benedictini in margine & Indice notant: *Gratiæ Chriſti definitio:* hæc autem definitio non convenit gratiæ *ſufficienti*, ſed efficaci, igitur juxta novam editionem gratia ſufficiens non eſt gratia Chriſti. *De gratia Chriſti c.* 35.

Attamen hæc definitio convenit gratiæ, de qua in textu ſermo ſit, definitio autem, quam adſtruit S. Auguſtinus, juxta Examinatores: non convenit,

Sæc. XVII. A. C. 1680.

venit, nisi gratiæ efficaci, proin hæc nota de non alia loqui potuit.

IV. S. Augustinus de iis, qui ad Filium veniunt, proin gratiam efficacem habent, differens, ait: *Hæc igitur gratia, quæ . . . . a nullo corde respuitur:* ad hanc lenum Benedictini in Indice addiderunt falsissimam hanc propositionem: *gratia ea est, quæ a nullo duro corde respuitur:* Ast in ipso hoc articulo gratia restringitur ad gratiam efficacem; ait enim postea S. Augustinus, *Gratia ipsos homines bonos operatur ex malis . . . adjutorio gratiæ donata fit, ut invictissime, quod bonum est, velint, & hoc deserere, invictissime nolint,* talis autem gratia est, quæ a nullo duro corde respuitur.

*De Prædest. SS. cap. 8.*

V. S. Augustinus ait: *Peccatum est voluntas consequendi vel retinendi, quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere.* Benedictini in margine ponunt: *definitio peccati, sed in Adamo spectati,* quo annotare voluerunt, necessarium non esse, ut ceteri peccatores libertatem habeant abstinendi a peccatis.

*Lib. 1. op. imp. c. 47.*

Verum hæc interpretatio perperam assicta refellitur iisdem D. Augustini verbis: *ipse est Adam, quem nostra illa definitio, quæ tibi placuit, intuebatur, cum dicerem, peccatum est voluntas* &c. mox autem hanc definitionem ceteros peccatores non tangere, declarat his verbis:

bis: *Peccatum namque isto modo definitum est, non peccati pœna, non utrumque.*

VI. S. Augustinus hoc habet. *Parvulum natum in eo loco, ubi non potuit per Christi Baptismum subveniri, morte præventum, idcirco talem fuisse, id est, sine lavacro Regenerationis exiisse, quia esse aliud non potuit: absolvat ergo eum, & aperiat ei, contra sententiam Domini, Regnum cælorum.* Editores in margine addunt: *damnantur & ii, qui justificari non potuerunt*, hæc generaliter dicunt, cum tamen nonnisi de parvulis sine baptismo decedentibus sermo sit. *De Nat. & grat. c. 8.*

Verum S. Augustinus ibi non tantum de his parvulis loqui videtur, sed respondens ad hanc generalem Pelagii propositionem: *si idcirco tales fuerunt, quia aliud esse non potuerunt, culpa caruerunt* Pelagius hos parvulos, etsi Christiani esse non potuerint, opponit a Regno excluſos *ea damnatione, quæ per universam massam currit*, & postea suum responsum ad omnes ætates extendens addit: *sed de infante non loquor, juvenis, vel senex in ea regione defunctus est, ubi non potuit Christi nomen audire &c.*

VII. S. Augustinus ibidem cap. 46. ait, *perabsurdum est, ut ideo dicamus, non pertinere ad voluntatem nostram, quod beati esse volumus, quia id omnino nolle non possumus*, Benedictini ad mentem Janse-

Sæc. XVII. A. C. 1680.

Janſenii in margine hæc habent: *Neceſſitas non pugnat cum arbitrio voluntatis.* Aſt neceſſario amamus bonum in genere, & tamen libere bonum amamus.

VIII. Præterea S. Auguſtinus inquit: *Nullo prorſus excepto, prævaricatores exiſtimantur omnes peccatores terræ, omnes autem peccaverunt, & egent gloria Dei, omnes igitur prævaricantes, gratia Salvatoris invenit, alios magis, alios minus: Quanto enim major in uno quoque legis cognitio, tanto minor peccati excuſatio, tanto manifeſtior prævaricatio: reſtabat ergo, ut omnibus non ſua, ſed Dei, id eſt, a Deo donata juſtitia ſubveniret:* Benedictini in margine notant, quod *manuſcripti Codices prope omnes* legant, *ut hominibus:* Aſt periodi contextus ac ipſemet ſenſus depoſcit ly, *omnibus*, quod tamen in pluribus Codicibus deſideratur.

IX. Carpebant hi Examinatores, quod Benedictini majuſculis literis excudi fecerint hæc S. Auguſtini verba: *ſimul enim oſtendit, & ſine adjutorio Domini Dei, eos intelligere, & obedire non poſſe oculis cordis, & auribus cordis; & tamen, ſi adjutorium Dei deſit, non ideo eſſe excuſabile hominis vitium, quamvis judicia Dei occulta, tamen juſta ſunt,* id ab eis ideo factum interpretabatur, quia hoc textu hæretici abutuntur. Hæc riſu

risu potius quam confutatione digna sunt. Sæc. XVII. A. C. 1680.

*De gratia Christi contra Pelag. cap. 10.*

X. Ad Caput X. Benedictini in margine addiderunt: *Gratia, quam confiteri debet, ut sit Christianus, ea est, qua non solum suadetur, sed persuadetur bonum:* id duntaxat gratiæ efficaci convenit, quæ tamen sola non est profitenda, ut quis sit Christianus: Verum Benedictini aliam gratiam non excluserunt, nec dixerunt, *solam* gratiam efficacem esse, quam &c. & S. Augustinus ipsemet, loquens de gratia efficaci, per quam ille venit ad Christum, quem Pater traxerit, asserit: *hanc debet Pelagius gratiam confiteri, si vult non solum vocari, verum etiam esse Christianus.*

XI. S. Augustinus ibidem cap. 25. ait: *desinat itaque jam Pelagius, & seipsum & alios fallere, contra Dei gratiam disputando: non propter illorum trium unum, id est, propter possibilitatem bonæ voluntatis, atque operis, sed etiam propter bonam voluntatem, & operationem bonam erga nos, Dei gratia prædicanda est. Non ideo adjutorium Divinæ gratiæ commendatur, quia possibilitatem adjuvat naturalem.* Ad hæc verba Benedictini in margine hæc notant: *Pelagiana gratia possibilitatis exploditur:* inde vero inferri videtur quod juxta ipsos omnis gratia, quæ dat posse ad agendum, sit Pelagiana. Attamen id

Sæc. XVII. A. C. 1680.

id perperam inferunt, hæc enim verba: *Pelagiana gratia possibilitatis exploditur*, non significant, quod *omnis gratia possibilitatis seu quæ dat agendi potentiam, sit Pelagiana*, sed significant, quod *possibilitatis gratia, quam adstruit Pelagius, explodatur:* studiose autem Examinatores omiserunt mox sequentia hæc D. Augustini verba: *Nam illam possibilitatem ad utrumque valere definit* &c.

*Lib. 3. contra duas ep. Pelag. c. 4. num. 9.*

XII. S. Augustinus ait: *Illi etiam, quicunque ibi erant, sola, quæ ibi Deus pollicetur, terrena promissa spectantes, & quid pro N. T. ea ipsa significent, ignorantes, eorum adipiscendorum amore, & amittendorum timore, Dei præcepta servabant, imo non servabant, sed sibi servare videbantur.* Benedictini hanc subjunxerunt annotationem marginalem: *qui præcepta Dei timore, non amore servat, non servat:* hæc generaliter notantur, cum tamen duntaxat de amore & timore temporalium bonorum vel malorum sermo sit.

Verum etiam hic, qui ex mero timore carnali, sine omni amore præcepta servat, non servat ad meritum, prout S. Augustinus semetipsum explicat dicens: *sic autem præcepta, qui facit, procul dubio invitus facit, ac per hoc in animo non facit: magis enim vult omnino non facere, si secundum ea, quæ cupit, & metuit,*

*metuit, permittetur impune: ac per hoc in ipsa voluntate intus est reus, ubi ipse, qui præcipit, inspicit Deus.* Sæc. XVII. A. C. 1680.

XIII. S. Augustinus hæc habet: *quod igitur in membris corporis mortis hujus inobedienter movetur, totumque animum in se dejectum conatur attrahere, & neque cum mens voluerit, exsurgit, neque cum mens voluerit, conquiescit, hoc est malum peccati, in quo nascitur omnis homo:* in margine Benedictini ponunt hanc notam hæreticis adeo gratam: *Originale peccatum in libidine venerea videtur statuere.* *Lib. 1. de Pecc. mer. cap. 29.*

Verum Benedictini lectorem ad Caput 25. libri de Nupt. & Concupiscentia remittunt, ubi S. Augustinus ait I. quod generatio fiat ex concupiscentia, & parvulus cum concupiscentia generetur, II. quod ex hac concupiscentia proles, quæcunque nascitur, sit obligata peccato originali, III. quod in regeneratis non sit peccatum.

XIV. S. Augustinus inquit: *Sic profecto in ipsus intus voluntate peccat, qui non voluntate, sed timore, non peccat:* Benedictini hæc in margine: *voluntate peccat, qui solo timore non peccat:* proin indicant, quod pœnæ metus non sit motus bonus: verum ab hac interpretatione vindicantur ex eo, quod ipsimet in margine ad num. 34. lib. de Grat. & lib. arbitrio, necnon in Indice hæc

Sæc. XVII. A. C. 1680.

verba appoſuerint: *Spiritus timoris magnum Dei donum, Gehennæ timor non eſt malus.*

*Lib. 1. contr. 2. ep. Pelag. cap. 9.*

XV. Benedictini ad marginem l. 2. de peccat. mer. cap. 13. hæc ponunt verba: *Paulus Principatum Apoſtolatus meruit*, quibus indicant ſe favere Arnaldi ſententiæ de gemino Eccleſiæ Capite: „poſſent, inquiebant hi Cenſores, „produci plura loca, in quibus novæ „editionis Authores Janſenium tranſcri„bunt, Arnaldum ex profeſſo ſequun„tur, ac utriusque erroribus accedunt, „inter tot tamen notas marginales ſer„me nulla reperitur, qua indicarentur „loca doctrinæ Catholicæ conſona, & Jan„ſenio oppoſita „ Ceterum Pariſienſis Archiepiſcopus ægerrime ferens, quod ſe inconſulto in ſua Diæceſi veluti Inquiſitionis tribunalia erigantur, his Cenſoribus inhibuit, ne ulteriores ejusmodi conventus haberent: Benedictini autem hoſce libellos potius contemptu, quam calamo refellentes declararunt, ſe de ſua Doctrina Eccleſiæ atque Epiſcopis rationem reddituros, atque in tomo undecimo, ſi quid offenſioni fuiſſet, correcturos, vel explicaturos.

§. XXIX.

Sæc. XVII.
A. C. 1680.

## §. XXIX.

### *Objectiones contra Sanmaurionam editionem a personato Abbate Germano propositæ.*

Majoris momenti nonnullis videbantur ea, quæ Larvatus Germaniæ Abbas in nova hac editione carpserat; præprimis autem duo capita demonstrare nitebatur, I. quod Benedictini in sua editione nil eorum præstiterint, quæ in ejusmodi occasione feciſſent Catholici, firmiter persuasi, quod Jansenius sit jure damnatus, & Jansenistæ sint veri hæretici, & quod Sanctus Augustinus nunquam eorum errores docuerit, II. quod Benedictini a contrario nil eorum prætermiserint, quæ a Viris Jansenismum tueri paratis facta fuiſſent, quin tamen palam assererent, immerito Jansenium fuisse damnatum, nec illum a principiis & D. Augustini doctrina deviasse. Utrumque hoc caput probaturus, tredecim attulit argumenta, & I. quidem, mirum esse, quod Benedictini, postquam quinque Jansenii propositiones iterato & solemniter fuerint damnatæ, nec ullo tamen verbo Jansenistas tanquam hæreticos notarint, nec injuriam vindicarint S. Augustino ab illis illatam, qui suos erro-

Sæc. XVII. A. C. 1680.

res auctoritate hujus S. Doctoris firmare nitebantur, & ne quidem secuti sint Parisiensem Archiepiscopum, qui in suo edicto S. Augustini doctrinam & Jansenismi censuram in libro *de expositione* contentam encomiis celebravit, II. illos non annotasse loca, quibus Catholici uti solent, ut demonstrent, Deum juxta S. Doctorem, habere sinceram salvandi voluntatem etiam alios præter prædestinatos, studiose autem notasse loca, ubi hic S. Doctor de sola Dei voluntate salvandi prædestinatos loqui videtur. III. Non annotasse, loca Jansenismo contraria, cum tamen Lovanienses annotarint textus Calvinismum evertentes, ut fideles contra Calvini dogmata præservarentur. IV. Eos S. Augustini textum: *perseverares, si velles*, quo gratia sufficiens ex S. Augustino demonstrabatur, corrupisse annotatione Arnaldi, qui hunc textum ita explicat: *perseverares si velles, id est, si eadem voluntas maneret:* insuper illos ad librum *de correctione & gratia*, ubi S. Doctor nonnisi de gratia efficaci loquitur, addidisse, *universam gratiæ Divinæ Oeconomiam, subjicit hic liber*, perinde ac si S. Augustinus nunquam de gratia, cui resistitur, locutus fuisset. V. Illos enervasse sensum gratiæ sufficientis, quam S. Augustinus per hæc verba: Deus

*Deus non deserit, si non deseratur*, indicat. VI. Illos ad S Doctori textum: *adjutorium bene agendi per inspirationem flagrantissimæ, & luminosissimæ charitatis*, addidisse in margine: *Definitio gratiæ Christi*, perinde acsi S.Doctor non agnovisset aliquam gratiam, quæ per peccatum inutilis redditur. VII. Idem eos intendisse hac nota marginali: *intelligenda est gratia Dei per Christum, qua sola homines liberantur a malo*, & illa: *Gratia Dei per Christum, quænam sit?* eoquod gratia sufficiens homines nec a malo liberat, nec eos sanctificat. VIII. Studiose ad excludendam gratiam sufficientem iis locis, ubi S. Doctor de gratia efficaci loquitur, Benedictinos has subjunxisse notas: *Gratia cur non omnibus, nec semper Sanctis datur; Grasia aliis ex veritate non datur: Auxilium gratiæ necessarium; qui per gratiam didicit, agit omnino, quid agendum didicit.* IX. Eo etiam ex fine Benedictinos ad quæstionem, cum Deus nil impossibile præcipiat, non aliam dedisse caussam, nisi quia omnia charitati sunt facilia, scilicet gratiæ efficaci, cui non resistitur. X. Benedictinos Lovanienſium annotationi subrogasse hanc; *qui per gratiam didicit, agit omnino, quicquid agendum didicit*, perinde acsi S. Augustinus doceret, omnem gratiam suum

Sæc. XVII. A. C. 1680.

Sæc. XVII. A.C. 1680.

consequi effectum, ad quem Deus illam offert. XI. Illos usos fuisse MS. Codicibus, quos Goteschaldus ad stabiliendam hæresin Prædestinatianam cum suis sociis fœde depravavit. XII. Benedictinos insinuasse, quod Sanctus Augustinus aliam libertatem indifferentiæ admiserit, quam Julianus; ac propterea hæc annotasse: *Liberum arbitrium quid sit juxta Julianum? Libertas, in quo consistat secundum Julianum; libertatis arbitrii definitio a Juliano*, in quo conveniunt cum Novatoribus, qui docent; quod necessitas non destruat liberum arbitrium voluntatis. XIII. Ad calcem decimi tomi eos addidisse eodemque charactere editioni suæ inseruisse Arnaldi Analysin, in qua omne Jansenismi venenum continetur.

## §. XXX.

### *Famosi hujus libelli fata.*

Præter hunc famosum personati Abbatis libellum varii etiam alii vulgabantur libri, quibus Editorum gloria indigne imputabatur; atque inter plures prodiit quædam *epistola Abbatis commendatarii ad R. R. P. P. Benedictinos Congregationis S. Mauri*, in qua Author frivolis æque ac malignis rationibus persuadere satagebat, ut Benedictini in præ-

præsenti temporis vicissitudine contra Epistolam Abbatis Germani calamum non stringerent: e contrario alius quidem author edito libello, cui titulus: *Epistola Benedictini non reformati ad R. R. P.P. Benedictinos Congregasionis S. Mauri*, eosdem ad refellendam Germani epistolam toto conatu incitabat: nondum tamen Sanmauriana Congregatio *suo nomine* scriptum quoddam contra hunc existimatum Abbatem vulgari permiserat, partim quod potissimos ejusmodi libellos potius contemptum, quam responsum promereri, aliunde vero operis integritatem publico ferme omnium applausu necnon Editores intentionis suæ rectitudine contra malignantium censuras satis vindicari crederent, partim quod prius causam ad sacram Sedem deferendam, ejusque judicium esse expectandum existimarent; jam enim res ad Innocentium Papam erat delata, & Cardinalis Casanate Abbatis libellum ad quisquitias rejiciens, die septima Aprilis ad Abbatem Renodotium rescripsit, sibi innotuisse, quod Franciæ Rex pro examinando hoc libello Meldensem & Carnutensem Episcopos nominarit, quocirca consultum fore censeret, ut, quo Rex inclinaret, exploraretur, & an Jesuitas hujus libelli Auctores esse, eorumque Sæc. XVII. A. C. 1680.

Sæc. XVII. A. C. 1680.

riores ad id consensisse, validis probaretur argumentis, ac tum demum res non ad Congregationem Indicis hisce Patribus nimis faventem, sed ad S. Officium deferretur. Die vigesima secunda ejusdem Mensis Mabilonius unacum Theodorico Ruinartio novam S. Gregorii Turonensis editionem Parisiensi Archiepiscopo obtulit, atque ab eodem percepit, quod denuo alius libellus oppido virulentus contra Augustinianam editionem sibi fuisset submissus, ac propterea apud Regem graviter questus, ab eodemque perbenigne exceptus, etsi ad deferendas Benedictinorum partes, incusso etiam Jansenianæ suspicionis metu, vehementer fuisset sollicitatus, nihilominus caussæ æquitatem constanter tueri constituisset. Interim ex Sanmauriensis nonnulli, non Congregationis, sed privato suo nomine plurima scripta contra Abbatis Germani epistolam elucubrarunt, quorum aliqua supremus Ordinis Præpositus prælo subjici dissuadebat, publicam tamen lucem alia aspexere, & primo quidem: Pater Lami Superiorum jussu anno hujus sæculi nonagesimo nono Adversarium confutabat edito libro, cujus inscriptio est, *Epistola cujusdam Theologi ad Amicum suum circa libellum, cui titulus: Epistola Abbatie de . . . . &c.*

*&c.* Sub idem tempus Pater Santmarthanus publici juris fecit suas *Reflexiones in epistolam Abbatis Germani ad R. R. P.P. Benedictinos Congregationis S. Mauri*: demum sexto post Mense alia ejusdem prodiit *Epistola ad quemdam Sorbonæ Doctorem.* Præ ceteris vero celeberrimus P. Montfauconius Romæ, ubi tum agebat, approbante ipso Magistro S. Palatii, typis edidit, libellum communi omnium applausu receptum sub hoc titulo: *Vindiciæ editionis S. Augustini a Benedictinis adornatæ adversus Epistolam Abbatis Germani Authore D. B. de Riviere:* Paulopost hic idem liber iterato prælo Parisiis unacum S. Officii approbatione comparuit, pari aggratulatione exceptus: inde vero rursus adversariorum invidia ac livor acuebatur, qui sua argumenta penitus enervari indignantes, desperatæ suæ causſæ opem in iniqua crisi quærebant, publicis novellis pluribusque literis ubique spargentes, Parisienses vindicias a Romanis multo diversas esse, atque in his plures propositiones a Romanis Censoribus absdubio damnandas, fuisse omissas, ac primum editioni additas, studiose etiam ad fallendum Romanam approbationem Gallicæ editioni appositam fuisse. Aſt horum calumnia mox detecta est, cum Romæ Parisina editio cum

Sæc. XVII. A.C. 1680.

Sæc. XVII. A. C. 1680.

Romano exemplari collata ad verbum respondere deprehenderetur: quocirca haud parum siniſtra opinio de perſonato Abbate concepta, & e contrario Benedictinorum gloria multum Romæ augebatur: indigniſſime etiam adverſariorum machinationes ferebat Cardinalis Colloredo, qui datis literis Mabillonium certiorem reddidit, ſe nulli labori parciturum, ut *ſpuria hæc viſula-mina* altiores radios agere præpedian-tur; hanc enim ajebat ipſe, contentionem inter Religioſos circa gratiam non niſi diaboli fraude eſſe excitatam, ut hi de gratia diſputantes, gratiæ jactu-ram facerent: Vehementius adhuc adverſus ementitum hunc Abbatem declamabat Cantelmyus Cardinalis, qui die vigeſima Junii præfato anno Neapoli ad Montfauconium has dedit literas:

„*Admodum reſerende Pater*,

„Turbulentum Calumniatoris ingenium, ob luculentiſſimam Auguſtini „Editionem, quod invidioſam nomini „veſtro labem inurere moliretur, me „quidem graviſſime affecit. Nihil enim „ferre indignius poſſim, quam quod „ſeditioſa Nebulonis impudentia eos „labores intentet, & inceſſat, quibus „Res omnis Chriſtiana, & Eccleſiæ „Di-

„Disciplina incorruptis Sanctissimi Do- Sæc. XVII.
„ctoris monumentis asseritur, & illu- A. C. 1680.
„stratur. Cæterum quam necessarios
„conatus & calumnias, quas vel sola
„integerrima sapientiæ & virtutis fama
„frangere & refutare potuisses, gravis-
„simo etiam libello repuleris; id quo-
„que tibi gratulor, quod vel ipsa Ob-
„trectatoris insania majora gloriæ tuæ
„incrementa præbuerit: nec vereor,
„ut nova tibi & Dei laudem & verita-
„tis studium incrementa subjiciat. Tuis
„interim studiis & laboribus uberrimos
„fructus & prosperos successus ad-
„precor.„

Nihilominus tamen Sanmaurianæ editionis hostes interim plures spargebant libellos, & quidem I. *Relationem cujusdam Theologiæ Doctoris ad Franciæ Præsules circa responsum cujusdam Theologi Benedictini ad epistolam Abbatis Germani.* II. *Sanmarthanum pessimum Theologum.* III. *Antimonium præservativum contra P. Sanmarthani calumnias.* IV. *Vindicias Patavii.* His Benedictini opponebant. I. Solutionem *diversorum problematum.* II. *Epistolam ad quemdam Sorbonæ Doctorem circa relationem Theologiæ Doctoris ad Franciæ Episcopos*, præter alia nonnulla.

## §. XXXI.

Sæc. XVII. A. C. 1680.

## §. XXXI.

### *Personati Abbatis libellus a P. Renato Massuet confutatus.*

Inter tot scripta, quæ contra confictum hunc Germaniæ Abbatem prodiere, nullum majore legentium aviditate excipiebatur præter illud, quod, & creditum est, Pater Renatus Massuet Benedictinus sub titulo: *Epistola cujusdam Ecclesiastici ad R. P. E. L. I.* (*) Osanbrugi, seu verius Rothomagi edidit, ac Benedictinorum orthodoxiam non minus solide, quam erudite vindicavit. præprimis igitur ad primam Abbatis difficultatem respondit, Benedictinos Editores non Theologorum sed criticorum munus obiisse, illorum quidem esse, ut

(*) Seu Reverendum Patrem Emericum Langois Jesuitam, quem Pater Massuet sub personato hoc Abbate latuisse suspicabatur; tum vero duo ejusdem cognominis Jesuitæ in Collegio Claromontano agebant, quorum junior graviter querebatur, quod durius in hac epistola habitus, Auctor hujus libelli diceretur, cum tamen ætate adhuc juvenis tantam scientiæ ubertatem haurire haud potuisset, potius igitur hic libellus seniori adscribi debuisset, si tamen illius Author esset Jesuita.

in Auctoribus, quos explanare aggrediuntur, loca controversa dissertationibus dilucidare, obscuros textus clarioribus explanare, Auctoremque ab erroribus perperam imputatis vindicare: Criticorum autem, qui Patrum opera edunt, munus duntaxat esse loca vel per ignorantiam vel malitiam corrupta in integrum restituere, ea cum antiquissimis juxta ac integerrimis manuscriptis conferre, vera opera a suppositiis discernere, S. Patris textus puritati suæ restituere, articulorum, locorumque præcipuorum synopsin ad marginem annotare &c. proin Sanmaurianorum fidem suspectam haberi non posse, eoquod difficultates Jansenismum respicientes non explanarint, nec secuti fuerint exemplum Parisiensis Archiepiscopi; Præsulis enim non Editorum esse, instruere populum suum, eumque de erroribus in libro, quem damnat, præservare: alias etiam Frontonis Ducæi Jesuitæ doctrina fidesque suspecta haberi debuisset, eoquod Sanctum hunc Patrem, qui Semi-Pelagianismi accusabatur, per quamdam apologiam non vindicasset.

Secundam difficultatem Massuetus duntaxat suppositioni initi asserit, eoquod annotationibus, quas Editores ad textus S. Augustini de Dei voluntaluntalunta

Sæc. XVII. A. C. 1680.

luntate omnes ſalvandi addunt, ſeſe revocent ad alia ejusdem S. Doctoris opera; ad tertiam aſſerit, Benedictinorum notas plerumque eſſe easdem cum Lovanienſibus, & non raro textui magis conſonas, magis frequentes, magisque intelligibiles, ad quartam reſpondet, quod hic textus: *Perſeverare, ſi velles*, equidem a Catholicis pro demonſtratione gratiæ ſufficientis habeatur, Sanctus quoque Doctor hunc textum explicandi anſam eripuerit ex dubio quorumdam Monachorum Adrumetini Monaſterii, qui ſenſum epiſtolæ ad Sixtum non aſſecuti putabant, quod ſi gratia ex ſeipſa eſſet efficax, & perſeverantia ſingulare donum Dei, incaſſum Peccatores reprehenderentur, quia opponere poſſent, quod perſeverandi potentiam non habuerint, quibus S. Doctor reſpondet, quod hi Peccatores cum a bona vita ad perverſam non alia ex cauſſa prolapſi ſint, quia voluerunt, ſemper verum maneat, quod perſeveraſſent, ſi voluiſſent, Benedictinorum igitur annotatio vera ſit, cum enim S. Auguſtinus his Monachis reſpondens, ſibi contradicere & cum Pelagianis & Semipelagianis perſeverantiam voluntati adſcribere videretur, neceſſarium erat, & Benedictini in ſua annotatione verum ſenſum verborum S. Auguſtini, quem

quem ex aliis ejusdem operibus colligere fas est, determinarent, de cetero autem hæc eorum annotatio nullatenus gratiæ sufficienti præjudicet. Insuper ostendit, quod S. Prosper & Cardinalis Norisius disertis verbis asserant, quod *liber de correctione & gratia universam Divinæ gratiæ Oeconomiam subjiciat.* Quintam enervaturus difficultatem demonstrat, falsum esse, quod Catholici ex hoc textu: *Deus non deserit, nisi deseratur*, gratiam sufficientem comprobarint, quia Tridentini Concilii Patres hoc textu duntaxat usi sint ad stabiliendum discrimen inter peccata venialia & mortalia, in eo, quod hæc nos gratia sanctificante privent, non item illa. Ut sextam diluat difficultatem ostendit, quod Editores per hæc verba: *gratiæ Christi definitio* non excluserint gratiam sufficientem, sed hanc notam fecerint ad textum S. Augustini, respondentis Pelagio, qui in sua epistola ad Paulinum gloriabatur, quod veram Dei gratiam professus sit, observat ergo S. Doctor, quod genuina idea de gratia Christiana non formetur, si ea duntaxat in remissione peccatorum consistere credatur, sed insuper admittendum sit *adjutorium bene agendi per inspirationem flagrantissimæ & luminosissimæ charitatis*, recte igitur annotarint Benedictini, hanc esse

Sæc. XVII. A. C. 1680.

esse definitionem veræ gratiæ: dein exprobrat Abbati, quod male ita intulerit: *si hæc verba sunt definitio gratiæ Christi, hæc definitio convenire debet omni gratiæ Christi, quam S. Augustinus admittit, evidens autem est, quod hæc definitio non conveniat gratiæ sufficienti:* eoquod gerundium *agendi*, significat actum non potentiam: & S. Augustinus hunc ipsum locum ibidem explicet, ac idem esse, ac *gratiam qua adjuvamur ad aliquid* agendum, indeque concludit Massuetus, quod nequidem detur gratia sufficiens, quæ non semper det operari *aliquod* bonum per inspirationem saltem inchoatam, aut per aliquem actum imperfectum flagrantissimæ & luminosissimæ charitatis. Ad septimam objectionem reprehendit Abbatem, quod, ut suæ censuræ verosimilitudinem affundat, plusquam mediam partem a textu S. Augustini segregarit, restituta autem ejus integritate Benedictinorum annotatio optime textui congruat. Octavæ objectioni occursurus ostendit, quod S. Doctor demonstrarit, quod quamvis homines possint evitare omnia peccata, non tamen omnia evitent, quia evitare nolunt, & quod Deus permittat, ne velint, quodque perversa hæc voluntas nihilominus a nobis sit, & quod bona voluntas, quæ nos ad Deum trahit, sit

Sæc. XVII. A. C. 1680.

sit effectus gratiæ nos excitantis & adjuvantis, interrogat postmodum, quare Deus velit, ut aliqui ad eum convertantur, alios autem punire velit? & respondeat, quod justitiæ suæ abyssus ita sint absconditæ, ut ei soli sint cognitæ: his addat, quod nequidem suis Sanctis aut cognitionem cujusdam actus justi, aut delectationem victricem ad illius executionem donet: optime ergo Benedictini, ut S. Doctoris mentem assequantur, & rectam quæstionis ideam exhibeant, potuerint annotare: *quare gratia non omnibus, nec semper Sanctis detur*, quamvis, ut ait Mabillonius, optandum fuisset, ut Editores, qui quidem duntaxat de subtractione solius gratiæ victricis locuti sunt, hoc nomen *victrix* ad præcavendum scandalum addidissent. Hac responsione etiam nonam dissolvit objectionem; ad decimam respondet, quod hoc summarium exacte consonet textui, & D. Augustini sensui, qui disertis verbis ait: *quod instructio vere dici possit gratia Dei, quando Deus eam intra nosmetipsos diffundit, ita ut nobis non modo detegat veritatem, sed etiam charitatem donet*, inde vero concludit, quod *quicunque hoc modo, id est per charitatem, est instructus, omnino agat, quicquid agendum didicit.* Undecimam difficultatem pariter postea proposuit

Sæc. XVII. A.C. 1680. P. Germonius Jesuita in duabus disceptationibus *de antiquis Regum Francorum diplomatibus*, qui Benedictinis exprobrat, quod corruptis M. S. Codicibus usi sint, ac præcipue Corbeiensi, qui quia Sæculo IX. scriptus creditur, inferri potest, illum in Corbeiensi Monasterio tempore Ratrami descriptum fuisse, cum autem ibi tum vixerint Monachi, quos Hincmarus de Prædestinatiana hæresi reos esse, aut saltem erroribus Gotescalchi Prædestinatiani Monachi favisse insimulabat, proin hunc Codicem in illis locis, ubi de Prædestinatione & gratia agitur, suspectum esse constet. Attamen dubium adhuc est, an hæresis Prædestinatiana non sit inter res fictitias reponenda: falsissimum autem, quod Benedictini corruptis ejusmodi Codicibus usi sint, cum præter Gallicanos Codices etiam Vaticanos, Belgicos, Anglicos, ac quotquot ubique terrarum reperire poterant, antiquissimos, & integerrimos ad manus habuerint: ad duodecimam difficultatem ostendit Massuetius, nullatenus ex notis probari, quod aliam admiserint libertatem indifferentiæ, quam Julianus: postremæ denique accusationi oppositi, quod hæc Analysis utpote mera synopsis Augustinianæ doctrinæ nil nisi orthodoxum contineat, & a-

liunde

liunde Benedictini exemplaria, quibus adjecta erat hæc analysis, combusserint, atque ab illorum manibus, ad quas pervenerant, retraxerint. Sæc. XVII. A. C. 1680.

## §. XXXII.

## *Mabillonii Apologia contra conficti Abbatis calumnias.*

Tandem jussu ac nomine totius Congregationis Sanmaurianæ Joannes Mabillonius editionem, atque Editorum orthodoxiam percelebri scripto vindicavit: Præprimis igitur palam profitebatur, quod in præfata Congregatione quinque Jansenii propositiones eo modo, quo eas Pontifex & Ecclesia damnavit, semper fuerint damnatæ, & omnis factio præcipue Jansenistica fuerit rejecta, nec Sancti Augustini doctrinæ inhæreatur, quam quia Pontifex & Ecclesia illam commendavit, *neque enim S. Augustino*, inquiebat Mabillonius, *crederemus, nisi Ecclesiæ auctoritas id præciperet.* Postea ostendit, quod S. Doctor errorem Pelagii, qui Gratiæ fere nihil tribuens, totum libero arbitrio adscripsit, confutaturus, gratiæ efficaciam, & gratuitam Prædestinationem propugnarit, asserens, quod liberum arbitrium post hominis lapsum ad malum sibi soli sufficiat, ad bonum vero indi- *Bibl. Germ. t. 34. p. 28.*

Sæc. XVII. A. C. 1680.

geat adjutorio gratiæ, ac propterea S. Doctor plerumque locutus sit de gratia victrice, & efficaciſſima, quam ad quælibet opera meritoria neceſſariam exiſtimavit: ubi vero de prædeſtinatione egit, illam non ex prævisis meritis, ſed ex Dei voluntate mere gratuita eſſe docuerit, hancque gratiam *per excellentiam* vocarit efficaciſſimam, quin tamen alias gratias, quæ *ſufficientes* a Thomiſtis appellantur, excluſerit, quamvis hoc nomine nunquam uſus fuerit.

Hæc, ut comprobata redderet, ſimulque ad Germani Abbatis objectiones reſponderet, ſeptem firmavit regulas, quarum I. erat: *In S. Auguſtino nomen Gratiæ, Gratiæ Dei, Gratiæ Chriſti ſumitur ordinarie pro gratia efficaci*, cum enim S. Doctor in Pelagio damnaret tria ipſius media, quibus homo absque alio adjutorio, mandata Dei adimplet, ſcilicet poſſibilitatem, voluntatem, & actionem, e contrario ſtatuit, quod Deus non modo det poſſe, ſed & velle & agere, id autem a gratia efficaci proveniat, hinc in libris *de gratia Chriſti, de gratia & libero arbitrio, de correptione & gratia*, atque in *epiſtola ad Vitalem* loquatur de gratia efficaci, *quæ facit adimplere legem, quæ naturam liberat, & quæ impedit, ne peccatum dominetur, quod-*

*que*

*que hæc gratia nec parvulis nec adultis propter eorum merita detur, quod omnibus hominibus non ſit data, quodque illi, quibus data eſt, eam recipiant ex mere gratuita Dei bonitate,* denique *ſi quibusdam non fuit data, id ex juſto Dei judicio factum:* Hæc autem omnia nonniſi de gratia efficaci dici valeant.

His Mabillonius evertit omnes objectiones, quibus Abbas Benedictinos de abnegata gratia ſufficiente accuſabat; ſi enim S. Doctor per gratiam Chriſti ordinarie intelligit *adjutorium bene agendi adjunctum naturæ atque doctrinæ per inſpirationem flagrantiſſimæ, atque luminoſiſſimæ charitatis* ſeu gratiam efficacem, quæ facit, ut velimus & operemur, Benedictini jure gratiam ſufficientem non annotarunt, ubi eam non invenerunt, Regula II. *Gratia ſufficiens in ſenſu Thomiſtarum ex S. Auguſtino eruitur, quamvis eam nunquam aut ferme nunquam ſimpliciter appellet* gratiam aut gratiam Dei, vel gratiam Chriſti, *ſed quandoque* charitatem, vel voluntatem parvam, invalidam, imperfectam. Id probabat Mabillonius ex ipſo S. Auguſtino, qui D. Petro *parvam & imperfectam charitatem* non defuiſſe dicit, dum *dicens Domino: Animam meam pro te ponam, putabat ſe poſſe, quod ſe velle ſentiebat,* & rurſus ait: *qui vult facere Dei mandatum,*

*De grat. & lib. arbitr. cap. 17.*

*Libr. de perf. juſt. & cap. 6.*

Sæc. XVII. A. C 1680.

*& non poteſt, jam quidem habet voluntatem bonam, ſed adhuc parvam & invalidam,* ac denique *peccatum eſt, cum vel non eſt charitas, quæ eſſe debet, vel MINOR eſt, quam debet.* Quamvis ergo Benedictini ad hos textus non annotarint *gratiam ſufficientem,* eoquod in textu hoc nomen *ſufficiens* non invenerint, immerito tamen culpantur, perinde acſi corrupiſſent textus, quibus Catholici ad ſtabiliendam gratiam ſufficientem utuntur. Regula III. *Loca, quæ adverſarii ex S. Auguſtino pro gratia ſufficienti allegant, potius intelligenda ſunt de gratia efficaci.*

Hoc Mabillonius demonſtrabat ex textibus libri de correctione cap. 7. & Enchirid. cap. 94. quos Abbas allegat, carpens hanc notam, *ſi velles, id eſt, ſi eadem voluntas maneret,* quaſi illuſoria expreſſione diceretur, *perſeverabis, ſi perſeveraveris.* Igitur Mabillonius oſtendit, quod S Doctor, vanam eſſe excuſationem dicentium, quod immerito reprehendantur, ſi non perſeverarunt, quia perſeverandi donum non recepe-runt, ex eo probare intenderit, quia nec infidelibus prodeſſet excuſatio, ſi dicerent, *non audivimus Evangelium:* juſtior tamen, ait S. Auguſtinus, eſſet horum excuſatio, *quoniam poſſet dici homini in eo, quod audieras & tenueras, in eo*

*eo perſeverares, ſi velles, nullo modo autem dici poteſt id, quod non audieras, crederes, ſi velles.* Si autem, inferebat Mabillonius, hic textus probaret gratiam ſufficientem pro Juſtis, qui non perſeverarunt, probaret eandem gratiam etiam pro infidelibus, ergo probat gratiam efficacem, quia hi juſti non vellent perſeverare, niſi Deus præpararet eorum voluntatem ad volendum: *in vanum* enim, juxta S. Auguſtinum *juſtus perſeverare vellet, niſi Deus faceret, ut velit:* ita autem velle perſeverare, ut perſeveret, eſt effectus gratiæ efficacis: nec illuſoriam eſſe Benedictinorum notam oſtendit Mabillonius; ipſe enim S. Auguſtinus quærens, cur *Diabolus in veritate non ſteterit*, ſibi reſpondit, quia cum in veritate eſſet, *non permanſit*, item *quis ignorat fuiſſe perituram fidem Petri, ſi ea, quæ fidelis erat, voluntas ipſe deficeret, & permanſuram, ſi eadem voluntas maneret*, item, *ſi Adam perſeverantiam non habuit, hocque Dei dono tam neceſſario caruit, quomodo ſine vitio fuit? facile reſpondetur, Adamum eam perſeverantiam non habuiſſe, quia in eo bono, quod ſine vitio fuit, non perſeveravit*, ſi ergo hæ propoſitiones non ſunt identicæ, nec illa Benedictinorum nota, quam ideo appoſuerunt, ne ſibi contradixiſſe videretur S. Auguſtinus, qui

*Cap.* 8.

*Cap.* 10.

Sæc. XVII. A. C. 1680.

unacum Pelagio perſeverantiam voluntati, perinde acſi voluntatis fuiſſet, ſeu quod non perſeverarit, tribuere videretur, cum tamen totis viribus contra Pelagium propugnarit, quod in hominis voluntate non ſit perſeverare viribus humanæ voluntatis, niſi Deus ei dét donum perſeverandi: Circa alterum textum: *cum ſalvi eſſe poſſent, ſi vellent*, Mabillonius oſtendit, quod S. Doctor generaliter de omnibus reprobis tam infantibus quam adultis loquatur, infantes autem uſu rationis deſtituti velle non poſſint: Inſuper ex triginta ſex MS. viginti quinque legunt, *ſi veller*, imo etſi legeretur: *ſi vellent*, inde non probaretur gratia ſufficiens, quia agitur de tali voluntate, qua quis ſalvari poſſet, proin de voluntate, quæ non datur niſi per gratiam efficacem.

Regula IV. *S. Auguſtinus præcepta Dei eſſe impoſſibilia, omnino negat, libero autem arbitrio gratia efficaci adjecto, ea adimplendi poteſtatem ita concedit, ut in juſtis aliam internam gratiam, quæ præcepta reddit poſſibilia, non excludat.* Hanc Regulam poſtea ad Boſſuetii conſilium Mabillonius ita immutavit: *Quamvis S. Auguſtinus reipſa admittat poſſibilitatem præceptorum, ob errorem tamen Pelagianorum fortius inſtitit gratiæ efficaci, qua adimpleatur.* Ma-

Sæc. XVII. A. C. 1680.

Mabillonius ex his Tridentini Concilii & S. Auguſtini verbis: *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo admonet, & facere, quod poſſis & petere, quod non poſſis*, infert, quod homo ex libero arbitrio habeat potentiam adimplendi præcepta, actu autem adimplere non poſſit ſine Dei adjutorio, quamvis ergo S. Auguſtinus completam potentiam ad actu adimplenda præcepta gratiæ efficaci attribuat, non tamen inde ſequatur, quod juſti, qui eam non habent, alia gratia interiore nova opus habeant, quæ ipſis reddat præcepta poſſibilia; nam præter gratiam ſanctificantem habent pias motiones & illuſtrationes, quibus ſi conſentiunt, aquirunt gratiam efficacem, & poſſunt his illuſtrationibus conſentire, ſi volunt, & ſi non volunt, eorum culpa ſit: hæ autem motiones &c. ſunt gratiæ ſufficientes, de quibus in Regula VII. Ordinarie tamen, ſubjungit Mabillonius, S. Auguſtinus duntaxat loquitur de potentia completa adimplendi actu præcepta, quæ nonniſi charitati, vel voluntati plenæ per gratiam efficacem inſpiratæ poſſibilia dicit; cum enim hæreticos debellaret, qui nonniſi vires naturæ, ut homo poſſit actu adimplere præcepta, ſtatuebant, illis gratiam efficacem opponere debuit, ſine qua homo ea adimplere, non poteſt

*Lib. de nat. & grat. cap. 43.*

Sæc. XVII. A. C. 1680

potentia conjuncta omnibus causſis & conditionibus ad agendum neceſſariis. Si autem duntaxat gratiam a libero arbitrio dependentem oppoſuiſſet, Pelagiani affirmaſſent, voluntatem humanam poſſe ſemetipſam diſcernere. His poſitis Mabillonius infert, haud immerito a Benedictinis has notas fuiſſe additas: *Deus dat, quod præcipit, & quodlibet eſt charitati facile.*

Regula V. *Pelagiani tenebant, quod liberum arbitrium etiam poſt lapſum Adæ æquales habeat vires ad bonum & malum, id vero negat S. Auguſtinus.*

Id probat Mabillonius ex lib. 2. contra Julianum num. 20. & ait, quod S. Auguſtinus doceat, liberum arbitrium fuiſſe infirmatum per peccatum originale, ac vires, quas ante peccatum ad bonum habuit, perdidiſſe, nec ſanari, nec integræ libertati reſtitui poſſe, niſi per gratiam Chriſti. Obſervat autem Mabillonius, quod S. Auguſtinus diſtinquat liberum arbitrium a libertate, ita ut liberum arbitrium manſerit poſt peccatum, non autem libertas, id eſt felix illa facilitas operandi bonum, quam iterum aquirit per gratiam Chriſti lib. 1. contra Jul. cap. 94. His evertit Abbatis Germani cavillationem, qua Benedictinorum notas: *liberum arbitrium quid juxta Julianum?* carpſerat, eique oppo-

ni-

Sæc. XVII. A.C. 1680.

nit tres S. Doctoris textus, in quibus hanc libertatis definitionem a Juliano propositam refellit, eoquod hic talem statuit libertatem, cui ex seipsa ad vitandum peccatum nihil desit, & quæ ipsum peccatum originale excludat.

Regula VI. *Juxta S. Augustinum, nec vis invincibilis & victrix gratiæ tollit meritum nec certa necessitas peccandi, quæ sine gratia est sequela peccati, impedit demeritum* Regulam Mabillonius in sua præfatione ita explicabat: Juxta S. Aug. nec vis invincibilis & victrix gratiæ, nec certa necessitas peccandi, quæ sine gratia est sequella peccati, destruit libertatem, proin nec meritum aut demeritum: quapropter Mabillonius maluisset hanc notam Benedictinorum ita concipi: *non quævis necessitas pugnat cum arbitrio voluntatis*, quia necessitas infallibilitatis non est contraria libertati.

*Lib. 1. contra Jul. l. 78. ibid. n. 87. l. 6. op. imp. n. 9. & 10. l. 3. de lib. arb. c. 18. l. de duab. anim. lib. de perf. just. cap. 4.*

Id probat Mabillonius ex his S. Augustini verbis: *fides Catholica non destruit liberum arbitrium sive ad malum, sive ad bonum, sed fides non admittit libero arbitrio, ut possit aliquid sine gratia, ut possit ex malo bonum fieri, semper constantes novos progressus in bono facere, aut ad vitam æternam pervenire.* Infert igitur Mabillonius, etiam in homine lapso admittendam esse indifferentiam activam tam ad bonum, quam ad malum, quæ tamen nisi

Sæc. XVII. A. C. 1680.

nisi adjuta per gratiam non est activa, est tamen activa ad malum ex ipsa natura liberi arbitrii, quæ in sua cratione erat talis, ut pro sua voluntate ad bonum vel malum tendere potuerit: Ex his vindicat hanc Benedictinorum notam: *Necessitas non pugnat cum arbitrio voluntatis*, maxime cum sit consona textui, in quo S. Doctor sequens Pelagii principium confutabat, quod nec *liberum arbitrium nec deliberatio detur, ubi datur necessitas naturalis*, cum tamen Deus necessario non possit velle peccatum, & homo necessario amet bonum in genere.

Regula VII. *S. Augustinus voluntatem Dei salvandi omnes homines non restringit ad sola genera singulorum, excludendo voluntatem generaliorem salvandi omnes*: Deus omnes enim salvos fieri vult voluntate antecedente. Sanctus Augustinus autem post Pelagianam hæresin ferme semper loquitur de voluntate consequente, ac propterea Dei voluntatem salvandi omnes homines non explicat de singulis generum, sed de generibus singulorum: id probat Mabillonius ex Cap. 15. lib. de corrept. & grat. & ex commentario in Psalm. 118. & ex cap. 33. de Spiritu & lit.

His regulis Mabillonius in sua præfatione addidit adhuc sequentes. I. Hoc lo-

loquendi modo: *perſeverares, ſi velles*, aliisque ſimilibus S. Auguſtinus denotabat *culpabilem voluntatis defectum*, ſi non perſeveretur, non autem auxilium gratiæ. II. S. Auguſtinus in hoc ſtatu non agnovit ejusmodi gratias ſufficientes, quas ſola voluntatis liberæ determinatio ſine alio potentiore auxilio efficaces redderet. III. Pelagiani docebant, quod liberum arbitrium in homine æquales vires habeat ad bonum & malum, ad peccandum, & non peccandum, quod S. Auguſtinus negabat. IV. Ex antiquis MS. dependet Editionum bonitas (*). Sæc. XVII. A. C. 1680.

## §. XXXIII.

### *Hujus controverſiæ ſucceſſus.*

Hæc Mabillonii vindiciæ, etſi communi omnium applauſu fuiſſent exceptæ, non tamen libellos famoſos contra Editores divulgandi libidinem refrænarunt: quam primum enim P. Mabillonius Pariſiis Rhemos contenderat, publicam lucem aſpexerat alius ejusmodi libellus ſub hoc titulo: *De agendi ratio-*

*Index lib. proh. Lit. L. pag. 153. Le Cerf. Bibl. des Auth. de la Congr.*

(*) Hæc quantum ad doctrinam duntaxat narrando referimus, nec tamen noſtra facimus, Hiſtorici, non Theologi partes agere intenti.

Sæc. XVII. A. C. 1680.

*ratione*, quam Benedictini *post impugnatam editionem S. Augustini tenuerunt unacum reflexionibus:* Similior erat hic libellus fabulis, mendaciis & calumniis male consarcinatæ satyræ, quam solidæ confutationi: inter alias falsitates quam plurimas Author referebat, juvenes Benedictinos a Sacris Ordinibus a Bellovacensi, & Podniensi Episcopis fuisse excluſos, eoquod juxta Jansenii dogmata in examine respondissent: Percepta autem hac calumnia Armandus de Bethuna Podniensis Episcopus die vigesima secunda Septembris anno hujus sæculi nonagesimo nono palam testatus est, quod triginta quinque continuis annis, quibus huic Diœcesi præfuisset, semper omnibus Benedictinis, utpote doctrina & pietate conspicuis, S. Ordines sine omni cunctatione contuliſſet. Eodem tempore ad vindicandum Congregationis honorem famosis ejusmodi libellis ab ignotis calamis opponebantur varia scripta, atque inter alia: *Epistola ad Sorbonæ Doctorem circa relationem cujusdam Theologiæ Doctoris ad Franciæ Præsules*, necnon *Expostulatio Apologistæ pro Benedictinis ad Francia Præsules circa libellos diffamatorios contra Editores S. Augustini unacum ejusmodi Authorum provocatione comparendi coram Archiepiscopo Parisiensi:* In hoc libello

P. La-

P. Lami Benedictinorum Apologista cunctis ejusmodi libellorum Authoribus denuntiat, eos tanquam calumniatores, illorumque libellos tanquam infames esse proscribendos, nisi intra bimestre Parisiis comparituri sint: nullo autem comparere ausо, calumniæ stigma eorum fronti pressius inhæsit, anno autem sequenti Romæ die secunda Junii tam Abbatis Germani, quam Benedictini non reformati, & Commendatarii epistolæ, necnon relatio Doctoris Theologiæ, & libellus *de agendi ratione* &c. fuerunt proscripta: Pariter anno Christi millesimo septingentesimo quadragesimo nono die vigesima Septembris *Bibliotheca Jansseniana* a Patre de Colonia, necnon *Dictionarium Jansenisticum* a P. Patuel editum, eoquod in utroque præter alios præclari nominis Viros etiam Mabillonium, Montfauconium, pluresque insignes hujus Congregationis Monachos in Jansenistarum censu accepissent, necnon anno sequenti die sexta Maij *epistola Doctoris Sorbonici ad Amicum Belgam* novo S. Congregationis decreto tanquam libelli *famosi*, propositionibus falsis, temerariis, scandalosis, seditiosis atque Apostolicæ Sedi injuriis scatentes damnati fuere. Cum autem ejusmodi libelli passim Jesuitis adscriberentur, hi autem

Sæc. XVII. A. C. 1680.

Sæc. XVII A. C. 1680.

autem eorum Authores non essent, hinc quæstum accessere Argensonium Episcopum, qui etiam rem ad Archiepiscopum Parisiensem detulit, ipsumque Regem de hac contentione sat periculosa certiorem reddidit: Eapropter Ludovicus Rex Pontchartrenio, suo a sanctioribus commentariis Ministro præcepit, ut Parisiensi Archiepiscopo injungeret, quatenus tam Congregationis, quam Societatis Superiores ad suum Palatium venire juberet, eisque interdiceret, ne deinceps circa S. Augustini editionem ore vel calamo decertarent. Igitur Archiepiscopus Claudio Boistoardo supremo Benedictinorum Præposito die decima tertia Novembris hanc in rem Regias literas dat undecima præfati Mensis Versaliis datas exhibuit. Hic ergo mox die decima septima ejusdem Mensis ad cunctas Congregationis Monasteria has dedit literas: „Cum Regiæ suæ Majestati innotuisset, quod contentio inter Jesuitas, nostrosque Religiosos circa novam „S. Augustini editionem in dies magis „incalesceret, ac libelli utrinque typis „vulgarentur, quibus acrius hæc dissidia non sine pacis & charitatis læsione, ipsiusque Ecclesiæ scandalo efferverescerent, hinc Rex per Parisiensem Archiepiscopum utriusque Ordinis „Supe-

„Superioribus inhibuit, ne circa hanc „controverſiam ſcriberent, vel loque- „rentur, ſed integra fide omnes utrin- „que editos libellos, ſecus Regis „indignationem incurſuri, ſupprime- „rent, hinc omnibus præcipio, ut huic „Regis voluntati exacte obediatis, „hancque meam epiſtolam in Capitulis „prælegi faciatis, ſimulque omnes & „ſingulos adhortari curetis, quatenus „unionem & ſinceram concordiam, ut „antea, cum Jeſuitis reſtituant &c.„ Has literas Generalis ad Pariſienſem transmiſit Archiepiſcopum, qui eandem Patri Dez Jeſuitarum Provinciali exhibens, ab eo ſciſcitabatur, an non ipſemet ſuos quoque ſubditos pari epiſtola ad concordiam animare vellet? Hic vero Archiepiſcopo reſpondit, quod P. de La Chaiſe de toto negotio Regem inſtruendi curam in ſe ſuſcepiſſet: nihilominus paucis poſt diebus compertum erat, quod ipſe etiam miſſis ad ſuæ Provinciæ Collegia literis ſilentium ſuis impoſuerit, eoquod de omnibus, quæ in editione eſſent carpenda, Epiſcopi abunde edocti fuiſſent. Perlectis itaque Regiis literis in omnibus tam Congregationis, quam Societatis Monaſteriis, inter utrumque Ordinem priſtina refloruit pax, atque unio, in cujus ſignum Jeſuitæ Patrem Charlier

Sæc. XVII. A. C. 1680.

Sæc. XVII. A. C. 1680.

inter Benedictinos celeberrimum Ecclesiasten rogarunt, ut in S. Ignatii festivitate in eorum Ecclesia sermonem haberet.

Nihilominus tamen quidam Sabaudiæ Abbas edito libello spargebat, quod Benedictini a suis adversariis devicti, Regis etiam auctoritate ad silentium redacti fuerint: prodiit etiam eodem anno libellus livido dente contra Benedictinos scriptus, sub hoc titulo: *Tumulus Theologiæ scholasticæ in Thesibus Sandionysianis Anno* 1699. cui Benedictini opposuere, *Tumulum Philosophiæ Sophisticæ in Thesibus Sandionysianis Anno* 1699. mox autem de violato Regis mandato Benedictini per Argensonium apud Parisinum Archiepiscopum deferuntur, hanc vero accusationem levi brachio diluit Congregationis Sanmaurianæ Præpositus Generalis, demonstrans, quod Mense Augusto *Tumulus Theologiæ*, & ante Regis edictum Mense Octobri *Tumulus Philosophiæ* prodiisset.

Sub idem tempus Rhemensis Archiepiscopus & Bossuetius Episcopus Meldensis Præfationem, quam Mabillonius editioni præfigere meditabatur, recognovere, multaque in ea corrigi petierunt, Bossuetius quoque Mabillonio injunxit, ut ex ipso S. Augustino volu-

voluntatem Dei antecedentem ſalvandi omnes homines, indifferentiam activam &c. & gratiam ſufficientem, quæ veram dat potentiam, diſertis verbis probaret: petiit inſuper, ut in ſecunda editione hæc nota, *ſi eadem voluntas maneret* &c. iterum reponeretur, quam tamen poſtea a Blampino in ſecundo prælo deletam fuiſſe compertum eſt: Paruit Mabillonius, ejusque præfatio utrique Epiſcopo, totique Clero Gallicano probabatur: hi vero, qui ſeſe Divi Auguſtini diſcipulos jactitant, variis cavillis eam impetebant, indignantes, quod plena etiam Romæ obtenta victoria, Mabillonius victoriæ fructibus Congregationem ſpoliarit, eoquod utrique parti ſatisfactutus, utramque offendiſſet, & quasdam adverſantium accuſationes approbando, neceſſitatem admittendi gratias ſufficientes in omnibus hominibus agnoviſſet, necnon gratiam Moliniſticam puræ poſſibilitatis his verbis: *gratia ſufficiens effectu ſuo caret, atque in Sanctis & peccatoribus cum S. Antiſtite minores gratias, easque ſenſu Thomiſtico ſufficientes* admiſiſſet. Inſuper non modo exteri, ſed ipſi etiam Congregationis Benedictini hanc Mabillonii præfationem ſuggillabant, atque inter eos celeberrimus quidam Theologus ſcriptum edidit ſub hoc titulo: *Theo-*

Sæc. XVII. A. C. 1680.

Sæc. XVII. A. C. 1680.

*logi Parisiensis ad Doctorem Belgam epistola.* Alii ægre ferebant, quod Mabillonius tam Jesuitarum, quam Benedictinorum libellos appellarit *furtivas ex utraque parte velitationes:* E contrario autem excellentissimus quidam Congregationis Theologus bina epistola Mabillonii præfationem contra omnes objectiones solidissime vindicabat, ac ipsemet Norisius Cardinalis summis laudibus hanc Congregationem celebravit, & Pater Macedo ad Mabillonium hæc perscripsit: *ingens tuorum sodalium, quos inter princeps haberis, erga S. Augustinum cultus, atque in ejusdem Patris volumnibus, emendatissimis typis recudendis, labor ac diligentia jure suo poscunt* &c. Denique ipsemet summus Pontifex Clemens XI. Mabillonium uno ante obitum suum anno commendabat, die decima nona Aprilis Anno 1706. datis ad Claudium Boistardum Congregationis Generalem hisce literis:

*Apol. Monach. Scyth cap. 2. §. 2. Præf, somn. 10.*

„Dilecte fili, Salutem & Apostoli-
„cam Benedictionem. Diutius præte-
„rire silentio non possumus, quanto-
„pere nobis acceptum probatumque sit
„studium, quod Congregatio tua San-
„ctorum Ecclesiæ Patrum operibus re-
„censendis, iisque nitidiori, quam an-
„tea, cultu publicam in lucem prose-
„rendis impendit. Quod quidem stu-
„dium

„dium & profeſſione virtuteque veſtra Sæc. XVII.
„maxime dignum ducimus, & non vo- A.C 1680.
„bis duntaxat glorioſum, verum etiam
„rei Chriſtianæ, ac Orthodoxæ impri-
„mis religioni ſaluberrimum fore con-
„fidimus. Quamobrem te, Monachos-
„que tuos in Domino hortamur, ut in
„egregio hoc inſtituto ſtrenue diligen-
„terque pergatis, pro certo habentes,
„quidquid in honorem commodumque
„veſtrum a Pontificia Benignitate po-
„terit proficiſci, id vobis nullo unquam
„tempore defuturum. Interea vero
„mitti ad te juſſimus ſacra quædam
„munuſcula, iis potiſſimum eruditis Vi-
„ris arbitratu tuo diſtribuenda, qui e-
„jusmodi Editionibus adornandis in-
„cumbunt, ut ipſis argumenta ſint pa-
„ternæ, qua eos eorumque ſtudia com-
„plectimur, Charitatis. Tibi autem,
„Dilecte Fili, præcipuæ Benevolentiæ
„pignus, Apoſtolicam Benedictionem
„peramanter impertimur.„

## §. XXXIV.

### *Principum atque illuſtrium obitus.*

Inter Principes hoc anno defunctos memorari meretur Eliſabetha Friderici V. Palatini Electoris Filia, quæ inter ævi ſui Heroas vel ideo recenſeri digna eſt, quod liberalibus diſciplinis apprime

Sæc. XVII. A. C. 1680.

imbuta, ac Philoſophicis præſertim Carteſii placitis usque ad effætam ſenectutem addicta permanſerit. Dudum in Brandeburgici Electoris Aula morabatur, donec in Herfordiæ Abbatiſſam electa, atque Joannis Labbadæi, & Annæ Mariæ Schurmanin fanaticis deliriis ineſcata, tandem anno ætatis ſuæ ſexageſimo ſecundo die octava Februarii decederet. Ex eadem familia die vigeſima octava Auguſti Carolus Ludovicus Elector Palatinus Elbingæ in horto ſub nuce anno ætatis ſexageſimo tertio obiit, qui eodem anno, quo Fridericus Carolus Wirtenbergæ Dux ſæculare ſpatium, quo *concordiæ* liber a tot Proteſtantibus infamiæ nota aſperſus, primo lucem aſpexit, celebrabat, Elector Friderico burgi in Palatinatu inferiore elegans Templum, cui *concordiæ* nomen impoſuit, die vigeſima ſeptima Junii erexit, ac ſolemni ritu ſacrari voluit, eo fine, ut primo Calviniſtæ, poſtea Lutherani, ac tandem etiam Catholici ibidem ſuæ Religionis ritibus fungerentur: Pari fato ſublatus eſt Joannes Georgius II. Elector Saxoniæ, relicto dignitatis ſuarumque ditionum hærede Joanne Georgio III. ejus Filio. Denique apoplexia tactus in Hungaria poſtremum vitæ ſuæ diem egit Georgius Scelepeſenius Strigonienſis Archiepiſco-

episcopus, generosus fidei Catholicæ Athleta. Scripsit Leopoldum Cæsarem ac Hungariæ Regem ad conterrendos seditiosos Protestantes, hæredem omnium suorum bonorum, quæ quinque aureorum milliones excessisse dicuntur. Sæc. XVII. A. C. 1680.

## §. XXXV.

## *Diversæ Innocentii XI. Papæ Constitutiones.*

Hoc item anno Innocentius XI. Pontifex Maximus Institutum unacum Constitutionibus Clericorum sæcularium in commune viventium a Ven. Bartholomæo Holzhauser Vicario Chiemensi inchoatum, necnon Ecclesiæ utilissimum ad preces Cæsaris, Bavari & Moguntini Electorum, pluriumque Episcoporum confirmavit. Floret etiamnum hoc institutum non sine magno Clericalis vitæ, Pastoralis curæ, & animarum emolumento. Extendit quoque Pontifex festum B. Mariæ de Mercede ad omnia Regis Catholici dominia, cum Missa & Officio celebrandum. Denique confirmavit decreta, quibus statutum, ut in statu Ecclesiastico, exclusis fœminis, masculi agnati ad conservandas familias succedant.

Sæc. XVII. A. C. 1680.

## §. XXXVI.

## *Variæ S. Congregationum deciſiones.*

*Deciſ. SS. Congreg.*

Occurrentibus diverſis dubiis præcipue circa Ritus Sacros, plura SS. Congregationum decreta emanarunt, ac primo quidem ſacra Rota die decima nona Februarii decidit, quod ad Vicarium perpetuum Eccleſiæ Collegiatæ ſpectent functiones Eccleſiaſticæ, quæ reſpiciunt tantum curæ exercitium & Sacramentorum adminiſtrationem: ad Canonicos autem in choro pertineant horæ Canonicæ, Veſperæ ſolemnes, Miſſæ Majores, Benedictiones fontis Baptismalis &c. Declaratum quoque die vigeſima ſexta Junii, quod jus privative faciendi proceſſionem in feſto Corporis Chriſti competat illi Eccleſiæ, quæ probat, ſe ab antiquo privative quoad alias feciſſe. Die autem ſeptima Decembris ſacra Rituum Congregatio definivit, quod officia Sanctorum, quæ de Menſe Decembri aliquando ſuperſunt, transferri poſſint, & fieri in prima die non impedita ſequentis anni, quando autem eadem die duo feſta duplicia infra octavam Corporis Chriſti concurrunt, non ſit de translato agendum immediate die ſequenti non impedita, ſed poſt prædictam octa-

vam

vam, officium quoque particulare alicujus Diæceſis, vel Religionis, quod occurrit die 25. Februarii, ſit transferendum in Anno Biſſextili ad primam diem non impeditam, niſi eſſet feſtum tituli, ſeu Patroni Eccleſiæ, ſi denique occurrat officium novem lectionum de pluribus SS. Virginibus & Martyribus eodem die, quo cadit feſtum ſimplex ejusdem qualitatis, ſervanda ſit pro commemoratione ſimplici antiphona: *Iſtarum eſt enim Regnum cælorum*, uti in feſto SS. Perpetuæ & Felicitatis. Sæc. XVII. A.C. 1680.

## §. XXXVII.

### *Synodi Antverpienſis decreta.*

Celebrabat hoc anno die ſecunda Martii Joannes Ferdinandus de Beughen Antverpienſis Epiſcopus Synodum ſuam, in qua Clerum ſuum ad obſervanda Concilii Tridentini decreta hortatus, præcepit, ut illi, qui S. Ordinibus initiari petunt, prius ſaltem cum Parocho vel Viro prudente de vocatione ſua deliberent: poſtea Synodus eisdem vitæ Sacerdotalis præcepta præſcripſit, eaque quibusdam ſententiis firmavit. *Concil. Germ. t.* 10.

Sæc. XVII. A. C. 1680.

## §. XXXVIII.

## *Synodi Diœceſanæ Tornacenſis ſtatuta.*

Pariter Gilbertus Choiſeulius Tornacenſis Epiſcopus die ſeptima Maij ejusdem anni ſuam celebravit Synodum, in qua illos, qui ab ea ob nullam legitimam cauſſam abſentes erant, adeſſe juſſit, ut ſe pœnas a jure ſtatutas incurriſſe, declarari intelligant. Præcepit etiam, ut nullo alio catechismo, niſi quem ipſe imprimi juſſit, Parochi utantur, ne ex varia catechiſandi methodo confuſio oriatur: denique nonnulla priorum Synodorum decreta innovavit.

## §. XXXIX.

## *Monaſterienſis Concilii decreta.*

Inſuper Ferdinandus de Fürſtenberg Monaſterienſis Epiſcopus ad Prædeceſſoris ſui exemplum hoc item anno die decima quinta Octobris rurſus Autumnalem habuit Synodum, in qua vehementer declamabat contra quosdam Clericos, qui ornati incedunt, quaſi caſtrenſia, non Eccleſiaſtica mererent ſtipendia; cum ergo ab Innocentio XI. Papa monitus fuiſſet, ut pernicio-

nicioſam hanc corruptelam prorſus eliminaret, hinc ſub pœna ſuſpenſionis & ſub privatione proventuum præcepit, ut intra trimeſtre veſtes laicales deponant, & deinceps veſtem nigram, togamque ultra genua protenſam palliumque itidem nigrum deferant, idque ſe facturos jurent. Denique juſſit, ut campanarum pulſus ad feſtivitates nunquam ultra horam protrahatur. Sæc. XVII. A. C. 1680.

## §. XL.

## *Scriptorum Catholicorum funera & lucubrationes.*

Non pauci ex Scriptoribus religione Catholicis hoc anno obiere, quos inter præcipue ſuis lucubrationibus celebres ſunt. I. Joannes Thomas Peſſina Pragenſis Decanus, ac Samandrienſis Epiſcopus, qui publici juris fecit Phosphorum ſepticornem de gloria & Majeſtate Eccleſiæ S. Viti Pragenſis, S. Mercurium maximum Orientis Martyrem, Martem Moravicum, & Prodromum Moravographiæ, dumque præſo reliquos hujus operis tomos parabat, morte præventus eſt. II. Petrus Lambecius, qui ejurata ſecta ſua Romæ palam fidem Catholicam profeſſus, edidit Prodromum Hiſtoriæ Literariæ, Chronologiam, ſyntagma originum & anti- *Vita Peſſin. Le Cerf. Bibl. de Auth. de la Congr.*

Sæc. XVII. A. C. 1680.

antiquitatum Conſtantinopolitanarum, Diarium ſacri itineris Cellenſis, commentaria in Bibliothecam Vindobonenſem præter plurimas epiſtolas atque orationes. III. Chriſtophorus Davenport Ord. S. Franciſci Catharinæ Angliæ Reginæ Sacellanus, ſcripſit tractatum contra Aſtrologiam judiciariam, de prædeſtinatione, meritis & remiſſione peccatorum, expoſitionem articulorum confeſſionis Anglicæ, ſyſtema fidei de Concilio univerſali, Apologiam Epiſcoporum, præter alia valde erudita opuſcula. IV. Bernardus Planchete Benedictinus Congreg. S. Mauri typis vulgavit vitam S. Benedicti Galliarum Reginæ nuncupatam, Hiſtoriam miraculorum per interceſſionem B. V. in Abbatia S. Petri patratorum, & volumen Panegyrum de Sanctis. V. Joannes Jaſſenet ex eadem Congregatione, qui plures Sanctorum vitas notis criticis illuſtravit, & in Hiſtoriam Eccleſiaſticam plura congeſſit, quæ tamen prælo ſubjicere, præmatura nimis morte præpediebatur. VI. Athanaſius Kirchерus e Societate, ſcripſit Muſæum Romanum, mundum ſubterraneum, iter exſtaticum cæleſte, Turrim Babel, arcam Noe, Chinam monumentis ſacris & profanis ſpectabilem, Hiſtoriam Euſtachio-Marianam, pluraque alia ſelectiſſima-

simarum materiarum opuscula. VII. Cyprianus a Nativitate B. V. Carmelita Discalceatus typis mandavit Praxin veræ fidei, pacis & pietatis Regiæ triumphum, tractatum contra pugnantes in Duello, Sanctam cæcitatem & ingratitudinem, meditationes de æternitate, consilia spiritualia, descriptionem Eremorum, ac vitæ Eremiticæ, modum sancte vivendi in quolibet statu præter plurima alia partim a se exarrata, partim ex Hispano idiomate in Gallicum translata. Sæc. XVII. A. C. 1680.

## §. XLI.

## *Opera & fata Scriptorum Protestantium.*

Obiere ex Scriptoribus Acatholicis hoc anno sequentes, I. Joannes Ludovicus Hartmannus, qui omnia concilia & colloquia a nato Christo usque ad Casselanum edidit, scripsit quoque tractatus de disciplina Ecclesiastica revocanda, de Elencho morali & Doctrinali, de impedimentis propagandæ pietatis, collegia super catechismum Lutheri, Prodromum in commentarium Biblicum, Manuale & Pastorale Evangelicum, præter quamplurima Exegetica. II. Nicolaus Arnoldus posteris reliquit confutationem Catechismi Raco-

*Freher Theatr. erud. part. 1. sect. 3. Witte diar. Carol. mem. Sæc. XVII. lib. 9.*

Sæc. XVII A. C. 1680.

Racoviani, Anti-Bidellum, commentaria in epiſtolam ad Hebræos, & diſputationes varias. III. Carolus Patinus vulgavit relationes hiſtoricas, Itinerarium Comitis Briennæ, familias Romanas ex antiquis numismatibus, præter plura alia ad ſcientiam numismaticam perutilia. IV. Chriſtophorus Crellius, prælo ſubjecit diſſertationem de virtute Chriſtiana & gentili, colloquium Racovienſe inter Catholicos, & unitarios, præter alia pauca. V. Joannes Hilpertus publici juris fecit diſquiſitionem de Præ-Adamitis, diſputationes de Judæorum flagellationibus, de gloria Templi poſterioris, de perſeverantia Sanctorum, de Agapis, de Hebræorum Philoſophia contra Judæos, & tractatum de pœnitentia. VI. Joannes Paulus Deroldus enucleavit quæſtionem, an hodierni Calviniſtæ ab antiquis & horrendis dogmatibus ſuis receſſerint, & ad Lutheranos propius acceſſerint. VII. Thomas Bartolinus, ſcripſit de latere Chriſti aperto, de paraliticis novi Teſtamenti, de Cruce Chriſti, & de variis Chriſtianæ Reipublicæ morbis. VIII. Henricus Flockenius edidit Angelographiam operum Theol. & prolegomena Theologiæ Catholicæ. IX. Georgius Crauſer ſcripſit Horeologiam Chriſtianam, & Phosphorum

seu declarationem Græcarum vocum, & phrasium Novi Testamenti. Sæc. XVII. A. C. 1681.

## §. XLII.

## *Sexdecim Præsules Romana Purpura ab Innocentio XI. Papa decorati.*

Ineunte anno hujus sæculi octogesimo primo Estræus Cardinalis Gallici Oratoris Frater Romam venerat, cum summo Pontifice de Regaliæ negotio acturus: Hic ergo præprimis petebat, sibi adjungi Præsulem Pontificia auctoritate munitum, quocum de Galliæ Regis, Franciæ Præsulum, & Sorbonæ postulatis prævie conferre posset. Igitur ex Sacri Collegii consilio singularis hanc in rem erigitur Congregatio, cui præesset Ludovisius Cardinalis: Processerat hoc negotium lento admodum pede, eoquod Estræus, ceterique Cardinales Gallicis partibus addicti illud oretenus, Pontifex autem scriptotenus agitari vellent, aliunde vero Papa haud leviter Franciæ Præsulibus indignaretur, quod nuper non sine Pontificiæ auctoritatis læsione jus Regaliæ Regi asseruissent. Præterea in amaras effundebatur querelas, eoquod non sine Sedis Apostolicæ contemptu Historia Conciliorum generalium ab Edmundo Richerio Sorbonico Doctore edita communi

*Theatr. Europ. t. 12. Godefrid. Hist. Chron. cont. t. 3. pag. 287. Priet. Annal. cont. pag. 963.*

Sæc. XVII. A. C. 1681.

muni applauſu in Galliis divulgaretur; eapropter eandem die decima ſeptima Martii edito decreto ad libros legi vetitos rejecit, ſimul tamen eo acrius legentium aviditatem ac orexin acuit; ſub idem tempus non modo calamitates, quibus Catholici in Anglia premebantur, ſed & bellici Turcarum apparatus, anxium tenebant ſummi Pontificis animum; præprimis igitur bis centies mille aureos in Angliam ad Jeſuitas transmiſit, ut has pecunias in pauperes Catholicos erogarent, ſimulque Ordinum Superiores hortabatur, ut indictis publicis precibus Deum ad avertenda peſtilentiæ, Turcicique belli mala flectere ſatagerent: Polonis quoque quolibet Menſe quinquaginta florenorum millia pollicebatur, ſi rurſus Turcas bello petere vellent. Cum autem nonnullas mulieres Romanas contempta nuperi edicti, ac pœnarum ſeveritate adhucdum nudato pectore incedere intelligeret, hinc Eccleſiaſticos oſcitantiæ in exequendis Papæ mandatis incuſans, anathematis pœnam intentabat in eas, quæ indecentius veſtitæ deprehenderentur: cum vero Pontifex unice tollendis Curiæ, urbisque Romanæ corruptelis hucusque intentus eſſet, Sacrum Purpuratorum Collegium augere diſtulit: defunctis autem

autem jamjam viginti ſeptem Cardinalibus, tandem præter omnium expectationem importunis plurium Principum precibus, necnon Urbis & Orbis Catholici votis annuens, die prima Septembris ſexdecim Viros, quos ob probitatem, generis nobilitatem, ac doctrinæ præſtantiam maturo judicio digniores cenſuerat, Romana decorabat Purpura. Horum primus erat Joannes Baptiſta Spinula Genuenſis Archiepiſcopus, ac Romanæ Urbis Gubernator. II. Antonius Pignatellius patria Neapolitanus, ibidemque Archiepiſcopus & antea Leccenſis Epiſcopus, Cardinalis Presbyter tit. S. Pancratii, ac poſtea Pontifex *Innocentius XIII.* nuncupatus III. Stephanus Brancaccius itidem Neapolitanus, Epiſcopus Viterbienſis, ac ſacræ Congregationi Concilii a ſecretis. IV. Stephanus Auguſtini patria Forolivienſis Archiepiſcopus Heracleenſis & Datarius. V. Franciſcus Bonviſius patria Lucenſis Theſſalonicenſis Archipræſul, atque Apoſtolicus in Germania Nuntius, cui ipſemet Cæſar rubrum galerum Sopronii die prima Novembris impoſuit. VI. Savus Melini Romanus Cæſareenſis Archiepiſcopus, & Pontificius in Hiſpania Nuntius. VII. Fridericus Vicecomes, patria Mediolanenſis, ibi-

Sæc. XVII. A. C. 1681.

Sæc. XVII. A. C. 1681.

demque Archiepiscopus, necnon Rotæ Romanæ Auditor. VIII. Marcus Gallius Senensis, Ariminensis Episcopus. IX. Flaminius del Taya pariter Senensis, Rotæ Auditor. X. F. Raymundus Capizuchius patria Romanus ex Ord. FF. Prædicatorum, sacri Palatii Magister. XI. Joannes Baptista de Luca, Veronensis, utriusque Signaturæ Referendarius, & summi Pontificis Auditor. XII. F. Laurentius Brancatus de Laurea Ord. FF. Minorum Conventualium, SS. Theologiæ Professor, & Apostolicus Vaticanæ Bibliothecæ Custos, necnon Episcoporum Examinator. XIII. Urbanus Sacchetus, Florentinus Generalis Auditor Cameræ Apostolicæ. XIV. Joannes Franciscus Gineti, Romanus, ærarii Pontificii Magister. XV. Benedictus Pamphilius patria Romanus, Eques S. Joannis Jerosolymitani. XVI. Michael Angelus Ricci, itidem Romanus, Congregationis Indulgentiarum Secretarius. Fingunt quidem Protestantes Historici, quod Regem Ludovicum, eoquod nullus e Gallica natione ad Purpuram a Papa fuisset assumptus, hic contemptus tædio affecerit non exiguo; ast Innocentius, nec Hispanum nec Germanum &c. assumpsit, eoque fine undecim adhuc Sedes reliquit vacantes, ut

ut alio tempore illos, qui a Regibus nominari solent, creare posset. Sæc. XVII. A. C. 1681.

## §. XLIII.

## *Comitia Sopronii in Hungaria pro sedanda Protestantium rebellione habita.*

Habebatur hoc anno die decima octava Martii Tyrnaviæ Hungariæ Procerum conventus, cui Esterhasius & Forgatsius natione Hungari, ut intrusæ gentis Germanæ calumnia declinaretur, præerant: Speratæ tamen pacis successum rursus intercidebant Protestantes, qui recoctis veteribus querelis Hungariam Germano milite liberari, omniaque Templa reddi pertinaciter petebant: cum autem ejusmodi postulata tam Cæsaris dignitati, quam Reipublicæ bono adversarentur, omnibusque probe perspectum esset, quod concessa sectæ libertate, Protestantium perduellioni atque impietati ad quævis audenda habenæ laxarentur, aliunde vero Cæsar jam antea eis Templa suo ære constructa concessisset, hinc non modo Emericus ex Ordine Capucinorum Viennensis Episcopus, ac Clerici, sed ipsi etiam Hungariæ Proceres eorum petulantia irritati, illis exprobrabant, quod insuper Ecclesias Catho- *Wagner vit. Leop. lib. 8. pag. 564.*

Sæc. XVII. A. C. 1681.

licis, ac vetuſtiſſimis earum Poſſeſſoribus, nonniſi armatæ rebellionis, ac Turcicæ violentiæ auxilio per vim ereptas, nec ullo unquam aut comitiorum, aut Regis, vel Palatini conſenſu uſurpatas extorquere præſumerent, ac propterea ſeditionem ſuam Religionis velamine tegentes, univerſum Regnum tumultibus permiſcerent. Simulabat Emericus Töckelius rebellium Princeps animum ad pacem propenſum, ſeque fore Catholicum ſpondebat, ſi compenſatis damnis Cæſar, ut Helenam Ragotſiam ducere poſſet, conſentiret: Verum Leopoldus ſeditionis faces nuptialibus tædis, indeque nova præcipuorum rebellium affinitate acrius exarſuras reſtinguere, inconſultum ratus, prius poſitis armis, dimiſſisque exteris militibus, & compoſita rebellione certiora fidei argumenta ab eo dari petiit. Hac repulſa offenſus Töckelius, capta Bartfelda totam circum regionem fœde devaſtabat, ac Zatmaria incaſſum tentata tripartitum exercitum ſuum diviſit, partemque Balaſſo ad diripiendam Moraviam, Petrozio alteram ad invadendam Sileſiam tradidit, ipſe vero cum reliquis Cæſareos in Hungaria oppugnare ſtatuit; cunctorum tamen molimina Starenbergius & Caprara Cæſarei exercitus Duces everterunt. Interim

terim vero de comitiis Sopronii habendis Viennæ deliberatum est. Præfigitur Mensis Majus, convocat publicis literis Ordines Paulus Esterhasius, conveniunt magno numero Hungariæ Proceres, unacum Strigoniensi Episcopo, & Forgatsio Comite. Tökelius tamen Gallorum opibus, Turcarum & Polonorum copiis tumidus, ut ad comitia veniret, permoveri haud potuit, etsi induciæ, sectæque libertas ultra Tibiscum profitendæ suis promitteretur, ac ipsemet Cæsar jam vigesima secunda Maij solemni apparatu adveniisset: Altera igitur die Leopoldus Imperator ornatissima oratione latina comitiis initium fecit, ac præprimis Regni Palatinum eligi præcepit. Nominati sunt ad delectum Joannes Colonitsius Hungaricæ Curiæ Præses, Nicolaus Erdödus Croatiæ Prorex, Petrus Czackius, & Paulus Esterhasius, qui postremus etiam unanimi omnium calculo die decima tertia Junii electus, eadem die Cæsari juratum fidelitatis homagium exsolvit. His peractis agebatur de rei deliberandæ summa, quæ ad duo Religionis, Germanique militis capita reducebatur: Protestantes igitur præ ceteris querebantur, Templa esse erepta, proscriptos Prædicantes, Religionis indultæ exercitia interdicta,

Sæc. XVII. A.C. 1681.

Sæc. XVII. A. C. 1681.

Protestaness Magistratibus exclusos, plurimosque metu, minis & verberibus ad Catholicorum sacra adactos: Ad hasce criminationes responderunt Catholici, anno quidem hujus sæculi decimo sexto non ex debito, sed Cæsaris benignitate eis sectæ libertatem fuisse indultam, ea tamen lege, ne exinde Catholicæ religioni præjudicium fieret: non fuisse erepta eis Templa, sed duntaxat recuperata Catholicis propria, quæ ipsi conculcata vera religione Regno coæva, Sacerdotibus barborum more excarnificatis, contemeratis omni impietate sacrosanctis mysteriis, direptisque petulanter ornamentis, nonnisi armata Turcarum ope Catholicis suffurati essent; sique aliquamdiu hæc Templa usurpassent, ea tolerandi indulgentiam a temporum iniquitate, & resistendi impotentia extortam fuisse. Prædicantes vero non ob religionem, sed horrenda scelera, conjurationes, sacrilegia, & inhumanas in Catholicos crudelitates fuisse mulctatos, ex æquissima sententia judicum, quorum dimidia pars ex ipsis Protestantibus constitissset, patere, Catholicos autem, si Protestantes ab officiis publicis excluſissent, nonnisi vices rependisse: in quatuordecim tamen comitatibus, totaque ferme superiore Hungaria Calvinistas & Lutheranos dominari, eosque

Verwürrtes Ungerland. pag. 270.

que nequidem Catholici nominis vestigium reliquisse: cum autem interim nuntiatum esset, quod Calvinistæ rebelles Hamonam urbem interceperint, eaque penitus direpta, plurimisque ædibus atque Ecclesiis in cineres redactis quatuor Franciscanos barbara crudelitate trucidarint, cunctosque Sacerdotes Catholicos, quos infausta sors in manus dedit, pari sævitia, tollendos minitati essent, ac insuper Töckelius audacter solvenda Turcis tributa, quæ datis in pignus uxoribus prolibusque spoponderat, Cæsari imponeret, & cum duodecim rebellium millibus trajecto Tibisco in Hungariam irrumpere pararet, hinc Imperator rursus majoris mali metu territus, necnon Gabrielis Oxenstirnii Sueci Oratoris precibus ac minis expugnatus, seditiosis tam Helveticæ, quam Augustanæ Confessionis Proceribus, si ad obsequium reversi, nec Parochis nec Dominis, in quorum fundo degunt, molestiam sint caussaturi, sectæ libertatem pollicitus est, insuper concessit, ut Templa, quæ in permixtæ dominationis urbibus possident, retinerent, & reliqua, qua anno septuagesimo conditione fuerint, recuperarent, necnon Posonii, ceterisque Regiis oppidis in loco proxime designando unum Templum suo ære ex-

Sæc. XVII. A. C. 1681.

Sæc. XVII. A. C. 1681.

struere valerent. Verum hæc ipsa Cæsaris indulgentia omni exspectatione major Protestantes ad obsequium emollire haud poterat; hi enim, quamvis a Bauningio Batavorum Oratore ad moderandum in Catholicos odium admoniti essent, a postulatis suis ne latum unguem desistere statuerunt, eorum audaciam inflammante Töckelio, qui unacum Abaffio Transylvaniæ Principe, Turcis, Transylvanis, Valachis, Moldavisque Scepusium, Beserminum, Kaloam montanasque urbes intercepit, totamque trans Tibiscanam Regionem, incendiis, terrore, ac latrociniis depopulatus est. Rursus etiam Abaffius Zatmariam urbem arcta obsidione cinxit, Transylvaniam vero novo servitutis jugo adstringi veritus, e medio conatu se recepit, ab insequentibus Hussaris multa cæde, spoliisque mulctatus.

## §. XLIV.

## *Comitiorum successus.*

*Theatr. Europ. Priet. Annal cont. pag. 963.*

Indignabatur vehementer Leopoldus Imperator, quod, Protestantium ferociam nulla re magis, quam sua indulgentia irritari, iterato experimento comprobatum cerneret, quocirca dilato Religionis negotio politicas Magnatum tam Catholicorum quam Protestantium quere-

querelas discuti jussit. Hi ergo die septima Septembris petebant, ne deinceps rebus pacatis exteri milites sine Regni auctoritate inducerentur, ab iisque Nobiles ac populi non molestarentur, Hungari præsidiarii in arcibus, oppidisque Regiis ex Cæsaris ærario alerentur, atque instaurandis limitum præsidiis Papa & Hispaniæ Rex stipem conferre rogarentur. Nobiles ad extera tribunalia non raperentur, nec decretæ in perduelles pœnæ ad Filios pertraherentur, Regnum exactionibus insolitis non gravaretur, & Nobiles a tributis eximerentur, Hungariæ finibus tandem designatis, libera mercium negotiatio non interdiceretur, graviora Regni negotia non sine comitiorum auctoritate pertractarentur, præter Cæsareum etiam Hungarus Orator Constantinopoli foret; Regni dignitatibus non exteri, sed Hungari præessent, atque ad reliqua gravamina maturius discutienda Posonii nova celebrarentur comitia. Ad hæc Cæsar respondit, nil sibi gratius fore, quam si extincta seditione copias suas alibi necessarias reducere posset, nunc vero Protestantibus cum triginta suorum millibus, Turcisque cum ingenti exercitu Austriæ ruinam minitantibus id insanum fore, si vero milites sui licentius egissent,

Sæc. XVII. A. C. 1681.

Sæc. XVII. A. C. 1681.

cognita culpa eos omni severitate plectendos, minus autem æquum esse, ut copiæ unice in Hungarorum securitatem pugnantes, alieno sumptu penitus alerentur, de cetero autem Majestatis læsæ reos, petita venia, liberos esse dimittendos, ac cessante bello Nobiles quoque nullis exactionibus esse gravandos, in belli autem impendium & limitaneas munitiones subsidia conferre, necesse esse, concessam negotiationis libertatem revocatum, & Hungariæ fines præcipue ad Moraviam, Silesiam &c. proxime descriptum iri: Cetera omnia Magnatum postulata indulgentissimus Cæsar pauculis immutatis probavit, atque in leges referri concessit. Nec tamen his contenti Hungariæ Proceres, insuper Colonitsium Comitem Hungaricæ Curiæ Præsidem suo munere amoveri, ac Nationis suæ laicum subrogari, & rebellium Comitum nuper capite plexorum bona eorum familiis restitui, ac Protestantibus liberrimum ubique sectæ exercitium, imo mille Ecclesias eis reddi postulabant: Attamen Cæsar se præter jam concessa nil amplius indulturum, nec Colonitsium optime meritum sine omni culpa tanta infamia affecturum respondit: nihilominus Comes, ut eo facilius rebelles compesci, & pax restitui posset, ultro

ultro sese suo abdicavit officio, ipse etiam eadem ex caussa Strigoniensis Archiepiscopus juri, vi cujus defuncti Palatini vices agere ab antiquo concessum, sponte cessit. Sæc. XVII. A. C. 1681.

Postquam igitur Cæsar ac Catholici Magnates ferme omnia rebellibus clementer indulserant, quæ vel nutantem vel fractam eorum fidem ad debiti obsequii leges denuo componere possent, concordiæ spes affulgere videbatur: verum Turcarum Imperator, quamvis eodem ferme Mense Alberto Capraræ Cæsaris Oratori pacem ad alios duodecim annos se protracturum spopondisset, Töckelii tamen ac rebellium impulsu, tredecim Janissarorum, & viginti Equitum millia seditiosis submisit, datisque literis Abasium jussit, ut sese cum toto Transylvanorum, ac Valachorum robore illis nulla mora conjungeret. Paruit huic mandato Abassius, atque jactato tuendæ Religionis, libertatisque obtentu in Superiorem Hungariam irrupit, rursusque incassum tentata Zatmaria urbe octo pagos diripuit, ac inde plusquam mille juvenes abstractos Turcis submisit: paulopost tamen Baragotsius Hungaro-Cæsarei exercitus Dux rebellium agmen adortus, trucidato eorum Ductore, aliisque octoginta novem, quamplurimos captos abduxit, iteratoque prælio cæsis plus-

quam

Sæc. XVII. A. C. 1681.

quam quadringentis ceteros in fugam egit, & Barbaros in Turcarum ditiones retrusit. Interim fideles Hungariæ Magnates Töckelium, ut ab infami Turcarum societate desisteret, oblatamque Cæsaris gratiam admitteret, maximopere hortabantur, ipse etiam Cæsar Saponaram Baronem ad eundem ablegavit, eique plenam præteritorum oblivionem, omne clementiæ officium, necnon Ragotsiam ducendi licentiam obtulit, dummodo dimisso milite comitiorum legibus obtemperaret. Hic ergo se errorem suum, & Cæsaris clementiam agnoscere simulans, rogabat, ut Cæsar inducias concederet, se interim Budam profecturum, ibidemque cum Bassa, apud quem plurimum gratia valeret, rem confecturum. Enimvero Budam venit, sed ad Turcarum Senatum admissus, exposuit, se adventasse, ut se, suamque nationem Sultano tributariam redderet, atque ad restaurandam sectæ, patriæque libertatem ejus opem imploraret: postea Protestantibus maximo numero ad sua signa convolantibus, tacito nomine per Hungariam seditiosum disseminavit libellum, quo Hungaros, ne fallacis clementiæ velamine sese excæcari permitterent, ad armorum societatem provocare nitebatur. Cognita igitur rebellium perfidia,

fidia, ac Proteſtantium pertinacia, cum ad præſtitutum terminum nec comparuiſſent, nec oblatam veniam ac inducias acceptaſſent, ſonantibus tubis ac tympanis, omnibus privilegiis ac libertatibus tanquam jurati hoſtes excidiſſe, omnium Procerum conſenſu declarati ſunt. Poſtmodum Magdalena Thereſia Cæſaris Conjux more majorum in Hungariæ Reginam die nona Decembris a Strigonienſi Archiepiſcopo uncta ac coronata eſt, quibus peractis horum comitiorum acta die decima tertia Decembris ab Hungariæ Magnatibus ſubſcripta a Cæſare confirmata fuere, denuo, fruſtra tamen, reclamantibus ſeditioſis Proteſtantibus, quibus a clementiſſimo Cæſare in Regno tolerari, ſatis non erat, ſed dominari geſtientes, ubicunque erant, primo talparum more occulta Reipublicæ fundamenta ſuffoderunt, mox autem aucto ſuorum numero per apertas ſeditiones integrum Regnum evertere moliti ſunt.

Sæc. XVII. A. C. 1681.

## §. XLV.

### *Hugonottæ in Galliis repreſſi.*

Quamvis Ludovicus Rex protendendi ſui Regni cupidine incitatus, rebelles Proteſtantes in Hungaria adverſus Cæſarem omni ſubſidiorum genere fulci-

*Carol. mem. pag. 286. Hode Hiſt. de Louis XIV. l. II. pag. 222.*

Sæc. XVII. A. C. 1681.

fulciret, ipsa tamen noxia eorum rebellione ac potentia territus, ex alieno periculo propriæ suæ domui prospicere edocebatur; eapropter succisis Hugonotarum viribus, sensim a periculosa hac peste Regnum suum expurgare statuit; ad pii hujus consilii executionem viam magis expeditam sternebat armorum felicitas; postquam enim mortuo Friderico Ludovico Duce Bipontino hunc Ducatum sibi vendicaverat, eumque Christiano Birckenfeldano Duci ob præstitum sibi fidei sacramentum feudi nomine tradiderat, conversis in Alsatiam armis Argentinensem urbem inopina celeritate adortus, ad deditionem compulit, omnesque Alsatiæ Nobiles atque incolas Brisaccum venire jussos ad præstandum homagium adegit. Die vigesima tertia Octobris Argentinam victor ingressus, hanc Diæcesin Francisco Egoni de Fürstenberg, ædem vero Cathedralem a centum quinquaginta duobus annis a Lutheranis usurpatam Canonicis restituit, ceterasque Ecclesias profano ritu pollutas rursus ad verum Dei cultum sacrari jussit, indulta adhuc Lutheranis libertate, ut destinata hora ibidem suas cantilenas deblaterare possent: anno autem sequenti tam in Alsatia, quam in vicinis locis nuper subactis Sectarios hortaba-

tabatur, ut vel Catholicam fidem amplecterentur, ac Missæ Sacrificium frequentarent, vel Regiis ditionibus exularent, & Argentinenses Templum Thomanum Jesuitis cum omnibus proventibus cederent, iisdemque de commodo exstruendi Collegii loco prospicerent; quibus etiam tandem Canonicorum Collegium seu ædes illæ, quæ vulgo *Aula* Fratrum seu Brueder-Hof vocantur, assignatæ fuerunt. Postquam vero Ludovicus Rex Casalem urbem in Italia sibi a Duce Mantuano permissam occupaverat, simulque Comitatum Chimiensem, quem ob neglectum ab Hispano Rege homagium feudi titulo ad Barrensem Ducatum Curia Metensis devolutum pronuntiabat, sibi vendicarat, promulgato edicto Hugonotis in Galliis omnia Templa, quæ feudi rationem habebant, ademit, eoquod eorum possessores religione Catholici essent. Ad Regis exemplum pariter Metensis Episcopus Lüzelsteinii sectatorum Ecclesias Catholicis, quibus jure debebantur, restituit, importunis tamen, ac pene armatis precibus devictus, Ecclesiæ partem tabulatis segregatam, illis relinquere cogebatur. Præterea Rex in Normania quatuor Calviniſtarum Templa contra Nannetense edictum erecta solo æquari jussit, alioque decreto

Sæc. XVII. A. C. 1681.

Cha-

Sæc. XVII. A.C. 1681.

Charentonii, Rupellis atque in Occitania præcepit, ut Hugonotarum pueri ac puellæ septimum ætatis annum egressi Sacerdotibus, ut etiam de rebus Catholicæ fidei imbuti inter utramque religionem discernere possent, instituendi traderentur, ac postea eis optio fieret, quam velint religionem amplecti: quoniam vero in Sedanensi Academia juventuti dogmata non modo veræ fidei, sed etiam Regni tranquillitati noxia fuissent instillata, hinc Rex præfatam Scholam Jesuitis pollicitus est, omnibusque Notariis, Procuratoribus, ac Curiæ Ministris significari jussit, ut vel sectæ vel officio suo nuntium mitterent.

## §. XLVI.

## *Joannis Everhardi Nidardi Cardinalis obitus.*

*Eggs Purpura docta.*

Prima hujus anni auspicia Joannes Everhardus Nidardus vitæ suæ exitialia habuit, Romæ die trigesimo Januarii defunctus. Hic in Austriæ Superioris arce Falckensteiniana anno hujus sæculi septimo natus, Societatem ingressus est, ubi emensis studiorum stadiis in Græcensi Academia Professorem aliquamdiu egit, donec Mariæ Annæ Ferdinandi III. Cæsaris Filiæ & Leo-

Leopoldi I. a confessionibus esse jussus, ipsam Mariam Annam Philippo IV. Regi desponsatam in Hispaniam comitaretur: Quamdiu Rex vita superstes erat, Nidardus universæ Aulæ cumulate satisfecit, eo autem vivis sublato, cum Reginæ animo dominari, Regnumque pro supremo arbitrio administrare argueretur, ab Aulæ Proceribus, præcipue Joanne Austriaco tam dire impetebatur, ut dimisso Inquisitoris Generalis officio a Regno exulare cogeretur, nequaquam tamen ab Hispaniæ Regina derelictus, ad cujus preces Edessensis Archiepiscopus, ac demum Cardinalis renuntiabatur, tandem vero annis æque ac meritis gravis anno ætatis suæ septuagesimo quarto decessit. Edidit Nidardus quædam in laudem immaculatæ Conceptionis. Sæc. XVII. A. C. 1681.

## §. XLVII.

## *Cælii Piccolominei Cardinalis extrema.*

Hunc pari mortis necessitate sequebatur Cælius Piccolomineus patria Senensis, qui literis insigniter imbutus, ac Doctoratus laurea, & Magistrali Cathedra in Senensi Gymnasio donatus, ab Urbano VIII. Cameræ Apostolicæ Prælatus renuntiabatur, ab eodemque *Old. in contin. Ciacon. in vit. Alex. VII.*

Sæc. XVII. A. C. 1681.

ad ſedandos belli tumultus circa Caſtrum exortos Legatus ad Ludovicum XIV. Franciæ Regem decernebatur: Mortuo autem hoc Pontifice, cum fortunæ curſum interruptum cerneret, rurſus defendendis forenſibus cauſſis animum applicuit, donec refloreſcente fortuna ſub Alexandro VII. intimus Cubicularius, libellorum ſupplicum Magiſter, Baſilicæ Vaticanæ Canonicus, ac demum Cæſareenſis Archiepiſcopus crearetur, quo munere auctus, ab eodem Pontifice in Gallias mittebatur, ubi mira ſua prudentia animique candore Franciæ Regem Pontifici propenſum reddidit, eumque ſuſpenſo in Cæſarem bello ad ineundum fœdus contra Turcas permovit, exortamque inter Corſos & Gallicos milites contentionem feliciter ſedavit: unde in rei bene geſtæ præmium Romana Purpura, atque Exarchatus Ravennatenſis Præfectura decoratus, utrumque munus cum maximo decore, juſtitiæ encomio, & populorum proventu ſuſtinuit: variis demum ac præcipuis Patrum Cætibus adſcriptus, necnon Senenſi Infula donatus, ibidem die vigeſima quarta Maij annos natus ſeptuaginta duos meritis ac ſenio gravis mortalitatem exuit: Scripſit varia ad jurisprudentiam ſpectantia, terſas epiſtolas, carmina Etru-

Etruſca, orationes, acta ſuarum legationum, & nonnulla alia. Sæc. XVII. A. C. 1681.

## §. XLVIII.

## *Petri Vidoni Cardinalis funus.*

Ambos hoſce Cardinales æternitatis itinere præceſſerat Petrus Vidonus patria Cremonenſis, qui in celebrioribus Italiæ Academiis ſacratiores literas promerita etiam laurea hauſit, atque in ipſo Juventutis flore ab Urbano VIII. ad ſummas adminiſtrationes, ardua Eccleſiæ negotia, & ad varias urbes moderandas adhibitus eſt. Rexerat etiam verus Paſtor Eccleſiam Laudenſem, quam non modo ſacra ſuppellectile exornavit, ſed etiam ære alieno preſſam ſuis pecuniis liberam reddidit, populumque optimis legibus, moribusque inſtruxit: inde vero ab Innocentio X. Romam evocatus, ad Joannem Caſimirum Poloniæ Regem Apoſtolicus Sacræ Sedis Nuntius decernebatur, qua legatione ſtrenue defunctus, ab Alexandro VII. Cardinalium Collegio adſcriptus eſt, paulopoſt ad Bononienſem Legationem nominatus, cui, cum per triennium, necnon variis Cardinalium Congregationibus præfuiſſet, Romæ die ſexta Januarii vivis valedixit, anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo primo.

Sæc. XVII. A. C. 1681.

## §. XLIX.

## *Caroli Rosetti Cardinalis obitus.*

*Palat. Fast. Card. Ciacon. in vita Urban. VIII. Balanc. des Card. p. 214. Vid. supra t. 199. §. 98. t. 60. p. 331. 497. 507. 654.*

Postremus ex Purpuratis hoc anno decessit Carolus Rossetus patria Ferrariensis, qui a summo Pontifice Londinum ad Angliæ Reginam Nuntius missus, quanta ibidem ob Religionis studium perpeti coactus fuerit, jam alibi memoravimus, inde ergo redux ad Colonienſem pacis conventum decretus, Gallorum invidiam sibi accersebat, eoquod Hispanis nimium addictus crederetur: Biennio tamen Coloniæ moratus, ac Galliarum Reginæ, quæ tum Coloniæ degebat, percharus, primo Faventinus Episcopus, ac paulo post ab Urbano VIII. Cardinalis renuntiabatur: cum autem virtutibus, prudentia, animique sinceritate præstans esset, ad Monasterienſem Conventum Legatus a latere nominabatur, minus tamen bene cum Chisio Cardinale conveniebat, quocirca Romam reversus ipso hoc Cardinale sub nomine Alexandri VII. ad Petri Cathedram evecto omnino ad suum Episcopatum contendit, ubi ipsemet frequenter ad populum dicens, suis fidelibus Sacramenta administravit, cunctasque boni Pastoris partes explevit, ac vitæ innocentia, morum-

morumque integritate cunctis exemplo ad virtutem præluxit, donec tandem Faventiæ hoc anno beato fine quievisset. Sæc. XVII. A.C. 1681.

## §. L.

## *Diversæ Innocentii XI. Constitutiones.*

Pluribus caussis hoc anno ad Sacram Sedem delatis Innocentius XI. varia edidit decreta, ac præprimis SS. Joannis de Matha, & Felicis Valesii Festum, quod Clemens X. in tota Hispania celebrari indulsit, ad universam quoque Galliam, sicut etiam festum S. Rosæ Limanæ ad Lusitaniam extendit: cum autem quidam Christiani a Judæis descendentes, & ob imputata crimina in Inquisitionis Lusitanæ carceribus detenti apud Papam quererentur, quod non sine justitiæ læsione ad publicam abjurationem cogerentur, hinc jam Clemens X. horum caussam, & acta ad Cardinalium Congregationem evocabat, postea autem Innocentius XI. Verissimo Inquisitori Generali & Braccarensi Archiepiscopo per Marcellum Sedis Apostolicæ Nuntium potestatem reddidit, ut servato juris ordine, juxta justitiæ & Constitutionum Apostolicarum Regulas in hosce reos, *Bull. magn. Innoc. XI. Const.* 11.

Sæc. XVII. A. C. 1681.

non tamen ad perpetuas triremes, aut bonorum confiscationes, procedere posfit, actaque Romam mitteret, cum autem Veriſſimus morem gerere detrectaret, pœnam ſuſpenſionis incurriſſe declarabatur, tandem vero, quia duo ex hiſce actibus ad ſacram Sedem transmiſiſſet, a ſuſpenſione relaxatus eſt: Pontifex tamen certam de rebus in Inquiſitionis officio gerendis normam die vigeſima ſecunda Auguſti præſcripſit. Sub idem ferme tempus Hiſpaniæ Legatus Regis ſui nomine pretioſiſſimum turribulum plusquam bis mille coronatis conſtans Romæ in Templo S. Rochi obtulit, Pontifex vero plenariam indulgentiam conceſſit omnibus, qui ibidem, necnon in Eccleſia S. Mariæ Majoris Deum exorarent, ut ab Hiſpaniæ Regnis ac Provinciis peſtiferam luem clementer avertere velit. Denique ſummus Pontifex Alexandri Sigismundi Comitis Palatini Rheni electionem in Coadjutorem Joannis Chriſtophori de Freyberg Auguſtani Epiſcopi a Capitulo factam confirmavit.

## §. LI.

## *Variæ SS. Congregationum deciſiones.*

Inter

Inter varia dubia ſubinde propoſita, atque a Sacris Congregationibus Romanis deciſa, etiam die undecima Januarii Sacra Rituum Congregatio declaravit, quod occurrente feſto Purificationis in Dominicis ſeptuageſimæ vel aliis, ubi hoc feſtum transfertur, die ſecunda Februarii poſt Completorium recitanda ſit antiphona: *Ave Regina cælorum*, ſi vero eadem die occurrant duo officia, quorum unum ſit particulare Ordinis, alterum vero deſcriptum in univerſali Calendario, & utrumque ejusdem ritus, tunc transferendum ſit officium de Calendario, & recitandum officium ſancti proprii, dummodo ſit antiquior: pariter officium SS. Angelorum Cuſtodum concurrens cum alio duplici minori, debeat habere integras utrasque veſperas. Die autem vigeſima ejusdem Menſis deciſum, quod quamvis in Miſſa ſolemni in die obitus, vel Anniverſarii ſolemnis dicenda ſit unica oratio, id tamen locum non habeat in die prima Menſis, vel feria ſecunda, dum Miſſa principalis ſit pro defunctis. Poſtrema autem hujus Menſis die S. Congregatio Indicis damnavit hunc librum: *Reſolutio Theologica moralis, in qua occaſione cujusdam caſus occurrentis propugnatur, licite permitti poſſe meretrices, ubicunque majora mala aliter vitari*

Sæc. XVII. A. C. 1681.

*Deciſ. SS. Congr. Rit. Off. Rotæ &c.*

Sæc. XVII. A. C. 1681.

*non possunt.* Die autem decima Maij S. Concilii Congregatio declaravit, quod Parochi teneantur pro Parochianis Sacrificium applicare, & quidem, si reditus sint pingues, singulis diebus, si tenues, saltem diebus festivis: Eadem quoque Congregatio die quinta Julii decidit, quod Beneficiati debeant obsequi Canonicis, nec iis æquiparari. Denique die vigesima tertia Augusti censuit, quod Abbates Cistercienſium possint per Abbatem Generalem vel Vicarios Generales, aut alios ab eo subdelegatos benedici, etsi Abbates provideantur a Dataria cum clausula, ut recipiant benedictionem a Catholico Antistite.

## §. LII.

### *Natalis Vieuville a Sorbona mulctatus.*

*Argentre Collect. Jud. t. 3. part. 2.*

Habebat die decima octava Augusti Natalis Vieuvilleus Baccalaureus pro obtinenda prima Doctoratus Laurea suam disputationem, in qua præter alias propositiones Parisiis propugnabat, *libidinem sentiendi, nunquam esse sine peccato*, ac Doctoribus, qui hanc thesin impugnabant, respondebat, motus concupiscentiæ primo primos esse peccata, necnon peccata dari quædam involuntaria & necessaria &c. cum ergo de ejus-

ejusmodi responsionibus plurimi quererentur Doctores, Edmundus Pirotus Sorbonæ Syndicus conscriptam tradidit sanæ doctrinæ declarationem, quam Natalis in proxima disputatione die trigesima præfati Mensis prælegeret. Verum Baccalaureus, incassum etiam hortante Præside, id facere recusabat, quapropter Facultas Parisiensis Theologica septem nominavit Doctores, qui hanc causſam discuterent, & desuper in proximis comitiis referrent. Hi ergo præstituta die declararunt, quod præfati Baccalaurei thesis in multis propositionibus subdole & maligne esset contexta, ac ipsemet disputans inter respondendum multa protulisset minus orthodoxa, & damnatis Jansenii propositionibus consona; jubebatur igitur, palam profiteri, se quinque Jansenii propositiones in ipsius sensu damnare, id vero non semel, sed iterato, ac pertinacissime renuit, hinc ob tantam pervicaciam censuerunt Doctores, præfatum Natalem peccasse in Constitutiones Apostolicas, &Facultatis censuras, quibus Jansenii doctrina damnatur, proin pœnis ibidem statutis eum subjacere, atque omni jure ac Doctoratus laurea privari, suoque gradu illum excidisse: Hoc deputatorum judicium Facultas post maturam deliberationem die octava

Sæc. XVII. A. C. 1681.

Sæc. XVII. A. C. 1681.

Novembris executioni dedit. Sub idem tempus David Clericus apud Antistites Cleri Gallicani Parisiis congregatos accusabatur, quod in suo libro *de Canonicis Episcoporum judiciis* docuisset, Episcoporum causas in primo congressu ad Tribunal Pontificis deferri posse, nec sine auctoritate Romani Pontificis quicquam ab Episcopis in Concilio congregatis definiri posse, Romanumque Pontificem in dijudicandis etiam quæstionibus facti infallibilem esse. Hæc ex suo libro perperam deduci, sibique imponi, David scriptotenus declarare cogebatur, ut Gallorum Antistitum, qui se immotos Pontificiæ auctoritatis vindices verbis profitebantur, indignationem, severasque pœnas evitare posset.

## §. LIII.

## *Synodi Tornacensis decreta.*

*Concil. German. t.* 10.

Hoc item anno die vigesima secunda Aprilis Gilbertus Choiseulius Tornacensis Episcopus denuo suam Diœcesanam celebravit Synodum, in qua sublatis quibusdam corruptelis prohibitum, ne infantes, antequam primum a nativitate annum compleverint, in Parentum lectis ponantur, nec etiam nocturni conventus inter utriusque sexus Personas fiant. Præcepit insuper Syno-

Synodus, ut in omnibus Bibliopolarum officinis diligens fiat inquisitio in libros scandalosos, infames, atque hæreticos. Denique statutum, ut quando petitur portio Canonica, antiqui reditus abdicentur in favorem decimatorum, prius tamen petita Episcopi licentia: Paschalis autem communio in illa Parochia suscipiatur, in qua quis majore anni parte degit. Sæc. XVII. A. C. 1681.

## §. LIV.

## *Innocentii XI. epistola contra intrusos Apamiensis Ecclesiæ Vicarios.*

Postquam Michael Daubredus a Capitulo Apamiensi electus Vicarius Generalis, eoquod contra Regalistas Ecclesiæ immunitatem ad defuncti Antistitis sui exemplum strenue defendisset, primo in exilium ac postea in carceres detrusus fuerat, idem Capitulum Joannem Cerlem Canonicum ac Præcentorem Daubredo suffecit: Cum autem Innocentius XI. Papa perceptis Regalistarum artibus ac violentiis probe prospiceret, haud dubie ab iis alios intrusum iri, hinc non modo præfati Cerlis electionem confirmavit, sed etiam cuncta ab iis, qui profana potestate muniti hoc officium usurpaturi essent, attentanda omnino irrita declaravit, datis

*Gall. vind. p. 82. & 304. Acta Cleri Gall. t. 7. Hode Hist. de Louis XIV. l. 40. Mem. Chron. & Dogm.*

Sæc. XVII. A. C. 1681.

datis die prima Januarii ad Cerlem, ceterosque Canonicos hiſce literis: „Quoniam novas in dies prodire accipi„mus Sathanæ artes, & machinatio„nes, ut quæ a piæ recordationis Fran„ciſco Epiſcopo Veſtro pro iſtius Eccle„ſiæ, & Diœceſis utilitate ſalubriter „ſtatuta fuere, penitus evertat, & eo„rum, quæ hucusque acciderunt, ex„perientia nos admonet, non defuturos „filios perditionis, errare facientes in „via plurimos, qui miſcere, ac turbare „nituntur omnia, perperam interpre„tando literarum ac mandatorum no„ſtrorum ſenſus, ut excuſent pro more „ſuo excuſationes in peccatis. Nos ne „ullum hujusmodi hominum molitioni„bus locum relinquamus, ad literas, „quas die ſecunda menſis Octobris, ſu„per negotio Vicariatus Capitularis ad „vos dedimus, uberius explicandas per „Præſentes addendum duximus. Quod „ſi quis præter Vicarios Capitulares, „qui a vobis verum Apamienſis Eccle„ſiæ Capitulum conſtituentibus, Cano„nice, & de more electi fuerunt, vel „pro re nata eligentur, quos authori„tate Apoſtolica, quatenus opus ſit, „confirmamus, & reſpective confirma„bimus, Vicariatus ejusmodi nomen, „auctoritatemve quocumque titulo e„lectionis, vel deputationis factæ ab „in-

„intrusis in Canonicatus ejusdem Ca- Sæc. XVII.
„thedralis, quos idem Episcopus pro- A.C. 1681.
„mulgavit obstrictos censuris Concilii
„Lugdunensis; vel ab ipso Metropoli-
„tano, vel ab alia quacunque potestate
„usurpare præsumpserit: omnia ab ipsis
„eo nomine acta vel agenda, decreta
„vel decernenda, cum omnibus & sin-
„gulis inde secutis, & quomodolibet
„secuturis, temeraria, & a non haben-
„tibus potestatem attentata, ideoque
„irrita & inania, ac nullius roboris
„fuisse, nec unquam fore declaramus;
„eisque, qui prætextu electionis, vel
„deputationis ejusmodi ullam juris-
„dictionem exercere ausi fuerint, in
„virtute sanctæ Obedientiæ, & sub
„pœna majoris excommunicationis, pri-
„vationis dignitatum & Beneficiorum,
„quæ obtinent, & ad alia obtinenda in-
„habilitatis perpetuæ ipso facto incur-
„rendæ districte prohibemus, & inter-
„dicimus, ne id facere ulterius præ-
„sumant. Eos quoque, qui iis quo-
„modolibet paruerint, aut favorem,
„consilium, & auctoritatem quocunque
„modo præstiterint, cujuscunque ordi-
„nis, gradus ac dignitatis sint, tam
„Laicos, quam Clericos, tam Sæcu-
„lares, quam Regulares, etiam Patres
„Societatis jesu, & Metropolitanum
„ipsum, quem cæteroqui præter causæ
„meri-

Sæc. XVII. A. C. 1681.

„meritum, perſpecta voluntas noſtra, „& per nos admiſſa appellatio ab ejus „ſententiis, debent in officio continere, „ſimilibus reſpective pœnis eo ipſo & „absque alia declaratione innodamus, „& innodatos fore decernimus, ac man- „damus; ac earumdem pœnarum ab- „ſolutionem, & relaxationem Nobis & „Romano Pontifici pro tempore exiſten- „ti duntaxat ſpecialiter reſervamus: „monentes inſuper utriusque ſexus fi- „deles, de quarum æterna Salute ſol- „liciti eſſe debemus, invalidas eſſe ac „fore confeſſiones, quas Presbyteri Sæ- „culares, vel Regulares vigore facul- „tatis a prædictis nulliter electis, vel „deputatis Vicariis, audierint, vel in „poſterum audient: nulla & invalida „matrimonia coram Sacerdote aut Pa- „rocho, non Canonice ingreſſo, con- „tracta, vigore licentiæ ab eis con- „ceſſæ, ac proinde ſic contrahentes in „concubinatu victuros: idemque de Pa- „rochiis, & aliis Beneficiis per eos „collatis decernimus, & ordinamus; „& de Licentiis concionandi, & de „quocunque alio actu, aut decreto per „eos facto, vel faciendo. Vos interim, „dilecti Filii, loci & muneris veſtri me- „mores, in creditam vobis curam dili- „genter incumbite, & hauſtam ab e- „gregio Paſtore, & Patre veſtro diſci- „pli-

„plinam, Apamienſis Eccleſiæ bono, Sæc. XVII.
„& aliarum incitamento conſtanter re- A.C. 1681.
„tinete.„

Verum vix ulla Pariſiis Pontificiæ indignationis ratio habebatur, quin imo Pariſienſe Parlamentum die vigeſima quarta Januarii publico edicto ſcriptum Romæ impreſſum ſub forma Bullæ ab Innocentio XI. die decima octava Decembris anni præcedentis editæ ſuppreſſit, typisque edi, aut legi, vel retineri inhibuit: idem quoque fatum ſubiit mox allegata Innocentii epiſtola. Quamprimum vero Pontifex intellexerat, has ſuas literas a Parlamento fuiſſe ſuppreſſas, earum exempla Toloſanis & Apamienſibus Jeſuitis ſubmiſit, præcepitque, ut ea divulgarent, publicique juris facerent. Hi vero rem ſilentio preſſerunt, ſe dubitare ſimulantes, an hæ literæ reipſa Roma veniſſent. Inde vero irritatus Pontifex Patri Olivæ Societatis Generali injunxit, ut præfatæ epiſtolæ exempla Pariſienſi & Toloſano Provincialibus traderet, ac diſertis verbis præciperet, ut ea promulgarent, ſuisque ſubditis injungerent, quatenus, ea ab ipſius Pontificis calamo reipſa profluxiſſe, declararent, ut hac ratione ſcandalum, quod affectata ſua incredulitate Toloſani & Apamienſes Jeſuitæ dediſſent, aliquatenus

Sæc. XVII. A. C. 1681.

tenus repararetur: Denique etiam præfato Generali Præpoſito præcepit Pontifex, ut reſponſa, quæ deſuper a ſuis ſubditis tuliſſet, Inquiſitionis Aſſeſſori manifeſtaret. Hæc Pontificis mandata per ipſos, ut creditum eſt, Jeſuitas innotuere Parlamento, quod illico die decima octava Junii decrevit, ut Pariſienſium trium Collegiorum Superiores nulla mora in Curia comparerent, ac de Pontificis epiſtola & mandato rationem redderent. Paruere hi, moxque Parlamentum condito decreto Jeſuitis inhibuit, ne quovis pacto Pontificis mandatum exequi præſumerent, nec cujuscunque Ordinis vel Congregationis Superiores aut Religioſi ullam Bullam vel Pontificis epiſtolam, præter illas, quæ internam atque ordinariam ſui Conventus diſciplinam concernunt, publici juris facere aut exequi auderent, ni omnibus gratiis & privilegiis hucusque conceſſis ſpoliari velint.

## §. LV.

## *Joannes Cerles a Regaliſtis graviter vexatus, atque officio amotus.*

*Gall. vind. pag. 302.*

Nondum Joannes Cerles Innocentii Pontificis epiſtolam acceperat, cum jamjam illi, qui nuper ob uſurpata Eccleſiæ beneficia anathemate percuſſi fuerant,

fuerant, in eum tota rabie insurgerent; Sæc. XVII. A. C. 1681.
præprimis enim hunc insimularunt, quod usurpata potestate, sibi Vicarii munus vindicasset: His quoque pro more suo suffragabatur Tolosanus Archipræsul, qui sine prævia caussæ cognitione, servato nullo juris ordine, factam Cerlis electionem edito decreto irritam declaravit, & Fortasinum, quem ab Eleemosynis habebat, in Cerlis locum, Vicarium Generalem atque Officialem designavit: In tanta rerum confusione, ac calamitatum cumulo Joannes Cerles die septima Januarii ad summum Pontificem sequentes transmisit literas: „Quanta sit hæc nostra tribulatio, Pa„ter Sanctissime, enarrare quis queat? „dum enim Sanctitas Vestra, pendente „istiusmodi negotii tractatione, non so„lum poneret fulmina, sed etiam ef„feratos tot adversariorum nostro„rum animos, omnimodis Paternæ „Clementiæ officiis delinire conaretur, „nobisque, & induciarum fides, & spes „propediem ad futuræ pacis securita„tem pollicerentur; ecce repentina tem„pestas ingruit. Quodque sede vacante „nihil innovari passi simus, & nulla „ratione adduci unquam potuimus, ut „anathematizatos, & publice denun„tiatos Regalistas in communionem „nostram admitteremus, bonis, patria,

Sæc. XVII. A. C. 1681.

„libertate ſpoliamur; erramus in ſoli„tudinibus, egentes, & anguſtiati, „vinculis, catenisque conſtricti, per „oppida circumducimur ad terrorem „omnibus incutiendum; cum ſicariis „ac parricidis teterrimis ergaſtulis con„cluſi, ſuſpiria mittimus ſurdis auribus „ſuſcipienda; quid plura? Maledici„mur, & blasphemamur: extra Syna„gogas faciunt nos: & ne quid malis „noſtris deſit, in occiſionem quoque „mittimur.„

„Stupenda, ſed vera loquor, Pater „Sanctiſſime! extinctus enim eſt, ſub„latusque duriſſimi carceris incommo„dis R. P. Carla, Canonicus ac Prior „noſter, felix, quod libertatis Eccle„ſiaſticæ prima victima cecidit. Fuerat „ille venerabilis Epiſcopi noſtri in re„ſtauranda hujus noſtri Capituli ſan„ctiore diſciplina adjutor, & adminiſter „præcipuus: jamque ſeneſcebat, ſuæ „noſtræque ſaluti ſedulo invigilans; „cum ecce afflictis nobis, & lacryman„tibus repente ac violenter eripitur. „Nulla innocentiſſimo Seni, qui vel „vultu Sanctimoniam ſpirabat, habita „eſt reverentia; laboribus, morbis, & „extrema macie confectus rapitur, tra„hiturque in ultimos Galliæ receſſus, „ibique in quadam arce includitur, quæ „cum ſit ad littus Mediterranei maris,

„ſub

„sub pestilenti aere posita, optimo Seni „exitio fuit. Morienti, ac tantum be- „neficium cum lacrymis postulanti, Ec- „clesiæ Sacramenta negata sunt; quod, „cujus scelere factum sit, nondum pla- „ne scire potuimus. R. P. Michaelem „d'Aubarede Presbyterum virtutibus „quam natalibus nobiliorem, quem pu- „tabamus exilio tantum mulctatum, „audivimus ductum Cadomum, ibique „in carcerem detrusum. R. P. Rech „tam arcta custodia inclusus, constri- „ctusque est, ut quid de eo factum sit, „penitus ignoremus, nisi quod a non „levi auctore didicimus, multas illum, „initio præsertim, ærumnas esse per- „pessum: quodque fidem superare vi- „detur, multi temporis inedia crucia- „tum. Cæteri Canonici Regulares, „Fratres mei sedibus suis pulsi, in va- „riis oppidis inter se, & a nobis diffi- „tis, tristissimam (secundum hominem „loquor) mæstissimamque vitam agen- „tes, exulant.„

Sæc. XVII. A. C. 1681.

„Ego peccator peccatorumque pri- „mus, solus relictus sum, ut hæc nun- „tiarem Sanctitati Vestræ. Quamquam „quis relictum intactumque putet, ho- „minem toties proscriptum, publica- „tumque, tam diligenter quæsitum? „quem si quis in domum admiserit, in „summo bonorum libertatisque periculo

Sæc. XVII. A. C. 1681.

„versatur? ad quem capiendum Guber„nator & Præses Provinciæ ingentis „mercedis pollicitatione omnes ac sin„gulos cohortatur? cui vincula trire„mes, & acerbiora fortasse supplicia „parata sunt? Sed hæc mala, Beatis„sime Pater, culpæ meæ, atque adeo „flagitia, in caput meum, justo Dei „judicio invexerunt: cum sodales me„quorum consortio nec Mundus, nec „ipsi digni fumus, non ut hostes, sed „ut filii, non in pœnam, sed in pro„bationem, & in præmium flagellentur.

„Sic premimur, sic affligimur, Pa„ter Beatissime. Nec mitius habentur, „quicunque suspecti sunt, auxilio nos, „consilioque juvare suo, aut propen„siore benevolentia nos prosequi. Non „modo periculosa, sed etiam exitiosa „res est amicitiæ nostræ, quemadmo„dum multi experti sunt. In his est „Albiensis Ecclesiæ Theologus, nomine „Duferrier, vir inter nostrates, si quis „quam alius, de Ecclesia bene meritus, „pietate, eloquentia, rerum Ecclesia„sticarum peritia conspicuus, quem bo„nus quisque Episcopus non modo com„plectitur ut filium, sed etiam audit „ut Magistrum, reveretur ut Patrem. „Hunc in extremam Senectutem ver„gentem, in ultimos Burgundiæ fines „ablegarunt, non alius certe criminis „reum,

„reum, nisi quod adversariis in suspi- Sæc. XVII.
„cionem venerit, venerabili Episcopo A. C. 1681.
„nostro, & nobis consilium aliquando
„dedisse. Simili pœna, & ob eamdem
„causſam affectus est Presbyter alius
„nomine Jacobus Cazanave, qui Eccle-
„siam Tolosanam eximia pietate, &
„Academiam singulari doctrina coho-
„nestat.„

„Oboriuntur mihi lacrymæ, cum
„de nobili quodam adolescente mentio-
„nem facio, qui, quod mandatum ali-
„quod nostrum Apamiensis Ecclesiæ
„foribus appendisset, in horrendas car-
„ceris tenebras projectus est, ibique
„fœtore, aliisque loci molestiis prope-
„modum enectus, ut pro magno be-
„neficio habuerit, hinc eductum, ad
„Tribunal extraordinarii Judicis magna
„cum ignominia trahi, capitisque pe-
„riculum adire. Plus illi nocuit unus
„e nostris, qui consanguineus ejus est,
„quam prosit habere Patruum insignem
„militia Virum, & rebus gestis toto
„orbe conspicuum. Qua re profecto,
„si quo alio argumento, intelligi potest,
„quanta sit adversariorum acerbitas,
„odiorumque magnitudo.„

„Alios permultos omitto, Pater
„Sanctissime, pro causſa Dei extrema
„quæque subeuntes. Sed hæc quanta
„sint, levia fortasse videbuntur, si con-

Sæc. XVII. A. C. 1681.

„ferantur cum lugendo illo ſchismate, „quo in Eccleſia Apamienſi tunica „Chriſti inconſutilis ſcinditur.„

„Illuſtriſſimus Archiepiſcopus Tolo„ſanus non dubitavit Presbyterum quem„dam mittere, qui per ſummam vim, „nobis omnibus expulſis, in illa Eccle„ſia, ſede vacante, vices illius ageret, „revera, ut Sponſam Chriſti Regaliſis, „ut vocant, conculcandam, adulte„randamque traderet.„

„Religio magna eſt, ac ſumma pie„tas Vicario Generali, partam contra „Canonicas Sanctiones authoritatem „armis, quibus tota Regio perſtrepit, „aſſerere: anathemate perculſos homi„nes altaribus admovere: plebem Chri„ſtianam ad celebranda cum excom„municatis myſteria, & ab iis ſuſcipien„da Sacramenta, renuentem licet, & „fidem ſacrarum legum obteſtantem, „immiſſis militibus adigere: Monachos, „& Sanctimoniales in obſequio rema„nentes, ab uſu Sacramentorum arcere, „& Monaſteriis ſuis ejicere: Sororem „Epiſcopi noſtri, alteram Tabitham, „viduam Dynaſtæ Mirapicenſis (quod „nomen inter Primates Regni perce„lebre eſt) quæ jam multos annos e„rudiendis in Chriſtiana diſciplina pau„peribus puellis, cum nonnullis piiſſi„mis Virginibus, quas ſecum alebat, „ſum-

„ſumma cum humilitate vacabat, Apa- Sæc. XVII.
„miis expellere: Seminarii domum, A.C. 1681.
„qui locus orationi, piis lectionibus,
„religioſo ſilentio ſacer hucusque fue-
„rat, Regaliſtarum clamoribus, aleis,
„compotationibus, in multam noctem
„protractis, fœtandam relinquere: Apa-
„miarum Prætori, Provinciæ Fuxenſis
„Proregi, Aquitaniæ Præſidi, eorum-
„que Miniſtris Eccleſias ac Monaſteria
„diripientibus, rapinisque, ac ſacrile-
„giis cuncta miſcentibus, non ſolum
„non reſiſtere, ſed etiam omni ope fa-
„vere, adniti, præſto eſſe.

„Tot tantisque flagitiis, ex uno
„ſchismate, tanquam ex ſuo fonte pro-
„fluentibus, acceſſit hæreſis. Ajunt
„enim homines iſti Eccleſiæ perduel-
„les, ac publicis inſtrumentis conſi-
„gnant, jus iſtud Regaliæ, non aliunde
„adſcitum, non Eccleſiæ, aut ſanctæ
„Sedis beneficio partum, ſed ipſis Re-
„gibus innatum, ipſorumque ſceptro,
„ac diademati naturæ legibus ita eſſe
„conjunctum, ut ab iis nulla ratione
„divelli poſſit: hoc eſt, licere Laicis qua-
„tenus Laici ſunt, ſi modo rerum potian-
„tur, præcipua Epiſcoporum obire munia:
„Canonicos, qui ſede vacante ſpiritualem
„jurisdictionem habent, efficere: Theolo-
„gos ad prædicandum Dei verbum mitte-
„re: Parochis curandas animas tradere,

Sæc. XVII. A. C. 1681.

„& alia id genus multa præstare. Qui „error, Pater Sanctissime, Henricianæ „hæresi, toties a sancta sede profligatæ, „non modo simillimus est, sed ea multo „pejor, multoque pestilentior. Quod „enim Henriciani obscure, & quasi per „ambages innuebant, isti palam profi„tentur, & prædicant. Ex investitu„ris veniebatur quidem ad hæresim; at „sensim, nec nisi per multos gradus. „At in Regalia statim se prodit, & quæ „olim in investituris erubescebat, os, „frontemque meretricis assumit hæresis.

„Hujus præcipui fautores, Beatis„sime Pater (horrens, lugensque dico) „RR. PP. Societatis Jesu censentur, & „sunt. Non mentior Petro, quem scio „coram se mentientes verbi sui mucrone „aliquando interemisse. Hi enim pri„vatis colloquiis, publicis professorum „prælectionibus, libris quoque in lu„cem editis, Regnantium in rebus Ec„clesiasticis authoritatem evehunt, & „extollunt. Hi summos Pontifices, „quorum constantia in vindicanda Ec„clesiæ libertate omnium Sæculorum „venerationem promeruit, tamquam „aut plus æquo credulos, aut nimium „in consiliis præcipites, aut gerendæ „rei parum idoneos sperunt, scomma„tis, dicteriisque proscindunt. Non „habent alios Regalistæ consiliarios, „patro-

„patronos, amicos, per hos fit illis in Sæc. XVII.
„Aulam aditus, horum consilio, suasu- A.C. 1681.
„que multi, quos ante religio impedie-
„bat, fractis tandem conscientiæ repa-
„gulis, in Beneficia Regaliæ, ut men-
„tiuntur, obnoxia, impetu facto irrue-
„runt. Ut non immerito quispiam di-
„xerit, Regaliæ parentem esse Patrem
„Ferrier: Nutritium, & educatorem
„Patrem de la Chaise: Præconem Pa-
„trem Maimburg: Defensores, & Ad-
„vocatos, atque adeo milites, cæteros
„omnes Jesuitas. Quod quidem mirum
„nullatenus videri debet; pinquiores
„enim Regaliæ fructus Societas perci-
„pit; nam cum hujusmodi Beneficia
„ex nutu fere, ac voluntate Confessarii
„conferantur a Principe, nulla re ma-
„gis Societatis potentia provehitur.
„Hoc illi familias devincit, hoc innu-
„merabilem clientum multitudinem illi
„conciliat.„

„Quod pertinet ad Archiepiscopum
„Tolosanum, ut est Jesuitis in cæteris
„rebus addictissimus, ita in opprimen-
„dis nobis conjunctissimus. Hujus erga
„Sanctam sedem animum nulla res ma-
„gis demonstrat, quam quod nuper
„recepto Apostolico Brevi præstitit. Vo-
„cat illico Regium Notarium, jubetque
„scribere: nefas esse, sibi ullum Pon-
„tificium rescriptum injussu Regis, aut

Sæc. XVII. A. C. 1681.

„legere, aut aperire. Eam esse Con-
„cordatorum fidem: sic ferre Ecclesiæ
„Gallicanæ libertates. O miseram li-
„bertatem, omni servitute crudeliorem!
„qua durissimo sæcularium potestatum
„jugo Gentium Regina subjicitur, tot-
„que habet ergastula, quot sunt in Gal-
„lia Jurisdictionum Curiæ.

„Ad istiusmodi calamitosam liber-
„tatem pertinet, quod nuper in Senatu
„Tolosano, authore Illustrissimo Archie-
„piscopo, factum est. Nam cautum
„fuit, ne quis in posterum ullum Apo-
„stolicum Breve reciperet, quod non
„esset prius in Consilio Regis excussum,
„ipsique probatum, mulctaque immensa
„dicta eis, qui secus fecerint. Ego vero,
„quod Breve miserim, ac unus e Ca-
„nonicis nostris, quod obtulerit, in pœ-
„nam nescio quam (gravissimam certe)
„diligentissime quærimur.„

„Ecce, Sanctissime Pater, non Apa-
„miensis modo, sed totius Ecclesiæ
„Gallicanæ miseria, & ærumnosa con-
„ditio, hæc ad Sanctitatem Vestram
„supplices manus tendit, quantum per
„vincula, quibus atteritur, tendere
„licet. Consolamini, precor, mæren-
„tem, erigite conculcatam, vinctam,
„captivamque redimite. Pereat, Pa-
„ter Sanctissime, spes adversariorum
„nostrorum, qui totam vincendi fidu-
„ciam

„ciam in eo collocant, quod triſtiſſi- Sæc. XVII.
„mum, acerbiſſimumque luctum uni- A. C. 1681.
„verſo Chriſtiano orbi afferre debet.
„Quorſum enim negotium iſtud in tam
„longas, tamque affectatas moras pro-
„trahitur? ſperant nimirum, nec diſſi-
„mulant, extinctis tum Alectenſi, tum
„Apamienſi Venerandis Præſulibus, qui
„duo ſoli conatibus eorum adverſaban-
„tur, litem ipſam ex ipſorum voluntate,
„ſub alio ſummo Pontifice, finem pro-
„pediem habituram.

„Quod quidem, vel cogitaſſe ſce-
„lus, & parricidio ſimillimum. Sed
„hæc tam impia, tam crudelis expecta-
„tio divinæ providentiæ munere deci-
„pietur. Vivet, vivet in multos annos
„Sanctitas Veſtra, Eccleſiamque Gal-
„licanam non modo Regaliæ compedi-
„bus liberabit, ſed alia quoque vetu-
„ſtiora ipſius vincula, catenasque con-
„fringet. Cujusmodi ſunt extincta pror-
„ſus Eccleſiaſtica jurisdictio, Clerico-
„rum omnium peſſumdata dignitas, &
„ea portenta, quæ vocant appellatio-
„nes ab abuſu, quibus quidem per ſum-
„mam temeritatem, & ſupra Epiſco-
„pale faſtigium, & ſupra Sanctam ſe-
„dem erigit ſe fæculare Tribunal.

„Hæc ſunt vota, Sanctiſſime Pater,
„non noſtra duntaxat, ſed omnium fere
„tum Clericorum, tum Epiſcoporum
„totius

Sæc. XVII. A. C. 1681.

„totius Galliæ, quorum eadem eſt no-
„biſcum Sententia, etiamſi præ metu
„longe ſit diſpar agendi ratio.

„Quod ad nos attinet, Pater Bea-
„tiſſime, immenſas Sanctitati Veſtræ
„gratias referimus, non ſolum quod
„nos, cauſſamque noſtram, Paterna
„benignitate proſecuta ſit, ſed etiam,
„quod ad noſtram tenuitatem indignum
„Apoſtolico vertice minime putaverit.
„Qua in re, Pater Beatiſſime, ſicut in
„cæteris omnibus, ſummorum Apoſto-
„lorum veſtigiis inſiſtitis; nam & Pau-
„lus pro Oneſimo fugitivo mancipio,
„& Diſcipulus Domini, Electæ fœminæ
„Canonicam ſcripſit Epiſtolam. Nos
„vero ea res & honore cumulat, & ſo-
„latio plurimum afficit. Nam quemad-
„modum Machabæi inter tot adverſa
„nullum aliud rebus ſuis refugium ſo-
„mentumque quærebant, habentes ſo-
„latio Sanctiſſimos libros; ita nos tot
„malis jactati, tot incommodis affecti,
„vix tanti doloris acerbitatem ſentimus,
„habentes ſolatio Apoſtolicas literas.
„Ignoſcat precor, Sanctitas Veſtra,
„quod ad ipſam minus decenti charta
„ſcribere non dubitaverim, iſtud non
„meæ culpæ, ſed fugæ tribuendum.„

§. LVI.

Sæc. XVII.
A. C. 1681.

## §. LVI.

## *Joannis Cerlis Vicarii Apamienſis vindiciæ.*

Transmiſſis Romam hiſce literis Joannes Cerles libello palam divulgato dignitatem ſuam frivole impugnatam, atque iniquius ſibi ereptam vindicare nitebatur: ut vero eo ſecurius violatam Capituli jurisdictionem, ſuæque Eccleſiæ jus defendere poſſet, ſe in tutum locum recepit, inde vero regaliſtis, ac præcipue Montpezato Toloſano Archiepiſcopo aliud oppoſuit edictum, in quo eidem præpoſteram agendi rationem exprobans, illum injuſtitiæ inſimulabat, eoquod nullus Metropolita in vacantem Diæceſin jus ſibi arrogare valeret, niſi Capitulum aut negligentia, aut malitia delinqueret, neutrum vero contigiſſet, aut ſi quæ ejusmodi culpa interveniſſet, partes vocari, & cauſſa, necnon Vicariorum electiones examinari debuiſſent, de cætero autem pro earum valore jura præſumerent, niſi contrarium probetur: nunc vero nec vocatis partibus, nec diſcuſſa cauſſa, canonicas electiones everti, electos amoveri, eisque exteros, ignotosque invito & reclamante Papa & Capitulo ſubrogari, ſic-

*Sfondrat. Gall. vind. pag. 84. Abregé de l'Hiſt. Eccl. t. 10. p. 437.*

Sæc. XVII. A. C. 1681.

ficque Eccleſiam Apamienſem ſuo Paſtore viduatam, ac recentibus adhuc dum lacrimis mæſtam, novo ſchismate funeſtari, inhumanum eſſet, præcipue cum Archiepiſcopus. ejusque ſententia nonniſi vanis innitatur rationibus, quas adverſarii ſuggeſſerant, cauſſantes, invalidas eſſe Vicariorum electiones, eoquod le juge, qui nonniſi Regaliæ obtentu intruſus fuerat, prætermiſſus fuiſſet, cum tamen nemo ignoret, hunc nominatim excommunicatum fuiſſe, tamque pertinaciter cenſuram neglexiſſe, ut ne abſolvi quidem curaſſet: aliunde vero hic neque ex numero Regularium Capitularium eſſet, proin, cum alterius inſtituti ſocius, & Canonicorum Regularium vitam ne quidem tyrocinnio expertus, ad Regularium Conventum vocari nequidem potuiſſet, minus vero ob ejus abſentiam aliorum electiones, pro irritis haberi deberent. Hæc pluraque alia ab Apamienſi Vicario tanta rationum efficacia, veritatisque teſtimonio proferebantur, ut ne ipſi etiam ejus hoſtes quidpiam inficias ire auderent: quocirca Archiepiſcopus Toloſanus, ne erraſſe aut ceſſiſſe videretur, cunctos aulicæ artis fontes exhauſit, ut Fortaſſinum hoc officio tantopere indignum removeret, ſimul tamen celando pudori

dori honestum quæreret obtentum: cum ergo exilia, carceres, spoliationes, equitum turmas, & quicquid in hostes parari solet, nulla sacrorum ordinum habita ratione, nulla Canonicorum, dignitatis aut senii discrimine admovisset, imo quosdam duntaxat eo ex capite, quod defuncto Apamiensi Episcopo amicitia junctí fuissent, contumaciæ reos fecisset, necnon seniculum Roussæum Canonicum ac tum Ecclesiæ Parochum in publicos Urbis carceres conjeciſſet, sub obtentu, quod in Vicarii decreto quædam immutasset, cumque Domini ani, etsi propterea P. Prior in exilium detrusus & Philosophiæ cathedra eis adempta Jesuitis fuisset adjudicata, hunc Vicarium agnoscere detrectarent, necnon Sanctimoniales Confessarium sibi a Fortassino designatum recusassent, dicentes, *male se semel in anno ad Ecclesiæ præscriptum expiari, quam ignoto, intrusoque subjici*, ex his omnibus turbis Archiepiscopus opportunam arripuit occasionem, ut Fortassino suaderet, quatenus veluti tot tumultuum & ærumnarum tædio affectus, Vicarii officio, quod acceptare coactus fuisset, ultro abiret: Re ad Parisiense Parlamentum delata, illud hujus Vicarii electionem sacris Canonibus adversam fuisse haud obscure declarabat, novo-

Sæc. XVII. A. C. 1681.

que

Sæc. XVII. A. C. 1681.

que decreto præcipiebat, ut Canonici Apamienſes intra triduum convenirent, & viduatæ Eccleſiæ Vicarium præficerent, niſi id facerent, Metropolita ſuppleret. Attamen omnibus notum erat, cunctos Canonicos, aut proſcriptos, aut carceribus incluſos fuiſſe, totamque Galliam exulantibus eſſe impletam: aliunde etiam Vicarios a ſe legitime electos, atque a Papa confirmatos exauctorare, eisque novos ſubrogare, ipſis haud integrum eſſet: nihilominus Archipræſul Toloſanus, etſi intentato etiam anathemate Joannem Cerlem in ſuo Vicarii officio turbare, a Papa prohibitus eſſet, Canonicos in vinculis detentos, ac convenire prohibitos, velut contumaces declarans, paulopoſt reſcripſit: *quia ex Pariſienſis Parlamenti præſcripto Canonici Apamienſes non conveniſſent, nec Vicarium vacanti Eccleſiæ dediſſent, ſe vices negligentium ſupplere, & Epiſcopum Leonenſem in Vicarium deſtinare.* Verum Leonenſis tam fœdæ actioni implicari abhorrens, hoc munus etſi a Rege ad Epiſcopatum Apamienſem jam nominatus fuiſſet, ac propterea ſeſe Pariſios itineri accinxiſſet, compertis tamen iis, quæ Apamiis contigiſſent, continuo iter relegit, generoſoque contemptu infulas tam indigne jactatas reculavit: Cum ergo alii deeſſent Vicarii, Toloſanus

sanus Dandaurum, qui Archiepiscopo crucem præferre solebat, Virum non minus indignum in Vicarium designabat, simulque Parlamento Tolosano supplicabat, ut in Joannem Cerlem, eoquod infami edicto Metropolitanum suum impetiisset, tanquam calumniatorem ac pertinacem inquireret, eumque tanta pœnæ severitate plecteret, ut hujus exemplo ceteri terrerentur, debitæque obedientiæ monerentur. Verum Tolosanus Senatus tunc nondum immoderatæ Archipræsulis intemperantiæ ancillari, consultum censebat. Sæc. XVII. A. C. 1681.

## §. LVII.

## *Joannis Cerlis querelæ ad Innocentium XI. Papam.*

Interim Joannes Cerles Vicarius ad nuperas suas literas responsum a Papa accepit, inde ergo accepta occasione eidem novas, quibus ipse, ceterique Canonici premebantur, ærumnas die decima quinta Martii datis hisce literis fusius exposuit: „Acceptis flexis genibus, pronoque in terram vultu, Sanctitatis Vestræ literis ad meam tenuitatem die prima Januarii datis, dixi „cum Paulo: *Benedictus Deus, & Pater Domini Nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis,* *Gall. vind. pag. 309.*

Sæc. XVII. A. C. 1681. *qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.*

„Quæ enim tanta est, Beatissime „Pater, tamque acerba tribulatio, quam „non deliniat vel sola tanti tamque mi„rabilis Pontificis de nobis recordatio? „qui se tum in universos fideles, tum „peculiariter in nos, quantumvis im„meritos, Christi Vicarium exhibet, „non solum in plenitudine potestatis, „verum etiam in plenitudine charita„tis? quæ tanta est præ malorum pon„dere animi abjectio, quam non eri„gat invictum illud animi robur, quod „in Sanctitate Vestra pro tuenda Eccle„siæ libertate pii omnes hujus Sanctæ „Matris Filii demirantur, illaque Se„dium ipsius assistrix Sapientia, cujus „ope atque lumine inter calumniarum „tenebras, & mendaciorum caliginem, „veritatem atque justitiam tam perspi„caciter internoscit?

„Sunt equidem, Beatissime Pater, „etiam in Gallia non pauci Sacerdotes, „Monachi, Senatores, omniumque Or„dinum homines, qui etiamsi aliter pa„lam loquantur, etiamsi opem *nullam* „ferant: etiamsi metu potestatum in„fensos sese simulent, nobiscum tamen „sentiunt, & ubi fidos arbitres nacti „fuerint, quantum nobis condoleant, „dissimulare non possunt. Hæc ani„morum

„morum circa cauſſæ juſtitiam conſen- Sæc. XVII.
„ſio non parum affert conſolationis, ſed A.C. 1681.
„niſi Sanctitatis Veſtræ frequentes con-
„ſolationes, & quod jam experti ſumus,
„multoque magis quod adhuc ſpera-
„mus, efficax auxilium, confirmarent,
„fortaſſe quos calamitatum acerbitas
„nondum dejecit, diuturnitas tandem
„opprimeret: adeo enim non minuitur
„incendium, quo jam pridem flagrant
„Apamiæ, ut majores in dies vires
„capere videatur, pergentibus nos af-
„fligere atque conterere, iisdem qui
„antea hominibus.„

„Abuterer, Beatiſſime Pater, San-
„ctitatis Veſtræ benignitate atque pa-
„tientia, ſi quæ illi poſtremis literis mala
„percenſui, adhuc commemorarem. Id
„unum affirmo, tantum abeſſe, ut quæ
„his literis continebantur, veritatem
„excederent, ut etiam plurima omiſſa
„fuerint. In his ſunt exilium Canonici
„Eccleſiæ Collegiatæ Apamienſis, no-
„mine Maſcaras, qui, quod divinis in-
„tereſſe cum Regaliſtis excommunica-
„tis conſtantiſſime recuſaverit, in urbem
„Brivam Diæceſis Lemovicenſis rele-
„gatus eſt: exilium Procuratoris Fiſca-
„lis Reverendiſſimi Patris Noſtri Epi-
„ſcopi Apamienſis in oppidum Daubuſ-
„ſon relegati, eoquod inter concionan-
„dum fideles ad fundendas in præſenti-

Sæc. XVII. A. C. 1681.

„bus Ecclesiæ necessitatibus preces fusi-
„set cohortatus: ærumnæ Parochi ad
„Beatum Genesium ob publicatam signi-
„ficatamque ordinationem nostram, &
„Vicarii B. Magdalenæ de Saurat, ob
„solam de affixa Ecclesiæ foribus eadem
„ordinatione suspicionem, in carceres
„detrusorum: pecuniarum summa ab
„aliis extorta ob dilationem in agne-
„scendo Vicario generali a Reverendiss-
„simo Metropolita delegato: Patribus
„Prædicatoribus Apamiensibus, quod
„eidem Vicario parere, & officia Divina
„coram Clericis sub prætextu Regaliæ
„in beneficia nostra intrusis, ideoque
„publice declaratis pro excommunica-
„tis celebrare recusaverint, erepta scholæ
„Philosophica cum suis stipendiis, &
„in Jesuitarum Gymnasium transversa,
„addita insuper pravæ doctrinæ crimi-
„natione. Verum quæ omnia vix longa
„possent enumeratione comprehendi,
„ex immani superioris Aquitaniæ Præ-
„sidis voce conjici poterunt: *Tædet nos*,
„inquit, *exiliis tantum atque carceribus re-*
„*fanos istos homines plectere: jam cruciatus*
„*res agenda est, ut perduelles, qui alia ra-*
„*tione domari non potuerunt; ista tollantur.*

„Ex illis, quæ postmodum subla-
„cuta sunt, Beatissime Pater, pauca
„seligam. Vix e manibus emissæ fue-
„rant posteriores nostræ ad Apostolicos

„San-

„Sanctitatis veſtræ pedes literæ, cum „Prætor Apamienſis in optimos quos- „que Parochiarum Rectores truculen- „tiſſime irruit, propterea ſolum, quod „putaverint oportere Deo magis obe- „dire, quam hominibus. Quos quidem „capere potuit, ut Parochos S. Petri „d'Ornolac, S. Juliani d'Axiat, S. Lau- „rentii de Verniole, S. Petri de Bonac, „tam arctæ cuſtodiæ mancipavit, ut „nec Miſſæ audiendæ, etiam diebus „Dominicis, nedum celebrandæ facul- „tas concederetur. Aliorum, qui fuga „ſaluti conſuluerant, ſupellectilem, pe- „cunias, frumentum, & quicquid ju- „vandis alendisque Chriſti pauperibus „provida paraverat charitas, invaſit. „Quo pacto impletum eſt, nec uno mo- „do, illud Iſaiæ: *Parvuli petierunt panem, „& non erat, qui frangeret* eis: nam & „corpori ſuus panis, & animæ ſuus ab- „latus eſt. Expulſis veris Paſtoribus „ſubſtituti ſunt lupi, qui non ſolidum „diſpenſant Evangelii cibum, ſed vene- „natam propinant doctrinam, laxam „vivendi rationem non modo concedeu- „tes, ſed ad eam etiam invitantes. Pa- „rochi, qui non animarum tantum, „ſed & corporum neceſſitatibus pater- „na providentia conſulebant, vilioribus „cibis dubiam & ærumnoſam vitam to- „lerant, ſolisque interdum lupinis ve- „ſcun-

Sæc. XVII. A. C. 1681.

Sæc. XVII. A. C. 1681.

„ſcuntur a ſuis Parochianis emendica-
„tis, noctuque quæſitis, & in ſuſpicio-
„ſiſſimis temporibus tremula manu da-
„tis, acceptisque.

„P. Franciſcus Rouſſe, qui ſolus e
„Fratribus noſtris Canonicis, non in
„civitate (ibi enim ne unus quidem ſu-
„pererat) ſed in quadam hujus Diæce-
„ſis Parochia hactenus relictus fuerat,
„ſive quod adverſariorum oculis non ita
„frequenter eſſet obvius, ſive quod pro-
„pter optimæ indolis innocentiam pa-
„rum ipſorum ſtudiis nociturus crede-
„retur, tandem & ipſe poſt graves mi-
„nas, & convitia, Viro religioſo, &
„Sacerdote indigniſſima, conjectus eſt
„in carcerem, ubi quæ ad ſuſtentan-
„dam vitam neceſſaria erant, cum nec
„Amici poſſent, nec inimici curarent
„ſuppeditare, appenſo ad feneſtras ſac-
„culo, dum hæc ad Sanctitatem veſtram
„ſcriberem, emendicare meditabatur.
„Sic nempe plectendum erat crimen ipſi
„objectum, quod ſcilicet in quadam or-
„dinatione noſtra paucos Typographi
„errores emendaſſe incuſaretur.

„Similem experti ſunt ultionem Vi-
„carii ad S. Baudelium de Signer, & ad
„S. Petrum de Mauleon, licet non ipſi,
„ſed Parochi, rei judicarentur: alter
„quidem, quod Concionatorem a Vi-
„cariatus Generalis Uſurpatore miſſum
„ad-

„admittere recuſaret: alter, quod me ab Sæc. XVII.
„inſectantium ira fugientem hoſpitio ex- A. C. 1681.
„cepiſſe, falſo crederetur. Affliguntur
„enim non modo, qui Eccleſiæ juribus,
„aut ea defendentibus favent, ſed &
„qui vel minima circa hoc laborant ſu-
„ſpicione.

„Non eſt, B. P. habita ſexus ratio:
„exulavit Mater Anna Carmelitarum
„Virginum e numero prudentum Præ-
„poſita, cujus precibus, operibus, &
„præſertim uberrimis pœnitentiæ fru-
„ctibus non parum, uti putamus, apud
„Deum res noſtræ juvabantur: non alia
„ex cauſſa, quam quod Sanctitatis ve-
„ſtræ literis cohibita, non potuerit, nec
„ipſius Alumnæ, ſpretis nobis, Vicario
„Generali ab Archiepiſcopo Toloſano
„Apamias miſſo, obedientiam ex-
„hibere.

„Male habetur Urbaniſtarum S. Cla-
„ræ Virginum Conventus conſtantiſſime
„nobis ſemper adhærens, quia illarum
„Prioriſſa non receptis Sacramentis de-
„ceſſiſſe creditur, repulſis ſcilicet Sacer-
„dotibus a prædicto Vicario Generali
„commiſſis, eaque offerentibus: quam-
„vis Divina ſic ordinante providentia
„non defuerit, qui a nobis legitime ap-
„probatus neceſſaria omnia occulte &
„quaſi furtim, adminiſtraverit.„

Sæc. XVII. A. C. 1681.

„Eo devenerunt cæcitatis tot malo„rum auctores, ut non a noſtris tantum „ordinationibus, ſed etiam a Sanctita„tis veſtræ cenſuris tutos ſe arbitrentur, „ſi literis illas continentibus omnes adi„tus præcludant. Excubant in civita„tis Apamienſis muris, ad ejus portas, „& extra in via cuſtodes, qui accedentes quosque excutiant, ne ſorte aliquis „actus minus gratus illuc clanculum in„feratur. Si mihi, B. P. Eccleſiæ hu„jus jura aliunde non conſtarent, vel „ipſe introducendæ in eam Regaliæ mo„dus ſuaderet, cauſſam juſtitiæ non niti, „quæ tam violentis, tamque a Chri„ſtiana charitate, atque a Canonica „diſciplina alienis viis, ad finem inten„tum promoveatur.

„Sed ſi juxta incarnatæ Veritatis „oraculum a fructu arbor certiſſime co„gnoſcitur, quomodo poteſt eſſe bona, „quæ tam malos fructus facit? Qui a „noſtris nos beneficiis exturbarunt, eo„rum reditus in ludos, & compotatio„nes expendunt. Dominica tertia in „quadrageſima, tres ex illis poſt lau„tam Cænam apud quemdam ex hujus „Urbis Magiſtratibus usque ad tertiam „poſt mediam noctem horam, vigilias „protraxerunt, ut, cum fœminis quibus„dam cænaverant, operam choreis da„rent. Qua in re eo majus creavit eo„rum

„rum licentia ſcandalum, quod erat a „moribus ſub prædicto Epiſcopo viven- „tium remotiſſima. Vicarii Generalis „ab Archiepiſcopo miſſi præſentia, licet „non per totum illud tempus, interceſ- „ſit. Domus illa, quam Domum oratio- „nis dicere non dubitabo, in qua nos Re- „verendiſſimus Pater noſter Epiſcopus „Apamienſis, nuper in Chriſto rurſus „genuerat, foverat, enutrierat, ſuis ver- „bis & multo efficacius exemplis ad om- „ne virtutum genus inſtruxerat; domus „illa, inquam, dum Epiſcopus morbo „extremo laboraret, aut etiam dum gra- „tiſſimum Deo Spiritum redderet, pro- „priæ ipſius Sorori, quamvis pietate in „tota Gallia celebri, ac Diæceſi Apa- „mienſi ob inſtitutam Virginum ſocie- „tatem, ad erudiendas in Chriſtiana di- „ſciplina puellas optime meritæ, non eſt „conceſſus introitus, Domus, inquam, „illa nunc domicilium Regaliſtarum eſt, „qui non inter ſe ſolum, ſed aliquando „etiam cum mulieribus ibi lautius epu- „lantur. In eo horto, ubi nonniſi ſpiri- „tualia colloquia fere habebantur, vi- „ſæ ſunt adoleſcentulæ cum novis iſtis „Canonicis profana colloquia miſcentes. „Liceat hic exclamare cum Propheta: „*Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, „polluerunt Templum ſanctum tuum.*

Sæc. XVII. A. C. 1681.

Sæc. XVII. A. C. 1681.

„Quam felix esset Apamiensis Eccle-
„sia, si cum exteris hostibus sibi pu-
„gnandum esset, si paratæ ab Ethnicis
„cruces, equlei, rogi, craticulæ, in or-
„bitatem conjicerent. Ast Ecclesiam
„cum Ecclesia dimicare, luctuosissimum,
„miserrimumque est. Vix dici, vix capi
„potest, Beatissime Pater, quam mul-
„tis, iisque gravissimis vulneribus Ar-
„chiepiscopus Tolosanus Christi spon-
„sam in nostra Diæcesi affecerit, pa-
„ternas Sanctitatis vestræ commonitio-
„nes, imo & literas ipsas parvi pendens.

„Scio, Reverendissimos Episcopos
„in comitiis Occitaniæ congregatos, æ-
„gerrime tulisse, quod Præsul ille ne-
„fas sibi duxisset, Apostolicas literas
„legere, priusquam Regi fuissent exhi-
„bitæ. Quod quid aliud est, ajebant,
„quam turpissimum cervicibus nostris
„jugum imponere, quam sacra inter Pa-
„trem & Filios commercia præpedire,
„quam æternum afflictorum Episcopo-
„rum asylum objecto novo isto obice
„claudere?

„Ea est, Beatissime Pater, Metro-
„politani nostri erga Apostolicam Sedem
„observantia, de qua, ut accepimus,
„in suis ad Sanctitatem vestram literis
„gloriatur, & brevissimo intervallo
„post oblatum sibi Breve, die secunda
„Octobris datum, ordinationem edide-
„rat,

„rat, quam & alias antea editas exe- Sæc. XVII.
„cutioni mandari præcipiebat, non ob- A.C. 1681.
„ſtante quacunque appellatione vel jam
„emiſſa, vel in poſterum emittenda,
„quæ clauſula nonniſi ad Sanctam Se-
„dem referri poterat, tum quia Eccle-
„ſia Toloſana aliam a Romana ſuperio-
„rem non agnoſcit, tum quia eo tende-
„bat hæc ordinatio, ut aliam a nobis
„promulgatam abrogaret, qua interpo-
„ſitæ jam appellationes ad Sanctam Se-
„dem rurſus declarabantur.

„Infremuit nuper Toloſa, cum in-
„audiiſſet variis commonitoriis, præ-
„fati Metropolitani auctoritate, ana-
„thema proclamari ad inquirendum in
„eos, qui Apoſtolica de rebus noſtris
„Brevia aut gallice reddidiſſent, aut
„typis mandaſſent, aut populo legenda
„propoſuiſſent; videlicet crimen eſt igni
„& ferro vindicandum, in re tanti mo-
„menti doceri fideles, quodnam ſit de
„tam celebri lite Sanctitatis veſtræ ju-
„dicium, & quisquis vel auctores vel
„fautores novit, ad denuntiandum ex-
„communicationis gladio ſit adigendus.
„Tanta commotus audacia graviſſimus
„Senator ait, fore propediem, ut co-
„ram Officiali Toloſano dies ſummo Pon-
„tifici diceretur.

„Solet identidem præfatus Archi-
„epiſcopus Toloſanus & nos & defun-
„ctum

Sæc. XVII. A. C. 1681.

„ctum Venerabilem Patrem noſtrum Epi-
„ſcopum Apamienſem inſanos vocare,
„quod pro re tantilla, & ad diſciplinam
„tantum pertinente, tot adverſa per-
„peſſi ſimus. Verum quocunque no-
„mine res iſta nuncupetur, malumus
„cum Gregorio VII. Gelaſio II. Anſel-
„mo, Thoma Cantuarienſi, aliisque
„Sanctis Pontificibus, quorum veſtigia
„in hoc ſtadio premimus, malumus,
„inquam (quod pace illius dictum ſit)
„cum iſtis Eccleſiæ luminibus inſanire,
„quam cum Toloſano Antiſtite ſapere.

„Miror iſtam ſapientiam non per-
„ſpicere, quod inſaniam noſtram nun-
„quam latere potuit, videlicet, non
„diſciplinæ ſplendorem tantum, ſed
„Regiam Eccleſiæ dignitatem, ſed ſi-
„dem plane hoc in negotio in diſcrimen
„vocari. Volunt adverſarii licere Regi
„decimas, rem Sacram, Sede vacante,
„capere, dignitates, aliaque Beneficia
„pleno jure tribuere, non ſimplicia mo-
„do, verum etiam ea, quibus animarum
„cura conjuncta eſt, imo & meras Pa-
„rochias. Quo pacto, ut de aliis ſileam,
„Archipresbyteratu Aquenſi, clariſſi-
„mo Magiſtro Dorat erepto potitur in
„præſentiarum Regaliſta Morean, unius
„ex Patribus Societatis Nepos, quem
„hac de cauſſa excommunicatum ab
„Illuſtriſſimo Domino Epiſcopo Apa-
„mien-

„mienſi declaratum, Archiepiſcopus „Toloſanus abſolvit. Sæc. XVII. A.C. 1681.

„Affulſerat, Beatiſſime Pater, ſpes „aliqua, fore, ut ab Illuſtriſſimo Ar„chiepiſcopo Toloſano pace frueremur, „ſparſa ſcilicet fama, ipſum ad Sancti„tatem veſtram literas ſcripſiſſe, quibus „ſe impoſterum a rebus noſtris velle pe„nitus abſtinere profiteretur. Sed e„vanuit citiſſime, multiplicatis a præ„fato Præſule Vicariorum Generalium „pro noſtra Diæceſi nominationibus. „Cum enim primæ a ſe factæ, & ab „iis ipſis, quos conſuluerat, damnatæ, „vitium tandem agnoviſſet, jam qui„dem revocavit, ſed poſt Senatus Pa„riſienſis placitum, cui in edicto ſuo ſe „obſequi proteſtatur, Illuſtriſſimum Epi„ſcopum Leonenſem nova præſumptio„ne Vicarium Generalem creavit. O „ſummum Sacerdotem de Regali Sa„cerdotio magnifice ſentientem! o Ec„cléſiæ bene conſulentem! ſanctiora „ſunt ei Parlamenta, quam Concilia, „minusque veneranda Sancti Petri Ca„thedra, quam profana ſæcularium Ju„dicum ſubſellia.

„Illuſtriſſimo Epiſcopo Leonenſi, ab „hujusmodi Vicarii Generalis munere „abhorrente, & ut paſſim creditur, „Sanctitatis veſtræ cenſuram pertime„ſcente, Presbyterum quemdam do„meſti-

Sæc. XVII. A. C. 1681.

„mesticum suum, & Crucíferum, re„gendæ huic Ecclesiæ præfecit: itera„tis illis nominationibus significans, „quam parum valuissent apud illum Apo„stolicæ literæ die secunda Octobris, „tum ad nostrum Capitulum, tum ad „illum ipsum datæ. Obtemperavit Cru„cifer, ab eo longe dissimilis, cujus con„silio atque increpatione Divus Thomas „Cantuariensis erectus, firmatusque est, „cum nimio pacis amore, nimiaque de„liniendi Regis cupiditate pene subver„sus esset.

„Tentavit & ipse, commonitorio, „& censurarum interminatione in Diæ„cesi Apamiensi, Sanctitatis vestræ li„terarum interpretes, Typographos, „promulgatores, executoresque dete„gere: conscientiæ tamen stimulis exa„gitatus, aliquando post Tolosam repe„tiit: Verum Archiepiscopus, qui ad„versus Sanctitatis vestræ literas studet „impavidus videri, postridie quam Ar„chiepiscopalis Palatii valvis affixum „fuit Breve Kalendis Januarii datum, „præfatum Vicarium Apamias remisit, „pristinumque locum resumere coegit; „utque contentam in Brevi excommu„nicationem, in quam inciderat, se pa„rum reformidare universæ plebi sua„deret, Sanctissimum Missæ Sacrificium „publice, aliaque Divina Officia solem„niter

„niter celebravit, a quibus per sex „Menses abstinuerat. Sæc. XVII. A. C. 1681.

„Non est, Beatissime Pater, tam „parum Christiana Gallia, ut prædictus „D. Archiepiscopus Sanctissimæ Sedis „contemptum posse non improbari ar„bitretur: quamobrem tam odiosam a „se opinionem amovere nititur, falsita„temque literis a Sanctitate vestra emis„sis affingendo, atque ut res verosimi„lior evadat, affirmando falsitatem non „modo a Sanctitate vestra fuisse dete„ctam, sed & vindicatam, ejecto Secre„tario, hujusmodi Brevium fabricatore.

„Huic rumori adstipulantur quasi „testes certissimi, aut verius auctores „sunt Patres Societatis Jesu, præsertim „Pater Roques. Non alio fere Consi„liario, non alio rerum suarum scriptore „utitur Reverendissimus Archiepiscopus „Tolosanus. Utinam unius, aut paucorum „tantum, & privatorum hujus Socie„tatis hominum esset hæc erga Eccle„siam affectio, ac propagandæ Regaliæ „studium. Unus eorum, nomine Mey„nier (ut ceteros omittam) eum ex „novo Regaliæ jure fructum jam per„cepit, ut tres suos Nepotes totidem „beneficiis, ut ipse putat, auxerit, ut „ego existimo, jugularit.

„Quot Episcopos eo nomine invisos „aulæ fecerunt, ex iis præsertim, qui „opti-

Sæc. XVII. A. C. 1681.

„optime ministerium suum implent, „quique Sanctitatem vestram æmulati, „corruptissimam illam de moribus do„ctrinam e suis Diæcesibus eliminant?

„Quod nobis a Patribus Societatis „Apamiensibus obsequium hucusque „denegatum sit, de sententia atque de„creto primorum Provinciæ factum est, „quos accepimus eam ob caussam To„losæ in unum convenisse: utrum non „adversus Dominum, & adversus Chri„stum ejus? quid in eo cætu delibera„tum, conclusumque fuerit, sublecuta „demonstravit contumacia, quæ neque „per Sanctitatis vestræ literas, pœnam „excommunicationis latæ sententiæ „continentes, comprimi potuit. Siqui„dem etiamnum publice sæcularium „Confessiones excipere pergunt, & ani„mas Christi sanguine redemptas diaboli „laqueis irretiunt, hoc est absolutioni„bus, quas Sanctitatem vestram nullas „declarasse, non ignorant.

„Hæc tanta mala, Sanctissime Pater, „quis crederet, non alio de fonte pro„fluere, quam ab eorum de probabilitate „doctrina? narrabant non ita pridem Pa„ter . . . & Pater . . . . non esse qui„dem indubitatum jus Principis circa „Regaliam, esse summo Pontifici ratio„nes suas, & Regi suas, & nihilomi„nus fas esse Regi, probabilem sen„ten-

„tentiam secuto, jus suum tueri, nec „debere eum istius controversiæ Judicium „Sacræ Sedi permittere, qui sermo ad- „eo perculit quemdam adolescentem „Clericum, Nobilem, doctum ac pium, „ut instar Danielis insurrexerit in istos „senes, qui non Susannam, sed Spon- „sam Christi charissimam summa con- „tumelia afficiebant. Sæc. XVII. A. C. 1681.

„Hæc sunt B. P. quæ Beatitudini „vestræ significare, e re Ecclesiæ esse „putavi, non ad condemnationem eo- „rum, de quibus locutus sum (erunt „enim semper in cordibus nostris ad „commoriendum & ad convivendum) „sed ut eos Sanctitas vestra in gremio „suo tanquam filios non quidem optime „valentes, amanter diligenterque con- „fovendo, pristinæ sanitati restituat.

„Quod vero calamitates nostras ocu- „lis vestris subjecerim, non alio con- „silio factum est, quam ut iis reme- „dium a S. V. quæreretur. Minuuntur „quidem mala, quæ tam sacris auribus „excipiuntur, deliniuntur filiorum vul- „nera, quæ videt & dolet tantus „Pater. Verum ingravescentis doloris „magnitudo nonnisi validioribus medi- „camentis curatur. Non precor adver- „sariis, quæ merentur pœnas; expo- „nam tantum, impunitate, aut potius „paterna Sanctitatis vestræ patientia

Sæc. XVII. A. C. 1681.

„illos ad conterendum nos audaciores „jam effectos. At inquiunt Viri *secun-* „*dum carnem prudentes*, concedendum tem- „pori, indulgendum Potestatibus, a qui- „bus multum metuas, speres plurimum: „scilicet istis artibus imperium Christi „partum est? has docuit Apostolos Do- „minus artes? sic indulgendo, palpan- „do, exivit in omnem terram sonus eo- „rum? Nequaquam sane, sed Marty- „rum cruore irrigata crevit Ecclesia, & „persecutionum fluctibus jactata firmius „stetit. Quid vero ista indulgentia, ista „aulica obsequia, istæ demum sæculi, „non æternitatis artes, Ecclesiæ con- „tulerint, nec me sacræ literæ, nec me „Ecclesiastica monumenta docuerunt.

„Flecto genua cordis mei, Beatis- „sime Pater, vestræque Sanctitatis, pa- „cem Evangelisantis bona, speciosos pe- „des deosculor. Iisque in spiritu affixus „peto, precorque, primo quidem mihi „peccatorum omnium miserrimo, dein „Collegis meis, atque in Deo Parenti- „bus, Reverendo Patri d'Aubredo, R.P. „Rech vinctis in Domino, postremo ce- „teris Canonicis Regularibus, aliisque „omnibus, carceres, exilia, vel qua- „lescunque ærumnas pro caussa Dei „subeuntibus Apostolicam benedictio- „nem, quæ a dextera bonis tot operi- „bus

„bus secunda, non potest non admo- Sæc. XVII.
„dum copiosa in capita nostra defluere, A. C. 1681.

## §. LVIII.

## *Tolosani Senatus in Joannem Cerlem Vicarium Apamiensem capitis sententia.*

Interim Tolosanus Archiepiscopus suam auctoritatem a Joanne Cerle Vicario graviter læsam ratus, dolorem suum ex ejus contemptu conceptum severissima ultione explere meditabatur: iteratis igitur literis a Tolosano Senatu petiit, ut pronuntiata mortis sententia, ultimum supplicium in hunc Vicarium decerneret: Tam horrendam injustitiam primo exequi detrectabant Judices Tolosani, haud ignari, quod præfatus Cerles nulla alia gravaretur culpa, quam quod innocens esset, & juramenti Ecclesiæ suæ ac summo Pontifici præstiti tenax, Ecclesiæ suæ jura contra Metropolitæ & Regalistarum violentias propugnarit: quocirca omnes Tolosani Senatores judicium recusabant, in quo aut innocentia damnari, aut Tolosanus Antistes offendi deberet. Verum hic de Parisiensis Archiepiscopi & Regii Confessarii patrocinio tutus, ad Regium Senatum graves admodum dédit literas, verbis imperio similioribus postulans, ut in im- *Abregé Chronol. de l' Hist. Eccl. tom. 3.*

Sæc. XVII. A. C. 1681.

probum Cerlem insigne vindicis justitiæ exemplum constitueretur: Denuo ferocioribus literis instabat Archiepiscopus, ut Tolosanus Senatus mortis sententiam in Vicarium ferre haud ultra cunctaretur: Renuunt hi tam indigno facinore judicii sui sanctitatem contaminare; cum autem Archiepiscopus a Regio Senatu decretum extorsisset, quo Judices Tolosani Cerlem severius judicare jussi, ob ignaviam, morasque graviter reprehendebantur, inde territi sententiæ diem dixere: Præstituta igitur die Archiepiscopus summo mane Curiam ingressus, vultu minaci ac torvo Judices objurgavit, eosque ad maturandam sententiam vehementi oratione in Vicarium declamata accendit: Obtendebatur ad honestandas enormes hasce injustitias Regis quantumvis inscii auctoritas, voluntasque: obstupuere Judices, Religiosum, Sacerdotem, primæ dignitatis Ecclesiasticum, Virum doctrina ac pietate conspicuum, ab ipso summo Pontifice in suo jure firmatum, accusante & urgente Archiepiscopo suo ad extremum supplicium expeti: nihilominus Regis, ac Regiorum indignationem veriti, digresso Archiepiscopo, communi suffragio innoxium hunc Vicarium ad mortem damnarunt, tanta etiam judicii præcipitantia, ut quidam ex hisce Judici-

dicibus sese haud continere potuerit, quin exclamaret: *nunc vero constat, quam magna, quam mira sit timoris potentia; ecce enim vos omnes ob metum damnatis, quem tamen omnes innocentem creditis:* Interim rumor per urbem spargebatur, Cerlem nonnisi capitis supplicio damnandum esse; cum autem hoc mortis genus horrendæ hujus scænæ Authoribus minus infame esse videretur, mox mutata sententia laqueo perimendus decernitur. Indicitur executioni dies decima sexta Aprilis: lictor tamen magis humanus intempesta adhuc nocte unacum uxore aufugit, ne se tam iniquo facinore contaminaret: nihilominus indigna hæc sententia, cujus etiam ultimæ sortis hominem pudebat, contra Vicarium fuga dilapsum non modo Apamiis, Tolosæ, Foxiæ, sed in pluribus aliis Regni urbibus executioni datur, hoc modo, Vicarii simulacrum paleis & centonibus suffultum, & ne quid ludibrio deesset, superpelliceo albo, quo vestiri solent Canonici Regulares, tectum plaustro imponitur, ac per omnes Urbis plateas ad populi spectaculum circumducitur, tandem ad eum locum, ubi malefici puniri solent, delatum in patibulo suspenditur: Hujus rei indignitatem ipsemet Pater Cerles descripsit in quadam epistola die decima quarta Junii

Sæc. XVII. A.C. 1681.

Sæc. XVII. A. C. 1681.

nii ad Innocentium Papam data, quam integram huc referre, plenior hujus facti notitia depoſcere videtur:

„Securior jam, perſcripſit Cerles, „audaciorque, ad Vos Sedemque Apoſtolicam, iterum, iterumque venio; „ . . . Olim humi repens, vermi quam „homini ſimilior, nunc cæpi ſurgere, „jamque cælum, ſanctamque Sedem, „quæ tota Cæleſtis eſt, propius intu„eor, nimirum factus de Cruce celſior, „de furca & patibulo ſublimior. Sum „certe, nec diffiteor, hominum viliſſi„mus, omniumque pedibus conculcan„dus: videtur tamen non contemnen„dus, quem confeſſionis umbra nobili„tat, & imago Martyrii. Inſipiens fa„ctus ſum, Pater Sanctiſſime, mente ex„cedo, ſed ſobrium eſſe non licet ſub „tanto gloriæ pondere, in tanta gaudii „ſuperabundantia.

„Porro gloriam illam, illudque gau„dium debeo Toloſano Senatui, qui ſive „ſponte ſua, ſeu potius Reverendiſſimi „Archiepiſcopi Toloſani impulſu, Au„licisque mandatis, capitis ſententiam, „quam pridem meditabatur, tandem „aliquando in me dixit. Damnatus ſum „peccatorum primus, miſerrimusque, „ut olim celeberrimi quique fidei Con„feſſores, Chriſtique Athletæ, qui om„nes tanquam publicæ quietis pertur„bato.

„batores, patriæ proditores, Princi- Sæc. XVII
„pum ac poteſtatum obtrectatores (con- A.C. 1681
„fictis ſcilicet ſathana auctore, crimini-
„bus) feliciter perierunt.

„Ita perire nondum mihi tribuit „Deus, Pater Sanctiſſime, qui dum a-„lieni inſurgentes adverſum me e Sy-„nagoga potentium quærerent animam „meam, in nomine ſuo ſalvum me fe-„cit, ſuſceptorque fuit animæ meæ. „Verum ſpe ſua fruſtrata crudelitas, „cum noſtro ſatiari cruore non potuiſ-„ſet, ſummo nos dedecore, contume-„liaque afficere tentavit. Circumducta „eſt a Carnifice in curru, vehendis ad „ſupplicium reis deſtinato effigies noſtra „per frequentiores Toloſæ vicos & com-„pita, ferali pompa, inſolentique ritu: „mox in celebri foro præcelſæ trabi ſu-„ſpenſa; magnum afflictæ Religionis lu-„dibrium! ingens ferocientis impietatis „trophæum? Ita Pater Sanctiſſime, „mundo & hominibus utinam & Ange-„lis, ſpectaculum facti ſumus.„

„Viſebatur in illa tabella, vir Reli-„gioſus veſte candida unacum ſuperpel-„liceo indutus, qui Canonicorum Re-„gularium habitus eſt. Stabat retro „pictus carnifex, truci vultu, bipen-„nem vibrans, ac genuflexi cervicibus „imminens. Ad hujusmodi lætum ad-„verſariis, mihi profecto non lugendum

Sæc. XVII. A.C. 1681.

„ſpectaculum, fremere omnes boni, & „indignari cæperunt. Quid? ajebant, „Sacræ & Religioſæ veſti tam procaci„ter illudere? Ceteri Rei demptis veſti„bus interficiuntur, ut dum ſcelus ple„ctitur, dignitati parcatur. Vere Re„ligionis ludibrium totum illud eſt, non „hominis ſupplicium. Felix, qui ſic „probro afficitur! ita olim Martyres in „ſtola candida & amictu nitidiori ad ne„cem tanquam ad nuptias procedebant „fuit quoque S. P. qui argute ſimul & „ſapienter diceret: quicquid in ea ta„bula penicillus expreſſerat, videri ſibi „earum rerum, quæ intra Gallias ea „tempeſtate gerebantur, emblema. Sub „illo ſuperpelliceo candidoque amictu „Eccleſiam Gallicanam latere, miſe„ram prorſus & ærumnoſam, cui ſchiſ„ma Regaliſtarum, ſtricto gladio, ca„put amputare pararet, dum eam a „ſummo Pontifice capite ſuo, valido „quidem, ſed caſſo conatu divellere „niteretur. Hæ ſunt, P. S. proborum „omnium querelæ, ſic ſentiunt, ſic lo„quuntur, quicunque apud nos plus „Deum timent, quam hoc ſæculum „diligant.„

„Nemo bonus eſt, qui ſine indigna„tione audiat, impios quorumdam per„ditorum hominum, paucorum certe, „de inſtituendo in Eccleſia Gallicana „Pa-

„Patriarcha ſuſurros: quaſi vero, qui „juxta antiquos Canones, nequidem „Metropolitanum, ſine proprii gradus „periculo poſſunt conſtituere, poſſint „ſibi præficere Patriarcham? aut mi„nus ſubditus futurus eſſet Patriarcha „iſte ſummo Pontifici, quam ii, a qui„bus accepturus foret poteſtatem? „niſi forte (quod de Gallicanis Præſu„libus ſentire nefas eſt) aliud caput „Eccleſiæ adjungentes, monſtrum ef„fingere meditentur. Nemo ſapiens, „qui non intelligat, quo conſilio petita „ſit a Rege noſtro Chriſtianiſſimo con„gregandorum comitiorum facultas, „præſertim per Reverendiſſimum Archi„epiſcopum Senonenſem, Toloſani Fra„trem, ac Pariſienſi per omnia obſe„quentem; nemo verus Eccleſiæ Filius, „qui non doleat, Regis Regum Spon„ſam Eccleſiam, nefariis laicorum ju„dicum artibus in ordinem redigi. San„ctitatem veſtram minime latere puto, „quid contra poſtremas ad noſtram exi„guitatem Apoſtolicas literas Senatus „Pariſienſis ſtatuerit, quantumque ea„rum occaſione Procurator Generalis „garrierit. Inter innumeros, quibus „tota ejus ſcatet oratio, ſchisma inve„hentes errores, hic imprimis eſt, non „poſſe Regni Magiſtratuum decreta „(quantumvis S. Canonibus & Apoſto-

Sæc. XVII. A. C. 1681.

Sæc. XVII. A. C. 1681.

„licis ſtatutis adverſa) ab ulla poteſtate „Sacra inhiberi aut infringi; non a Con„cilio Oecumenico, non a Petro, ullo„que Petri Succeſſore, quæ vox pro„fecto Rapſacis cujusdam potius eſſe „videtur, quam hominis Deum Iſrael, „ejusque Chriſtum confitentis. Audent „quotidie Judices laici Synodicis de„cretis, Pontificiisque reſcriptis auc„ritatem omnem demere? non poterit „Chriſti Vicarius, totaque cum ipſo Ec„cleſia, unius Parlamenti judiciis ſeſe „opponere, quamquam illa Canonicam „diſciplinam omnem, jura omnia, Sa„cram forſitan & ipſam fidem ſubver„terent? Hoc habet in ſupremis illis „Curiis Mater Eccleſia præſidium? ſic „illis (quod quidem nuperi Aulicorum „Epiſcoporum cætus acta tantopere „jactitant) tanquam firmiſſimis fulcris „æternum Chriſti ſolium innititur.„

„Noviſſimorum ſane temporum ini„quitas eſt, B P. ut quicunque bellum „Eccleſiæ inferunt, benevolentiam „ſimulent, amicitiam præſeferant. „Olim hoſtes Eccleſiæ, hoſtes dicebantur: divexabant non decipiebant, ſuo „ſatis proditi nomine. Nunc duplex „religioni labor incumbit; nam prius„quam ſe ad hoſtes ſuos debellandos ac„cingat, debet illos detegere; quod „quidem hodie difficillimum eſt; cum „alii

„alii Reformatores dicantur: alii vo-„centur Tutores defensoresque: alii „aliis nominibus nuncupentur. Non-„dam extincto Calviniſtarum bello, no-„vum a Parlamentis exoritur. Illi Ec-„cleſiam reformando dilacerant, iſti de-„fendendo amplectendoque præfocant.

„Gloriabatur olim Lutherus, Lu-„therique principes aſſeclæ, ſe novos „Prophetas, novosque Apoſtolos a Deo „extra ordinem miſſos, qui non modo „collapſam Eccleſiam erigerent, ſed e-„tiam extinctam penitus, in lucem re-„vocarent. Neſcio, an de novo quo-„dam, & extra ordinem Apoſtolatu, „ſupremæ noſtræ Curiæ glorientur: il-„lud ſcio, putare homines iſtos, ſui „muneris eſſe antiquos Canones tueri, „priſcamque diſciplinam vindicare, la-„benti Eccleſiæ humeros ſupponere. Ni-„mirum dormit in cymba Chriſtus, otia-„tur Spiritus ſanctus, Sponſa Chriſti „conſenuit, annisque fatiſcens, ſeipſam „non poteſt regere. Potuit quidem alias, „dum juventute vigeret, dum floreret „annis, Canones condere, leges ferre, „ſibi ipſi cavere: nunc Rectore, Pæda-„gogoque indiget, nunc eſt tutoribus & „actoribus committenda: quicquid ege-„rit anus decrepita, anus delira, ſuo-„rum Curatorum, Parlamentorum in-„juſſu, irritum decernitur, nullumque

„pla-

Sæc. XVII. A. C 1681. „plane cenſebitur. O ſcelera! o verba „impia! o hoſtium quam filiorum di„gniora conſilia?

„Hæc tanta tamque acerba Eccle„ſiæ mala, Pater Sanctiſſime, malo„rum noſtrorum ſenſum adimunt, at„que oblivionem inducunt: de his tă„men malis noſtris Veſtræ Beatitudinis „auribus pergam paucula quædam in„gerere. Cum fuiſſemus, ea qua di„ximus, ignominia in civitate Toloſana „affecti, eadem poſtmodum Apamiis, „& in ceteris Diæceſeos oppidis, inuſti „ſumus: tum contumelia filii, gloriam „Patris in memoriam revocavit. Ob„verſabatur omnium animis, Patris pa„riter & Epiſcopi noſtri optimarum vir„tutum exemplar, merita quoque & „beneficia, quibus tot annis gen„tem noſtram cumulaverat. Hanc ergo, „ajebant, reddunt vicem ei, qui toties „nos ſua paupertate ditavit, jejuniis „aluit, periculis ſecuros effecit, opti„mis exemplis ad pie Chriſtianeque vi„vendum provocavit, qui corpus ſuum „exhibens hoſtiam ſanctam, Deo pla„centem, toties in tempore iracundiæ „factus eſt reconciliatio? Pro tot, tan„tisque Viri Dei erga nos meritis, di„ſperſis exteris ejus filiis omnibus, „eum, qui unus ſupereſſe videbatur, „ſuſpendio necare non perhorreſcunt.

„Fuit

„Fuit tum afflictiſſimæ hujus Eccleſiæ Sæc. XVII.
„perquam lugubris facies, Rachaele A.C. 1681.
„plorante filios ſuos & nolente conſo-
„lari, quia non ſunt.

„Quis fuerit, Pater Sanctiſſime,
„manſuetiorum omnium ſenſus animus-
„que, ex ipſo Apamienſi carnifice con-
„jici poteſt. Ille, qui toties oculos ſuos
„humano cruore paverat, cui ars, imo
„ludus erat, homines torquere, urere,
„membratim concidere, omnique ſup-
„pliciorum genere necare, vehementi
„horrore perculſus eſt, vixque potuit,
„conceptam animo feritatem authore
„Deo dedoctus, ore pallenti, labenti-
„bus genibus, tremulaque manu, ef-
„figiem noſtram cruci appendere: cum-
„que id ſibi iterum iterumque præſtan-
„dum intellexiſſet, cum conjuge, re-
„busque ſuis, noctu fugam capeſſit. Mi-
„ſeras terras! infelix ſolum! cui tanta
„feritas eſt, ut tædio, horrorique ſit
„vel ipſis carnificibus. Abiiſſe hominem
„cum comperiſſent, prætor Civitatis,
„Præfectusque Provinciæ, mittunt il-
„lico, qui ſedulo fugitivum quærant,
„inventumque vi revocent. Compre-
„henſus ad ſexageſimum circiter millia-
„rium, negat ſe in eam urbem reditu-
„rum, in qua patibulum innocentiæ pa-
„ratur, religioni ſecuris imminet: ſe
„miſerum atque calamitoſum, eſſe ta-

„men

Sæc. XVII. A. C. 1681.

„men Catholicum, nec posse Calvini„starum more adversus Ecclesiam bel„lum gerere, eosque necare, quos illa „salvos vellet, summaque benignitate „prosequeretur: vereri se Dominum Epi„scopum Apamiensem, signis & virtu„tibus coruscantem, & suorum haud „dubie non oblitum.

„Videtur mihi tortor ille, boni la„tronis constantiam æmulari, qui de „Cruce pendens, ausus est confiteri „Christum, a scribis & Pharisæis accu„satum, damnatum a Magistratibus, a „Regibus illusum, ab Apostolis ita vel „negatum, vel traditum, vel derelictum, „ut unus tantummodo inventus sit, qui „staret juxta crucem ejus, ne unquam „de magno numero improbitas gloria„retur, aut erubescendum sibi putaret „de paucitate pietas: sic nimirum, di„vina disponente providentia, ut inno„centiæ non modo testimonium, sed & „præsidium ab eis præstaretur, a qui„bus minus videretur exspectandum, „cujus præclarum, & a caussa nostra „non alienum legitur in Annalibus Ec„clesiasticis exemplum.

„Edinero referente, contendebat „Sanctissimus Præsul Anselmus cum „Henrico Anglorum Rege circa investi„turam & Regaliam: Mittit uterque „Legatos Romam ad summum Pontifi„cem

„cem Paſchalem, & ſuum utriusque „hac in re, nemine refragante, judi„cem: nondum enim aliud ſuaſerat „adulatio Chriſtianis Regibus. Cauſſam „Anſelmi, id eſt, Eccleſiæ defenden„dam ſuſcipiunt duo Viri Religioſi, cauſ„ſam Regis, id eſt ſæculi, tres Epi„ſcopi: Horum unus, qui præerat Ec„cleſiæ Norvicenſi, nomine Herebertus, „exigit ab Epiſcopo, ne quid impoſte„rum contra Anſelmum, ejusque Ec„cleſiæ dignitatem, aut libertatem co„gitaret, aut faceret.

„Non meæ parvitatis eſt, S. P. Re„verendiſſimos Epiſcopos, Dominos ac „Patres meos officii admonere ſui. Opta„rem tamen vehementer, ut iſta legiſ„ſent, quos nuper in ædes ſuas, Il„luſtriſſimus Archiepiſcopus Pariſienſis „coire juſſit. Maluiſſent profecto, San„ctitati veſtræ, pro ipſarum Eccleſia„rum dignitate, tantis laboribus, tan„taque gloria decertanti, gratias agere, „quam de Apoſtolicis literis, pari in „Sanctam Sedem contemptu, ac in au„lam adulatione conqueri. Utilius ſibi „fore putaſſent, Regem noſtrum Chri„ſtianiſſimum, ac nunquam ſatis nobis „ſuſpiciendum, precibus, & lacrimis „pro extinquenda Regalia, reddenda„que Apamienſi Eccleſiæ tranquillitate, „adire, quam cum miſeris quibusdam

„Le-

Sæc. XVII. A. C. 1681. „Leguleis, de Sacroſancti Concilii Lugdunenſis auctoritate, ſummo cum Ordinis ſui dedecore, dubitare. Satius exiſtimaſſent, Præſules noſtri, Viri (ut Sanctitas veſtra loquitur) vere Apoſtolici, ac decoris Domus Dei Zelatores, æmulatoresque fieri, quam iis, qui nos, ejus filios, ad internecionem usque perſequuntur, ſocios ſe, amicosque adjungere.

„E re ſua potius duxiſſent, Procuratoris Generalis Pariſienſis, adverſus Sanctam Sedem adlatrantis audaciam, furoremque, Eccleſiaſticis cenſuris comprimere, quam eum tanquam egregium athletam, invictumque Eccleſiæ Gallicanæ libertatum vindicem ſummis laudibus evehere. Sanctius denique commodiusque putaſſent Archiepiſcopum Toloſanum, Regaliſtas, Regaliſtarumque fautores omnes, excommunicationis vinculis innodatos, & Eccleſiam audire nolentes, tanquam Ethnicos & Publicanos habere, & interim eos ad faciendos dignos pœnitentiæ fructus hortari, quam eorum patrocinium ſuſcipere, & circa Apoſtolicarum literarum formulas cavillando pereuntium cubitis pulvillos conſuere, malisque ſuis indormientibus cervicalia parare. Sed Benedictus ſit Deus, qui ut olim in condenda, ita nunc in ſer-

„ſervanda Eccleſia non multos poten- Sæc. XVII.
„tes, non multos Nobiles, ſed ignobi- A. C. 1681.
„lia mundi & contemptibilia elegit, &
„ea, quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt de-
„ſtrueret: nunc piſcatores, aliquando
„latrones, poſtremo carnifices nominis
„ſui teſtes habuit.

„Inter tot vinctos in Domino, qui
„pro juſtitia perſecutionem patiuntur,
„unus ex noſtris eſt, gradu tantummodo
„Novitius, ſed probitate, cunctisque
„Religioſi hominis dignis virtutibus,
„antiquioribus conferendus. In ejus
„caput Senatus Toloſanus diligentiſſime
„quæſtionem habet. Accuſatur, Apo-
„ſtolicas literas, noſtraque edicta To-
„loſam attuliſſe, novo prorſus & inau-
„dito crimine, propterea cum ſicariis,
„ac parricidis in carcerem miſſus eſt.
„Quo in loco Pater Sanctiſſime, vene-
„rabilis Epiſcopi noſtri dignum ſe præ-
„buit diſcipulum, filiumque non dege-
„nerem: nihil illo ſimplicius, mitius,
„humilius, ac rurſum nihil fortius, ani-
„moſiusque, agnus ſimul, leoque vide-
„tur. Interroganti Laico Judici, negat
„Sacerdotem reſpondere, fas eſſe: mi-
„nanti ferrum & ignem, hoc unum re-
„fert, quod facis, fac citius. Interim
„ſemper vigilat, ſemper orat, ſemper
„jejunat: ſic pugil Evangelicus Martyr
„matureſcit, ſic Confeſſor Chriſti paſſioni

Sæc. XVII. A. C. 1681.

„ſuæ præludit: Conquiruntur undique „teſtes. Sed quid referant teſtes? narrat ille, hominem iſtum ſemper ſilere, „aut loqui tantum ſermones Dei, alius „continuata per multos dies jejunia prædicat, alius intentam ſemper, Deo mentem collaudat, alii alias ejus virtutes „commemorant. Nemo eſt, qui non jurejurando affirmet, videri ſibi hominem „iſtum non innocentem modo, ſed ſanctum: Quæ cuncta, Pater Sanctiſſime, „tantum tamque religioſum timorem „omnibus injecerunt, ut nonniſi trepide „ac reverenter ad Reum Judex accedat. „Iſtius Athletæ, aliorumque, qui nobis adhæſerunt, conſtantiam Sanctitatis Veſtræ literis die prima Januarii „datis, poſt divinum adjutorium accepta referimus. Sed non unius fuit „illarum fructus: Rem plane confectam „videbantur; plurimi ex iis, qui lapſi „fuerant, ad meliorem frugem, peracta „etiam publica pœnitentia generoſiores „evaſerunt. Regaliſtæ nunc ſibi proximum, loco cedendum eſſe dubitabant, „Clerus & populus erga Sanctam Sedem optime affecti, negotio finem jam „fere impoſitum gaudebant: Jeſuitas „fortiores Regaliæ propugnatores, Sanctæ Sedi reſiſtere cum puderet, variis „artibus inobedientiam occultabant, „præſertim falſitatem Apoſtolicis literis „affin-

„affingentes. Ipſemet Archiepiſcopus „Toloſanus in tanta erat perturbatione, „ad fulminis imminentis fragorem con„citatus, ut tam conſcientiæ ſtimulis, „quam pertinaciſſimæ febris paroxis„mis dirius exagitaretur. Verum P. S. „diuturna Sanctitatis veſtræ patientia, „quæ reos ad perfectam converſionem „adducere debuiſſet, naſcens pœniten„tiæ deſiderium præfocavit. Archiepi„ſcopus primum quidem ſparſa de falſi„tate reſcripti Apoſtolici fama, deinde „Aulicorum Epiſcoporum defenſione, „tum literis a S. Congregatione ad ipſum „ſcriptis confirmatus eſt, & Sanctita„tem veſtram ulterius non progreſſuram „confidens, nos, aliosque Eccleſiæ ob„ſequentes Clericos & laicos, ſive per „ſe, ſive per Vicarium Generalem a ſe „conſtitutum usque ad exterminium per„ſequitur. Si quis Eccleſiæ mandatis „obtemperans, Confeſſarios quærit le„gitime approbatos, in ſtrictiſſima vin„cula detruditur, aut aliis graviſſimis „pœnis plectitur. Non alterius crimi„nis reus eſt Vir quidam (ut de reli„quis taceam) jam pridem in tetro car„cere Apamiis diſtentus, quam quod „Parochum canonice inſtitutum ad au„diendam mulieris periculoſiſſime de„cumbentis confeſſionem accerſiſſet. A „Parochiis fugant Vicarios omnes pie

Sæc. XVII. A. C. 1681.

„ſanctèque viventes, gregique ſuo ſe„dulo invigilantes, qui tenuitatis meæ, „vel potius Sanctitatis veſtræ vocem au„diunt, alienosque ſequi recuſant: quod„que vehementiſſimi doloris ſenſum au„get, ſubſtituuntur perditiſſimi homines, „quorum aliqui publice ebrii viſuntur, „alii verbis obſcænis fugientes caſtas „virgines inſequuntur, & ſi compre„hendere nequeunt, in blasphemias „prorumpunt: nec laudabiliores ſunt „Regaliſtarum mores: eorum unus cum „ſoluta, cum conjugata alter ita con„verſantur, ut toti civitati maximo „ſint ſcandalo.

„De Jeſuitis, utinam! aut nulla „mihi dicenda forent, aut bona! ſed „charitas, quæ operit multitudinem „peccatorum, non refugit imo feſtinat „de errantibus ovibus protinus admo„nere paſtorem. Ignoſcat illis Deus non „quidem neſcientibus, ſed maxime om„nium ſcientibus, quid faciunt, dum „Sanctæ Sedi palam illudunt. Poſt ac„ceptas a Præpoſito Generali geminas „literas, quarum altera de ultimarum „Sanctitatis veſtræ literarum veritate „certiores illos faciebat, pub ice Rega„liſtarum, aliorumque quorumcunque „ad ipſos accedentium confeſſiones ex„cipere pergunt, quod a teſtibus fide „digniſſimis ipſo Sanctiſſimo Corporis „Chri-

„Christi die, aliisque visum & confir- Sæc. XVII.
„matum est. Sperant scilicet, ob Re- A. C. 1681.
„gionum longinquitatem & pertimescen-
„tibus cunctis, qui veritatis conscii sunt,
„ipsorum iram & in aula Christianissimi
„Regis favorem, quæ illic notoria sunt
„usque ad Sanctitatem vestram non per-
„ventura. Toleranda fors videretur te-
„meritas, si volentibus tantum nocerent,
„si solos Regalistas jam excommunica-
„tos vinculis innexos hujusmodi con-
„fessarii solverent, aut verius arctius
„constringerent, seipsos eisdem vincu-
„lis innodantes: si cæci cæcos tantum
„in foveam traherent, sed quod omnem
„credulitatem supererat, in ruina vel
„invitæ trahuntur animæ. Rector Col-
„legii, nomine Espagnac, qui de præ-
„stito Regalistis auxilio & consilio, in-
„nocens apud Sanctam Sedem videri
„voluit, ipsos ad celebranda publice so-
„lemniterque Divina officia paucis post
„scriptas suas apologeticas literas die-
„bus, hoc est in festo Sancti Xaverii,
„suam in Ecclesiam admisit, & ad con-
„fessionem sibi aut suis faciendam, non
„solum ultro venientes, etiamnum ex-
„cipit, sed refugientes militum metu
„adigit, quod quam sincera fuerit ejus
„excusatio, declarat.

„Is est, P. S. deplorandus Ecclesiæ
„Apamiensis status, cui nisi citissimo

Sæc. XVII. A. C. 1681.

„præsidio a vestra Sanctitate succurra-
„tur, qua possit ratione integram rui-
„nam vitare, non video. Hactenus e-
„nim venturi a Sancta Sede auxilii spes
„labantes sustentabat; sed jam plerique
„Sanctitatis vestræ longanimitatem, sa-
„lutem non arbitrantes, & insipientium
„errore traducti, excidunt a propria
„firmitate. Moveant, obsecro, pater-
„na Sanctitatis vestræ viscera, non be-
„neficiorum aut bonorum temporalium
„rapinæ, nec carceres, nec exilia, quæ
„patimur (pretiosa Dei munera sint ista)
„sed parvuli petentes panem, nec ha-
„bentes qui frangat, sed oves, quas o-
„lim regebant pastores ad vitam prædo-
„ces, nunc perdunt, & mactant lupi
„voraces, sed fideles, qui aut sacra-
„mentis carent, aut ea a Ministris ac-
„cipere coguntur, quos Sanctitatis ve-
„stræ literæ, omni potestate destitutos
„declararunt. Qui Ecclesiæ causam
„impugnant, non aliud, quod saltem
„justitiæ, rationisque umbram præse-
„ferat, ostendunt, quam Sanctitatis
„vestræ literas, rescripta esse privata,
„consolationi nostræ indulta, non sen-
„tentias judiciarias, quibus necessario
„sit parendum: Ceterum, altum in
„tanta rerum perturbatione silentium,
„non leve esse inditium, Sanctitatem
„vestram earum rerum momentis, quæ
„ex-

„exhibent impressa nuper Conventus „Episcoporum acta, eo perductam, ut „ea, quæ geruntur, dissimulando signi- „ficet, se non justa quidem, sed tole- „randa tamen judicare. Sæc. XVII. A. C. 1681.

„Intret ergo B. P. in conspectu ve- „stro gemitus compeditorum, nec di- „cant inimici nostri, prævaluimus ad- „versus eos. Exurgat, obsecro, San- „ctitas vestra, & judicet caussam no- „stram: reddat vicinis nostris septu- „plum in sinu eorum, vindicet sangui- „nem animarum, qui effusus est, imo „qui & indies magis effunditur. Ap- „prehendat arma & scutum, & exur- „gat in adjutorium nobis. Effundat fra- „meam, & concludat adversus eos, qui „persequuntur nos, & tradat hujus- „modi sathanæ in interitum carnis, ut „Spiritus salvus sit in die D. N. Jesu „Christi. Exurgat & judicet suam & „Ecclesiæ caussam, cujus certe si du- „bia esset nobis justitia, indubitatam „facerent, non solum merita venerabilis „Patris nostri Episcopi Apamiensis, a- „cerrimi illius defensoris, sed & mira- „cula (parcat verbo Sanctitas vestra) „quæ per Pastoralem illius annulum, „quem semper mecum gesto, frequen- „tissime operatur Deus Optimus Maxi- „mus. Firmiorem habebimus prophe- „ticum Sanctitatis vestræ sermonem,

Sæc. XVII. A. C. 1681.

„Christi Vicarii judicium lapsos eriget, „titubantes confirmabit, imo & ipsos „adversarios in tenebris & umbra mor„tis sedentes illuminabit, & ad præve„niendam supremi Judicis sententiam „excitabit. Nec enim ita omnem extin„xerunt Religionis sensum, ut si non „citius, saltem dum de reddenda Deo „ratione cogitabunt, æternam damna„tionem, cujus excommunicatio imago „est, non pertimescant. Et si (quod „avertat Deus) ipsi perituri sint in ini„quitate sua, Sanctitas vestra liberabit „animam suam, & ab ea illorum sanguis „non exquiretur.

„Eos omnes, qui pro Ecclesiæ di„gnitate, pro fide, & Religione in ago„ne contendunt, meque ipsum, om„nium peripsema, merumque aborti„vum, Sanctitatis vestræ precibus sup„pliciter & religiose commendo. Fiet „enim, B. P. Apostolicis meritis, ut qui „servorum Christi tribulationes & an„gustias patimur, servorum quoque „Christi vitam, moresque consectemur.

## §. LIX.

## *Cleri Gallicani conventus in Regaliæ caussa.*

*Abrege de l'Hist. Eccl. tom. 10.*

Interim Cerles Vicarius ex suis tenebris, in quibus delituit, cunctas Metropo-

tropolitani ſententias irritas declaravit, necnon Vicarium Generalem & Promotorem ab eo conſtitutos anathemate perculit; hæc tamen inde Archiepiſcopum Toloſanum adeo non a ſua violentia remorabantur, ut multo magis adhuc ira accenſus bilem ſuam in ceteros Apamienſes Canonicos effunderet, quocirca ejus impulſu Cadulus & Gubaretus Canonici Regulares, necnon Rutheus, Ser.nus aliique Apamienſis Eccleſiaſtici in carceres detrudebantur, extremis miſeriis atque ærumnis usque ad mortem confecti, nec ipſi etiam Epiſcopi Apamienſis Sorori parcebatur, quæ unacum puellis, quas Magiſtris inſtituendas tradiderat, ex Diæceſi ejecta in Mirapicenſem arcem relegata eſt: Enimvero ſummus Pontifex iteratis literis horum calamitatibus finem imponere adlaborabat: incaſſum tamen omnia; prævalebant enim, quos vel Regis gratia, vel præmii ſpes, vel indignationis metus Regiis partibus adſtrictos tenebat: ea tamen res vix non ad apertum ſchisma ſpectare videbatur, quocirca Clerus Gallicanus cunctos Epiſcopos tum Pariſiis tum in Aula agentes ad Menſem Majum convocabat, habitoque conventu reque maturius examinata decrevit, ſupplicandum eſſe Regi, ut pro componendo hoc negotio

Sæc. XVII. A. C. 1681.

*Dupin Hiſt. de l'Eccl. t. 4. p. 365.*

Sæc. XVII. A. C. 1681.

aut Concilium Nationale, aut saltem generalem totius Cleri conventum celebrari permitteret. Hoc postremum præplacuit Regi; die ergo nona Novembris huic conventui datur initium, ubi Rhemensis Archiepiscopus ceterorum Præsulum nomine in favorem Regaliæ ad Regis, Regiorumque sententiam ac vota prolocutus, cuncta quæ in Innocentii XI. literis Regi molesta fore noverat, studiose exaggerabat, inter alia asserens: *Jus Regaliæ servitutem esse, quam præsertim collationes Episcoporum quod attinet, imponi, nisi ab Ecclesia, ejusque consensu, non posset, semper nobis persuasum fuit, & ideo cum Concilium Lugdunense Regaliam, ubi hactenus invaluerat, tolerandam esse duxerit, ad eas vero Ecclesias, ubi hactenus insueta, extendi omnino, & sub pœna anathematis gravissime interdixerit, sequitur, ut nec illæ hanc ipsam servitutem recusare debuerint, quæ hactenus eam tulerunt: illæ vero, quæ hactenus naturali & Canonica libertate fruebantur, justissime ferre renuerint usque ad Regiam Anni* MDCLXXIII. *declarationem, quæ* cunctas Regni Ecclesias Regaliæ juri sine discrimine subjecit: Verum ægre persuadere potuisset hic Archiepiscopus, quod Ecclesiæ, quæ suam libertatem naturalem & Canonicam decreto Concilii Generalis firmatam usque ad præfatum

fatum annum conſervarunt, eam per- Sæc. XVII.
diderint per hanc declarationem: A. C. 1681.

Plura adhuc alia protulit hic Archiepiſcopus, quibus Regiorum Judicum ſeveritatem circa Regaliæ cauſſam vindicare, ac demonſtrare nitebatur, quod hæc controverſia non adeo facile in Epiſcoporum favorem decidi poſſet, ac Pontifici perſuadere, nonnulli conati fuiſſent: tandem cenſuit, ad componendam hanc cauſſam omnino petendam eſſe *plenitudinem Sacerdotum*, ut animi nimium exaſperati deliniri valerent.

In eodem hoc Conventu Præſules librum Gerbaſii *de cauſſis majoribus*, uti jam memoravimus, approbarunt, necnon Davidi injunxerunt, ut in ſuo libro *de Judiciis Canonicis Epiſcoporum* apertius declararet, ſe admittere, quod Regis ſubditi ad exterum tribunal extra Galliam trahi nequeant, ſed Papa cognitionem cauſſarum, quæ Regni Epiſcopos concernunt, ad Franciæ Judices devolvere teneatur: inſuper idem Author mentem ſuam circa Eccleſiæ Gallicanæ libertates & Regni doctrinas Ultramontanis contrarias aperte promere jubebatur.

Denique Præſules in hoc Conventu Regaliæ jus in omnes Regni Eccleſias Regi quidem adjudicarunt, eidem tamen

Sæc. XVII. A. C. 1681. men expoſuere, haud abs re eſſe, ut illi, quibus Rex Eccleſia vacante, vi Regaliæ beneficia ejusmodi, quæ annexas ſibi habent functiones Eccleſiaſticas, conferre voluerit, ſeſe pro recipienda inſtitutione ac Miſſione Generalibus Vicariis a Capitulo electis repræſentent.

## §. LX.

## *Innocentius XI. Pontifex Franciæ Regem ab Regaliæ extenſione abſterere conatus.*

Tandem Eſtræus Cardinalis a Ludovico Galliarum Rege, ut circa Regaliæ jus cum Papa ageret, Romam advenit; cum autem hic Regem a ſuo propoſito haud diſceſſurum exponeret, ac coram Papa controverſam Regaliam eidem aſſerere non dubitaret, hinc ſummus Pontifex die tertia Martii ſequentes ad Ludovicum Regem literas dedit: „Quo expectatior eo gratior no„bis accidit dilecti filii noſtri Cardinalis „d'Eſtrees in urbem adventus, virum e„nim nobis merito ſuo jam pridem cha„rum, judicium de illo tuum, & huc „proficiſcenti munus impoſitum fecit e„tiam chariorem, læto itaque ac per„libenti animo eum ad nos adeuntem „excepimus, & intimo paternæ chari„tatis ſenſu complexi ſumus, gaudium „au-

„autem hoc noſtrum non leviter cumula- Sæc. XVII.
„runt redditæ nobis ab eo Majeſtatis A. C. 1681.
„tuæ literæ, inſignibus refertæ notis,
„non ſolum eximiæ, & vere filialis tuæ
„erga nos, atque erga hanc Sanctam
„Sedem obſervantiæ, ſed etiam præ-
„clari inflammatique cujusdam ſtudii,
„pietate & avita gloria digni, de Ca-
„tholica Eccleſia, & de tota re Chri-
„ſtiana bene merendi, noſtrosque in ea
„adminiſtranda paſtorales labores &
„conatus ſtrenue juvandi. Qua quidem
„pii ac liberalis, & plane regii animi
„tui teſtificatione nihil evenire nobis
„optatius poterat, in his rerum angu-
„ſtiis, maximisque periculis, quæ Ec-
„cleſiam Dei omni ex parte circumſtant,
„quæque cor noſtrum de remedio oppor-
„tuno valde ſollicitum continenter ex-
„cruciant, cum tibi, & animi tui Re-
„ligio, ac magnitudo ſuadeant, ut velis,
„& florentiſſimæ Gallici Regni opes,
„& conciliata nomini tuo apud Barba-
„ras quoque gentes reverentia tribuant,
„ut poſſis, quæ liberaliter exhibes, effi-
„caciter implere. Ab hoc tamen ſolatio,
„quod perpetuum & in dies uberius cu-
„peremus, pene excidimus, ubi idem
„Cardinalis differere nobiſcum aggreſſus
„eſt de negotio Regaliæ, in quo illum
„Regiæ tuæ mentis interpretem apud
„nos fore ad noſtras literas in exitu an-

„ni

Sæc. XVII. A. C. 1681.

„ni ſuperioris ad te datas, reſcripſe-
„ras; cum enim & cauſſæ ipſius meri-
„tum, & animi tui æquitas, poſt inter-
„poſita apud Majeſtatem tuam tot Of-
„ficia precesque noſtras, felicem tan-
„dem graviſſimo huic, & multis nomi-
„nibus permoleſto negotio, exitum pol-
„licerentur; nosque hac una ſpe lenire-
„mus, & longiorem ejus moram in iti-
„nere, & paterni doloris ſenſum, quo vi-
„ſcera noſtra aſſidue transfigunt voces Ec-
„cleſiarum Galliæ, Apamienſis præſertim,
„graviter gementium ſub novo jugo per
„decretum, ſeu arreſtum, quod prodiit
„octo abhinc annis menſe Februario,
„illis impoſito, ea idem Cardinalis tuo
„nomine nobis expoſuit, quæ nos ad
„priſtinam ſollicitudinem mœroremque
„revolvunt; quantum enim ex ejusdem
„ſermone conjicere hactenus potuimus,
„non aliud videtur mandatum habere,
„quam explicandi cauſſas, & rationes,
„quibus innititur decretum, quod dixi-
„mus, qua quidem in conſideratione
„hæſimus dubii, quid conſilii capere-
„mus: ſed vicit ſenſus, & vivida vis
„accenſi noſtri erga te amoris: quam-
„vis enim ex certis & indubitatis ra-
„tionibus, & documentis perſpecta no-
„bis exploratáque ſit juſtitia cauſſæ,
„quam tuemur, & pateat ipſa per ſe,
„ac propterea fieri non poſſe credamus,
„ut

„ut Cardinalis quicquam novi afferat, Sæc. XVII.
„quo nos a sententia dimoveat, cum A. C. 1681.
„verum sit vero contrarium; con-
„venire tamen Pontificiæ erga Te cha-
„ritati nostræ duximus, patienter ex-
„cipere, quæ ille nobis exponenda ha-
„bebat, sicuti fecimus. Audivimus e-
„nim illum luculenter, & quantum ei
„libuit, hac de re differentem; si quæ
„addenda præterea habet, iterum audie-
„mus. Sed tolle moras, fili chariſſime,
„& parentis amantiſſimi veram tibi,
„solamque, non fucatam & umbrati-
„lem gloriam, tum in hac mortali vita,
„tum in æterna, illa peroptantis verba
„plena salutis libenter audi, & quæ per-
„peram acta sunt, celeriter emenda &
„nos ab hac moleſtiſſima cura, & mo-
„leſtiore neceſſitate, pastorale officium
„exequendi, te vero ipsum & regnum
„populosque tuos, quos omni felicitate
„florentes cupimus, a divinæ animad-
„versionis periculo liberes: cui quidem
„magnopere veremur, ne via quampri-
„mum aperiatur, si paternis hortatio-
„nibus, & juſtiſſimis poſtulatis noſtris
„aures diutius occluſeris; facile enim
„fiet, ut dum nos lenta nimis mitique
„manu (quod utinam divinam non ar-
„met in nos quoque) vulnus Eccleſiæ
„libertati inflictum tractamus, exurgat
„Deus, & judicet cauſſam ſuam. Nemo
„eſt,

Sæc. XVII. A. C. 1681.

„est, qui non intelligat in hac disceptatione summam rerum ecclesiasticarum „in discrimen adduci. Si enim dissimularetur diutius decreti, sive arresti „illius malum in dies magis invalescens, „brevi profecto fieret, ut disjectis ac revulsis ubique gentium terminis, quos „inter utramque potestatem divina ordinatione posuerunt patres nostri, nulla „relinqueretur ratio tuendæ disciplinæ, „nulla sacerdotio reverentia, nullum „episcopali ordini vestigium pristinæ dignitatis. Notum est jam omnibus, & „pervulgatum causſæ illius meritum. „Neque tu, ut rei veritatem assequare, „necesse habes peregrina documenta „scrutari, cum amplissima & certissima „domi habeas, interroga majores tuos, „& dicent tibi. Plura sunt ab iis hac „de re edita, eaque regiis tabulariis inclusa, & asservata, quæ omnem dubitationem de medio tollunt, accedente præsertim perpetua & inconcussa quadringentorum annorum observantia. Stamus adhuc ad ostium, & „pulsamus, aperi fili charissime, aperi „cordis tui sinum vocibus Patris tui, „qui te assiduo gerit in visceribus charitatis Christi, non minus anxius de „tua æterna salute, quam videt, & magno quidem cum animi sui dolore a„perte periclitari, quam de ecclesiarum „Gal-

„Galliæ libertate, cui ſuſtinendæ ma- Sæc. XVII.
„num applicuit. Exigua ſane ab hac A.C. 1681.
„Regaliæ extenſione occaſio fieret ad
„regiam tuam authoritatem & ampli-
„tudinem; ſed non parum nominis tui
„locus accederet, ſi in animis homi-
„num ſuſpicio oriretur, te rei parum
„conſonæ æquitati patrocinium tuum
„præbere: hæc paulo uberiore affectu
„voluimus ad te ſcribere, ut nihil in-
„tentatum relinquamus, quod Majeſta-
„tem tuam poſſit ab eorum conſiliis ab-
„ducere, qui prælare ſecum, & cum
„rationibus ſuis actum iri putant, ſi
„ſumma illa conjunctio animorum, quæ
„majoribus tuis Galliæ Regibus, Re-
„gnoque ipſi, cum prædeceſſoribus no-
„ſtris, atque apoſtolica ſede, ſemper &
„magna quidem cum utrorumque uti-
„litate, & Catholicæ Eccleſiæ ſingulari
„ſolatio interceſſit; quamque inter nos
„conſervari atque in dies magis mutuæ
„charitatis officiis colligari, in præſens
„ſi unquam antea, neceſſarium videtur,
„paulatim debilitari ac diſſolvi incipiat,
„quod improbum ſane lucrum (quan-
„tum ad nos pertinet) nunquam illi
„aſſequentur. Te enim, quæcunque
„hominum vel temporum iniquitas in-
„ciderit, intimo & conſtanti ſemper a-
„more (ſalvis Dei honore & Sedis apo-
„ſtolicæ dignitate) proſequemur, quem

Sæc. XVII. A. C. 1681.

„interim quasi præsentem in spiritu charitatis arcte complectimur, dum Majestati tuæ veram in utroque homine felicitatem ab immortali Deo precamur, „& Apostolicam benedictionem amantissime impertimur.„

## §. LXI.

## *Scriptorum Catholicorum opera & obitus.*

Decessere hoc anno ex Scriptoribus Catholicis non pauci, quorum opera recensere haud injucundum erit. Die igitur undecima Februarii Romæ obiit Cornelius Margarinus Montis Cassini Abbas, qui tomos duos Bullarii Cassinensis, Dictionarium Longobardicum, discursum apologeticum pro quodam documento familiæ Capisucchinæ, thesaurum historicum Sacræ & politicæ veritatis, & inscriptiones antiquas Basilicæ S. Pauli de urbe posteris reliquit. II. Jacobus Gaffarellus scripsit abdita divinæ cabalæ mysteria contra Sophistas, Paraphrasin in Psalmum: *Super flumina Babylonis*, quæstionem pacificam, an dissidia in religione per Philosophorum principia &c. componi possint, tractatum de fine mundi, & historiam mundi subterranei, quam tamen morte præventus elaborare haud pote-

potérat. Vulgavit etiam *curiositates inauditas*, de cujus libri fato jam supra mentionem fecimus. III. Carolus Le Cointe Sacerdos Congregationis Oratorii, qui impigro labore primus Ecclesiasticam Francorum Historiam ab Anno Christi 235. usque ad Annum 845. prosecutus, septem edidit Annalium Francorum tomos, octavum vero Pater Gerardus du Bois Caroli Amicus complevit. IV. Christianus Lupus Ord. FF. Eremitarum S. Augustini strenuus contra Regaliæ causſam adversarius edidit quinque volumina de Synodorum Generalium & Provincialium statutis & Canonibus unacum notis eruditissimis, & dissertationibus scientia solida non minus ac profunda claris: scripsit contra Petrum de Marca, Boileau, & Gerbaisium, tractatum de appellationibus ad Sacram Sedem, necnon alium de privilegiis S. Petri, notas in tractatum Tertulliani de præscriptionibus, dissertationem de sensu legitimo SS. Patrum circa attritionem, vitam & epistolas S. Thomæ Cantuariensis, Alexandri III. Ludovici VII. Franciæ, & Henrici II. Angliæ Regum aliorumque, præter plurimas dissertationes. V. Joachimus Pastorius ab Hirtenberg ex Sociniano Catholicus, & Protonotarius Apostolicus, qui publici juris fecit Aulicum in-

Sæc. XVII. A. C. 1681.

Sæc. XVII. A. C. 1681.

culpatum, Palæstram Nobilium, vitam Theodosii Magni, Florum Polonicum, & planiorem Poloniæ Historiam, cui ultimam manum admovit Georgius Adamus ejus Filius, itidem Protonotarius Apostolicus. VI. Joannes Garnierus e Societate, edidit notas ad Eclanensis libellum, & Marii Mercatoris opera cum notis, quarum prior pars ea, quæ ad hæresin Pelagianam, altera, quæ ad Cælestianam spectant, continet: Eodem anno seu 1673. quo Henricus Norisius Cardinalis suam Historiam Pelagianam edidit, easque ad epigraphen 90. & 92. epistolarum Synodicarum perlegens multis erroribus scatere animadvertit, Garnieri notæ prodierunt, ideoque Norisius anno sequenti earum censuram edidit, palam professus, quod si Garnieri de hæresi Pelagiana commentarii ante suam Historiam prodiissent, se suam Historiam non fuisse editurum, cum multa, quæ ipse de hac hæresi se primo publicaturum existimaverit, Garnierus tam feliciter assecutus fuerit, ut ipse absdubio plagii suspicione carituras non fuisset, si post Garnierum eadem repetere voluisset. Vulgavit etiam Garnierus Regulas fidei Catholicæ circa Dei gratiam per Jesum Christum, diurnum Romanorum Pontificum & Volumen primum Theodoreti una-

unacum quatuor Dissertationibus. VII. Paulus Oliva Societatis Præpositus edidit elegantes epistolas, commentaria, variosque sermones domesticos. VIII. Joannes Baptista Gonet Ord. FF. Præd. edidit decem tomis clypeum Theologiæ Thomisticæ, Dissertationem Theologicam, in qua recentiorum casistarum laxitates, & Jansenistarum rigores ex S. Thoma confutat, ubi præcipue altercationes pro resolvendis casibus institui solitas, velut sæpissime vanas atque inutiles damnat: Iteratis etiam prælis excusum prodiit ejus Manuale Thomisticum. Sæc. XVII. A. C. 1681.

## §. LXII.

## *Scriptorum quorumdam Acatholicorum opera.*

Celebratur inter Scriptores Acatholicos hoc anno defunctos præprimis Joannes Musæus, qui variis contentionibus & decemplici exilio notus, scripsit de electionis decreto, de Ecclesia, Syncretismo, S. Scriptura, conversione hominis ad Deum, conjugio, & usu principiorum rationis in Theologia præter introductionem in Theologiam. II. Joannes Felwinger posteris reliquit concessionem primæ normæ Religionis Photiniano-Zwinglianæ, solidam demon- *Carol. mem. tom. p. 16. Witte p. 14.*

Sæc. XVII A. C. 1681.

stratione Divinitatis Christi, collationem Religionis Lutheranæ cum religione unitariorum, immodestam modestiam Valentiani Baumgarten, vindicias Incarnationis Christi, speculum veritatis, aucupium pecuniæ, id est, de Missis solitariis, examen methodi Augustinianæ, de potentia Dei absoluta, de natura & essentia luminis naturæ, & lumine revelationis præter alia nonnulla. III. Ernestus Müllerus edidit metrice canticum canticorum, Catechismi praxin, homilias, speculum pœnitentiæ, Rigam obsessam, & buccinam pacis ac belli. IV. Petrus Kragelmund elucubravit expositionem Psalmi XV. Auxilium a Jehova, & symbolum Christianorum. V. Hermanus Corringius publici juris fecit defensionem Ecclesiæ Protestantium, concussionem fundamentorum fidei Pontificiæ præter alia tam Historica quam politica. VI. Joannes Hipstad vulgavit collationes in Epistolam ad Romanos, & delineationem Ecclesiæ Dei. VII. Andreas Glauch scripsit schediasma de usu concordantiarum Biblicarum, dissertationes de Adventu Messiæ, de Verbo otioso, de Corona Christi præter alia. VIII. Georgius Neumarch edidit Davidem victoriosum, Abigaelem prudentem, Theatrum sapientis Magistratus, coronam Davi-

Davidicam Christiani Principis, ac preces pro fœminis præter alia, quorum jacturam Orbis literarius certe nunquam deploraſſet. Sæc. XVII. A.C. 1681.

## §. LXIII.

## *Conventus Cleri Gallicani Pariſiis continuatus.*

Probabatur Ludovico Franciæ Regi nuperum Cleri Gallicani conſilium, propoſitumque reſtringendæ Regaliæ temperamentum, quapropter ad finem hujus anni edictum promulgari juſſit, vi cujus Regaliæ titulo proviſi Decanatibus, Archidiaconatibus, Theologici Doctoris, vel Pœnitentiarii munere, aliisque beneficiis, in quæ titulares peculiare jus ſuo nomine habent exercendi aliquam jurisdictionem & functionem Sacram atque Eccleſiaſticam, tales ætatem, Ordinum gradus & requiſitam capacitatem haberent, necnon Vicariis electis a Capitulis, ſi Eccleſiæ adhuc vacant, vel ab Epiſcopis, ſi eas poſſident, ſeſe pro approbatione & miſſione Canonica obtinenda ſiſterent, priusquam ullam functionem exercere præſumant. Hoc Regis edictum die vigeſimo quarto Januarii ad Parlamenti acta relatum eſt. Quamprimum autem illud fuit promulgatum, mox Præſules in *Regal. Sacerd. p. 49. Hyde vie de Louis XIV. lib. 41.*

Sæc. XVII. A. C. 1681.

fuis comitiis congregati eidem fua apposuere chirographa, ac die tertia Februarii Regaliæ extensioni publico documento fuum addiderunt consensum: spe freti, summum quoque Pontificem confirmatione Apostolica eis suffragaturum; eadem ergo die ad eundem has dedere literas: „Quam consecrandi fecimus „Apostolicæ Sedi Canonicæ obedientiæ „professionem, ea nos impellit, quæ ut „Parisiis jussu Regio congregati gessimus, „ad Apostolatum vestrum referamus, gra„vesque metus nostros paternum in si„num effundamus (a). *Cum enim te Dominus gratiæ suæ præcipuæ munere in Sede Apostolica collocaverit, talemque nostris temporibus præstiterit, ut nobis potius ad culpam negligentiæ valeat, si apud venerationem tuam, quæ pro Ecclesia suggerenda sunt, tacuerimus: quam ea possit Sanctitas Vestra, vel fastidiose, vel negligenter accipere, non ambigimus, quin magnis periculis nostris Pastoralem diligentiam adhibere digneris.*

„Sane, Beatissime Pontifex, a ma„joribus nostris, sanctis, gravibusque „viris accepimus, Regni & Sacerdotii „tuta, piaque Concordia res humanas „niti (b). *Dum unum ab altero impugna-*

*tur*

(a) Epist. Concil. Milevit. ad Pap. Innocentium inter Epistolas S. Augustini, Epist. 92.

(b) Goffridus Vindocinensis opusc. 4.

*tur, periclitari utrumque, ea occasione, & de Regno tolli Justitiam, & de Ecclesia pacem, schismata, & scandala suscitari, & fieri animarum perditionem simul & corporum* (c) *sine horum concordia res humanas nec incolumes esse posse, nec tutas.* Hæc Goffri„dus Vindocinensis, hæc Ivo Carnoten„sis, Sanctissimi gravissimique Ecclesiæ „Gallicanæ Præsules immortalibus scri„ptis testata reliquerunt. Hos in me„dium afferre, & ad Vestram sanctita„tem allegare juvat, quos pro Eccle„siastica libertate, atque Apostolica „Auctoritate multa perpessos Sancti Ve„stri Decessores non tantum ut probabi„les Magistros, sed ut præcipuos, sin„gularesque filios semper habuerunt. „His accedat tertius Claræ vallis Ab„bas non Gallicanæ tantum sed universæ „Ecclesiæ lumen, Sanctus Bernardus (d) „ille Canonum propugnator, ac fortis„simæ cujusque sententiæ gravissimus „Auctor, ubi nimio rigore regnum, & „Sacerdotium dividi, atque *inconsuti„lem Christi tunicam* scindi animadvertit, „utili condescensione temperari Cano„nes supplicavit, ac pacem utriusque „potestatis, quæ utramque fulciat, re„tineri, præsertim in Gallia (e) ubi



(c) Ivo Carnot. Epist. 60.
(d) Epist. 219.
(e) Ivo Carnot. Epist. 238.

Sæc. XVII. A. C. 1681.

„nullam unquam regnum inter & Sa-
„cerdotium diviſionem fuiſſe antiquiores
„Epiſcopi gloriati erant, ubi denique
„ipſo teſte Bernardo, toto orbe colliſo,
„ipſisque Pontificibus gravi toties tem-
„peſtate jactatis, non modo nullæ ſciſ-
„ſuræ factæ eſſent, ſed etiam *ſolerent*
„*ſciſſuræ aliæ reſarciri* (*f*).

„Nec minore ſtudio Apoſtolici Præ-
„ſules (*g*) Veſtræ Sanctitatis Anteceſſo-
„res eam concordiam commendarunt,
„cum gemina poteſtate res humanas
„regi ex ſacris literis accuratiſſime tra-
„didere, quarum proinde Concordia
„publicam pacem, totiusque generis
„humani ſtatum contineri certiſſimum
„ſit, dicente Propheta: *Ecce vir oriens*
„*nomen ejus*, Zorobabel in perſona, in
„figura Chriſtus, certe populi Dei Dux
„& Princeps; *& ipſe extruet templum*
„*Domino, & ipſe portabit gloriam, & ſe-*
„*debit, & dominabitur ſuper ſolio ſuo; &*
„*erit Sacerdos ſuper ſolio ſuo, & conſi-*
„*lium pacis erit inter illos duos* (*h*) ſtet
„ergo utriusque ſolium, alterum Prin-
„cipis, alterum Sacerdotis, auxilio mu-
„tuo, mutua conſenſione munitum, hinc
„populi ſalus, hinc non tantum cor-
„por-

(*f*) S. Bernard. ep. 219.
(*g*) Gelaſius Epiſt. 8. ad Anaſt. Imp.
(*h*) Zach. cap. 6. v. 12. 13.

„porum, sed etiam animarum lucra pro- Sæc. XVII.
„veniant, hinc denique res humanæ A.C. 1681.
„stabili, ac Deo pariter, hominibusque
„placita tranquillitate decurrant. Quæ
„cum ex Patrum traditione, ipsaque
„adeo prophetica ac Divina Auctoritate
„descenderint, ubi eam pacem nostris
„temporibus occasione Regaliæ sollici-
„tari vidimus, cæpimus cogitare, quid
„Majores nostri, quid antiqui Sedis
„Apostolicæ Antistites præscriberent,
„pro certo habituri, quod verbo pari-
„ter & exemplo docuissent. Sic autem
„comperimus, quæ Ecclesiastica Aucto-
„ritate, æterna lege sancita essent, ma-
„nere inconcussa; quæ Ecclesiastica pro-
„hibitione gestarent, in his Ecclesiarum
„Principes multa pro tenore Canonum
„districtius judicasse, multa pro tem-
„porum necessitate toleravisse, ubi non
„periclitatur fidei veritas, aut morum
„honestas, quædam instituta tempe-
„rari, non cæca tamen, & indiscreta
„relaxatione disciplinæ, sed si adesset
„necessitas, ex qua leges quoque mu-
„tari contingeret: Sanctos enim Pon-
„tifices Antecessores vestros ita præce-
„pisse: *ubi necessitas non est, Sanctorum*
„*Patrum decreta manere inconvertibilia* (*i*).
„Eadem ergo decreta ex necessitate in-
„terdum

(*i*) S. Bernard. tract. de Præcept. & dispen. cap. 4.

Sæc. XVII. A. C. 1681.

„terdum temperanda, eam vero neceſſi-
„tatem eſſe, ſi graves diſſenſiones, ſi
„turbulenti motus, tumultusque immi-
„nerent, quam *populorum ſtragem* S. Pa-
„tres vocant, tunc enim charitatem,
„quæ ſumma Eccleſiæ Lex ſit, alias e-
„molire, ac temperare leges, ac (*k*)
„*detrahendum aliquid canonum ſeveritati,*
„*ut majoribus morbis ſanandis Charitas ſin-*
„*cera ſubveniat:* hinc nempe profectam
„a S. Patribus, ipſaque Apoſtolica ſede
„toties celebratam moderationem Ca-
„nonum, quæ utili diſpenſatione, &
„provida Compenſatione librata Eccle-
„ſiam ædificet, propulſet diſſidia, Re-
„gnum & Sacerdotium firma pace com-
„ponat.„

„Hæc ex S. Auguſtino, aliisque Pa-
„tribus, hæc ex S. Pontificibus, Leone,
„Gelaſio, cæterisque Majores Noſtri di-
„dicerunt, notisque tradiderunt: *Salvo*
„*ſcilicet fidei fundamento, & communi mo-*
„*rum Regula, toleranda quædam, etiam fa-*
„*cienda, quæ infirma videantur, hæc enim*
„*facit Charitas, quæ operit multitudinem*
„*peccatorum, quæ cum infirmantibus infir-*
„*matur, cum ſcandalizatis uritur, & om-*
„*nibus omnia fit, ut omnibus prodeſſe me-*
„*reatur* (*l*), quod ſi jus illud Regium,
„quod

(*k*) Auguſt. Epiſt. 50.

(*l*) Ivo Carnot. Epiſt. 214.

„quod Regaliam dicimus, aut fidei fun- Sæc. XVII.
„damentis, aut morum regulis esset ad- A. C. 1681.
„versum, non illud utique S. Pontifices
„Doctrina & pietate conspicui Alexan-
„der III. Innocentius III. atque alii
„comprobassent; non illud denique Sa-
„crum generale Lugdunense Concilium
„tot Personis, totque sub titulis sua
„Auctoritate firmasset. At enim extendi
„vetuit ad eas Ecclesias, quæ primæva
„atque innata libertate gauderent; sed
„ut hanc interim quæstionem omitta-
„mus, neque minutatim verba Concilii,
„variosque sensus, quæque antegressa,
„quæque consecuta sint, expendamus:
„id sane liquido constat, nullum esse
„periculum, ut extensum fidei, mori-
„busque noceat, quod illæsa fide, sal-
„vaque morum Regula, longe, lateque
„propagatum, plurimas jam Regni
„Ecclesias occupavit, ex quo illud effi-
„citur, Regaliæ causssam, non (*m*) ad
„*fidei*, morumque *Regulam*, quæ *immo-*
„*bilis, & irreformabilis* sit, sed ad Disci-
„plinam, quæ pro locis, ac temporibus
„subinde mutetur, quæque tempera-
„menta, ac salubrem illam moderatio-
„nem admittat, omnino pertinere.„

„Jam ergo constituto quæstionis sta-
„tu, Beatissime Pater, quantum intel-
„ligi-

(*m*) Tertull. de Virginibus velandis.

Sæc. XVII. A. C. 1681.

„ligimus rem totam expediri haud difficile fuerit; cum id unum inquirendum reſtet, juſtane cauſſa fuerit, cur poſt Eccleſiarum quarumdam libertatem totis ſexaginta annis ſtrenue propugnatam, victi in eo tribunali, quod ipſi antiquo more Regni appellavimus, acquieſcere potius, quam omnia commovere, Regiam poteſtatem cum Pontificali committere, nova denique bella ciere vellemus. Nos pacem anteponimus, nec in ſimili cauſſa piget imitari Vindocinenſem Abbatem (*n*) non minus fortitudine, quam prudentia clarum, cujus verbis dicimus: *habeat Eccleſia ſuam libertatem, ſed ſummopere caveat, ne dum nimis emunxerit, eliciat ſanguinem, & dum rubiginem de vaſe conatur eradere, vas ipſum frangatur.*„

„Neque vero publicam pacem, ac ſub tanto Rege proſperum rerum Eccleſiaſticarum curſum turbatum oportebat. Adhibe pias aures, Sanctiſſime Pontifex, & tantiſper cogita, quem Regem habeamus, non invictam bello dexteram, ac decora victoriarum prædicaturi ſumus pacifici Sacerdotes: habent illa laudem ſuam univerſis gentibus celebratam, ac pacis gloria cumula-

(*n*) Opuſc. 4.

„mulatam. Utinam, Beatiſſime Pater, Sæc. XVII.
„rebus noſtris intereſſe, & coram in- A.C. 1681.
„tueri poſſes (paternis ſane oculis di-
„gnum ſpectaculum) quam benigne
„optimus Princeps Epiſcopos audiat,
„quam rebus Eccleſiæ faveat, quam
„bonos fulciat, quam invicta auctori-
„tate frangat contumaces, quam cæle-
„ſtem illam nobis a Domino traditam
„poteſtatem intemeratam velit.

„Eo protegente, jurisdictio Epiſco-
„palis propemodum profligata emergit e
„tenebris: noſtris jam decretis, noſtræ
„Auctoritati parlamenta obſecundant,
„ac Regia Decreta Canonicæ Diſcipli-
„næ ancillantur. Jam vero hæreſis quot
„accipit ſubinde ſalutares plagas? quot
„edictis comprimitur? quot amiſſa tem-
„pla luget? quantas nobilium plebejo-
„rumque turbas ad Petri, hoc eſt, ad
„Chriſti ovile revocatas, quid deinde
„referemus, ut regius animus exoſas ha-
„beat novitates omnes, nulloque Re-
„gni loco conſiſtere patiatur? Eſt pro-
„fectoLudovicns Magnus alter ille Mau-
„ritius a S. Gregorio Anteceſſore Veſtro
„toties commendatus (o): *cujus tempo-*
„*ribus hæreticorum ora conticeſcunt, quia*
„*etſi eorum chorda in inſaniam perverſi ſen-*
„*ſus ebulliunt, Catholici tamen Principis tem-*
„*pore prava, quæ ſentiunt, eloqui non præ-*
„*ſumunt.*„ Hæc

(o) Lib. 7. epiſt. Epiſt. 48.

Sæc. XVII. A. C. 1681.

„Hæc coram admiramur, hæc lu„culentius Veſtra quoque Sanctitas, ab „altiſſima illa, cui totus orbis ſubeſt, „Petri ſede commemorat; his Apoſto„licum veſtrum pectus exultat, ſi quid „fortaſſe tot inter proſpera emergit in„commodi, non omnia proinde ad ju„ris apices exigimus; Magno enim Cy„rillo Alexandrino Præſide docente di„dicimus (*p*) œconomia rerum plerum„que cogi nos etiam a ſtricto, & con„feſſo Eccleſiæ jure diſcedere. Quanti „vero æſtimamus illa privilegia aliquot „Eccleſiarum, ſi emolumentis damna „contendimus. Quid, quod illud onus „vix Eccleſiæ ſentiunt, vacantium Ec„cleſiarum fructibus, quos Reges vin„dicare fiſco in Eccleſiarum longe ma„xima parte non dubia conſuetudine „poterant, Succeſſori reſervatis, rebus„que ad Canonum auctoritatem Ludo„vici decimi tertii Auguſtæ memoriæ „edicto redactis. Quid quod in qui„busdam præbendis, ac dignitatibus „conferendis, ſi quid erat aſperius, „nobis ſupplicantibus a Rege mollitum, „tanti Principis pietatem, largitatem„que commendat? Quid quod capitu„lis ſua jura ſervata, certique judici„bus præſcripti limites, ne Regaliæ no„mine

(*p*) Epiſt. ad Gennadium Presbyt. & Archimandritam.

„mine omnia invadantur, id ſubjuncta „his literis geſta teſtantur, certoque „indicio ſunt, quam bene illi aliqua „concedantur, qui multa jam ſibi poſ„ſeſſione vindicata ultro concedat.„

„Sed enim exprobabunt, qui votis „ſuis omnia metiuntur, leve illud quo„que (ſic enim ſentiunt) quod Rex Chri„ſtianiſſimus tanto ſtudio aſſertum Co„ronæ ſuæ velit, nobis Auctoribus ac „flagitantibus potuiſſe dimitti: næ illi „falſi ſunt, rerumque noſtrarum impe„ritiſſimi. Liceat vero nobis, Beatiſſi„me Pater, quando eo in ordine totius „negotii ſumma verſatur, paulo libe„rius interturbare graves illas curas „Apoſtolicæ mentis, ac jus Regaliæ „francorum Regibus inſitum, inditum„que eſt, ab ortu repetere.„

„Sic nempe inclamant Regii Magi„ſtratus, Chriſtianiſſimos Reges jam „inde a Clodovæo, ac primis Chriſtia„næ Religionis exordiis, Eccleſiarum „omnium, ut pietate filios, ita effuſiſ„ſima liberalitate nutritios, & Regia „defenſione propemodum Patronos, ac „tutores exſtitiſſe: ea vero, quæ Ec„cleſiæ in fundis haberent, teſte Augu„ſtino, jure Cæſareo, hoc eſt, Regio „obtineri, ſupremamque eorum omnium „poteſtatem penes Reges eſſe, hinc a „priſcis temporibus, vacantium Eccle-

Sæc. XVII A. C. 1681.

„siarum Regia manu occupata bona, „mox reddita Successoribus: nec a Sede „Apostolica reprobata, quæ huic juri „tuendo antiquissimis etiam tempori„bus Reges Francorum fecissent; præ„bendas quoque, hoc est, nativo sensu, „stipendia Clericorum, partem Eccle„siasticæ possessionis, ac proventus, „necdum a toto discretas, si vacarent „Ecclesiæ, eodem quoque jure a Prin„cipibus collatas; quarum quippe col„latio, & antiquo jure a solida massa „decidi non posset, & recentioribus quo„que juris Pontificii institutis in fructu „haberetur. Hæc omnia ab antiquo „Regibus de se bene meritissimis con„cessisse Ecclesiam, sane consensisse, jus„que illud utriusque potestatis consen„sione firmatum, Regiæ Majestati pro„prium atque congenitum ita coaluisse, „ut distrahi nequeat: neque vero fas „esse, ut Ecclesiæ primis Francici im„perii temporibus diverso jure habe„rentur, quas eadem Regia protectione „fulciri, eadem liberalitate ditari, ejus„dem Majestatis reverentia ac potestate „contineri certum esset; si quid ergo „tristioris diversitatis exortum est, id „esse referendum ad illa tempora, queis „scissum Regni Corpus, Ducumque & „comitum olim innocuo, tunc infausto „nomine avulsa, ac discerpta membra

„vix

„vix inter se cohærerent: hos enim „Principes, Regalibus occupatis, sæpe „etiam sine Regum conscientia relaxa- „tis, omnia perturbasse: at postquam „Regia potestas distractas Provincias „ad se revocavit, & afflictum diu, dis- „sipatumque Regnum suam demum in- „tegre sub uno capite nobilissimo pari- „ter, ac valentissimo sanitatem intelle- „xit, tunc obliterandam, quæ laceros „artus olim dehonestabat, fœdam di- „versitatem, nec Regio juri ex antiquis- „simis, receptisque Regni Francici le- „gibus nocere potuisse possessionem in- „termissam, quam & per Principes sibi „subditos diu retinuissent, nec ipsi un- „quam animo dimisissent, universasque „Ecclesias non tantum ad decorem, sed „etiam ad robur, firmamque compa- „gem, eodem denique jure componen- „das. Neque vero obstare Lugdunense „Concilium; quippe quod nec Reges „nominet, ex Pontificiis quoque Decre- „tis pro sua Majestate specialiter appel- „landos, nec de præbendis loquatur, „& alio verti possit; neque a Pontifici- „bus, Regibusque in quæstione Rega- „liæ, cum de ea maxime ageretur, me- „moratum, aut leviter saltem indica- „tum fuerit. „

Sæc. XVII. A. C. 1681.

„Hæc utcunque se habent; neque „enim lubet commemorare, quæ Ante-

Sæc. XVII. A. C. 1680.

„ceſſores noſtri repoſuerint, aut litigare „eſt animus coram veſtra Sanctitate pa„cis negotium tractaturis; hæc, inquam „adeo Regiis Magiſtratibus infixa menti „ſedent, ut a ſe avelli nulla ratione „patiantur, cauſſaque ceciderimus, eo„rum quoque ſententia, qui & æquita„tis laude florerent, & in noſtrum or„dinem eſſent propenſiſſimi; qua con„ſenſione victus Rex Maximus, ſatis„que ſibi conſcius, quam ab invaden„dis Eccleſiarum juribus abhorreret, „jus Regium putat, quod in Univerſum „pene Regnum diffuſum, ſuo velut „curſu undique protendatur, rerum ſi„militudine, parique Eccleſiarum con„ditione, velut in proclive ductum. „Quid hic nobis mentis, Sanctiſſime „Pontifex, plane ſimpliciterque dice„mus: hæc neque omnia ut certa pro„ponimus, nec ut erronea, & fidei Re„gulis adverſa propulſamus, ac diſpen„ſationi providæ locum eſſe cenſemus, „graviſſimos ſcilicet Authores ſecuti „Apoſtolicos Viros Anteceſſores noſtros.

„Prodeat ſane Vir maximus, non „minus in Sacris literis, quam in Ca„nonum diſciplina verſatus Innocent. III. „atque in ſimili cauſſa quid agendum „ſit, doceat: de Regalibus agebatur; „jure autem Regalium multa contineri, „quæ jam Eccleſiis Regum liberalitate

„re-

„remissa sint, certo certius est. Primum „jus procurationis, sive hospitii, quo „Episcopi Abbatesque Regem domo ex„cipere, totamque cum ipso Curiam, „publicasque personas alere certis tem„poribus: tum jus exercitus, quo cer„tos milites ad Regium exercitum du„cere, eosque alere deberent, & qui„dem occupari a Rege Ecclesiarum bona, „non modo si illæ vacassent, verum e„tiam si Episcopi consueta, quæ voca„bant, servitia omisissent, eaque om„nia ab eodem fonte Regalium existere, „& perspicuum ex se est, & ipse Inno„centius profitetur. Duo ergo Episcopi „a Rege accusati, quod illius injussu „milites abduxissent, eorum Regalia „manu Regia confestim invaduntur, „nullo judicii forma, nec tantum Re„galia, sed etiam alia bona quæcunque „possidentur; id enim juris Regii esse „Rex contendebat: Episcopi id negare, „tum factum excusare, vim illatam „conqueri, gravissimasque expostulatio„nes deferre ad Innocentium. Quid ergo „tantus Pontifex? susceptа, ut dece„bat, Episcoporum caussa, Philippum „Augustum aggreditur, multa intermi„natus, multisque adhortatus (q). *Ne „inter Regnum & Sacerdotium scandalum* Sæc. XVII. A. C. 1681.

Zz 3 *orire-*

(q) Lib. 1. epistolarum Epist. 107.

Sæc. XVII. A. C. 1681.

„*oriretur*; intentato quoque Apoſtolicæ „cenſuræ metu, niſi Epiſcopis regalia, „aliaque omnia præter jus, fasque (ſic „enim ferebat) occupata relaxaret: „Gravis ſane cauſſa, in qua Rex Maxi„mus (*r*). *Cenſura cohibendus eſſe* videre„tur, ſed interim Innocentius ad Epi„ſcopos ſcribit (*s*). *Fraternitati Veſtræ „conſulimus bona fide, quatenus cum cha„riſſimo filio noſtro Rege, quanto melius „poteris, componere ſtudeatis; quoniam „arcus, qui ſemper eſt tenſus, vires amit„tit, & nonnunquam Reges melius vincuntur „manſuetudine, quam rigore.* Præclare „ille quidem, ubi nullum fidei, nullum „morum Regulæ creatum periculum eſt; „ſed particulare factum, inquient, nec „in exemplum trahendum; & tamen „agebatur, uti prædictum eſt, non tan„tum de Epiſcoporum facto, ſed etiam „de Regalium jure, quousque pateret, „quæ bona complecteretur, qua forma „exerceri poſſet: ſed hæc omittamus. „Quid Benedictus XII. unus omnium „Pontifex, & conſtantiæ & prudentiæ „laude ornatiſſimus? is Philippum Va„leſium Regem edita Philippina multa „(*t*) Regaliæ juri ab antiquo more di„verſa velut inferentem graviſſimis mo„nitis

(*r*) Lib. 3. Epiſt. 40.
(*s*) Lib. 3. Epiſt. 107.
(*t*) Rainald. ad Anno 1337. num. 17.

„nitis ab ea tutanda lege deterruit sed „præclare functus officio, ab negotio „destitit, neque enim omnia urgenda „Pontifici, nec exacte semper ad minutos „quoque apices res Ecclesiasticas dedu„cendas: Philippinaque ad nostra us„que tempora stetit incolumis.„ Sæc. XVII. A. C. 1681.

„Sed ne Vestræ Sanctitati molesti „simus, postremum commemoramus „Bonifacium VIII. nec tamen refrica„mus infausta illa dissidia, quæ nec si„ne lacrymis legi queant: abeant illa „in tenebras æterno sepelienda silentio. „Id de Bonifacio referre lubet, quod ad „pacem conducat, quod dignitatem pa„riter atque clementiam summæ Sedis „deceat. Grave erat Bonifacio a Phi„lippo pulchro, pleno etiam jure con„ferri præbendas, seu Regaliæ, seu „quovis alio titulo, nec tamen nega„bat Pontifex, imo profitebatur *id* „*fieri posse Ecclesiæ consensu tacito vel* „*expresso* (*u*), Rex interim se possessione „tuebatur; eo enim jure a se conferri „Præbendas, *quo a Majoribus, & a S.* „*Ludovico Avo datæ essent*, Recte ille „& ordine, ut videtur, satis enim „constabat, reclamante nemine, eo „jure usos: neque fraudi esse poterat „optimis Regibus, quod ad jus Regium



(*u*) Hist. de difference de Bonifac. VIII. & Philippe le Bel. pag. 90. 93. & 78.

Sæc. XVII. A. C. 1681.

„ea revocabant, id enim jus Regium „esse, quod coronæ Regiæ ab antiquo „insitum, coalitumque sit: atque ut ex „simili rem conficiamus, an non Patro„natus, quos vocant Laicos, ipsis quo„que terris atque Dominiis ex posses„sione inhærere, ac quasi temporalis „juris loco esse constat: cum tamen id „juris ex Ecclesiasticæ potestatis fonte „profluere nemo non fateatur? Quanto „ampliora Regibus & beneficentia, & „propria Majestas conciliare potuit ne„que id Bonifacium juris consultissimum „fugiebat; sed cum in ancipiti esse vi„deretur, quatenus juri Regio Præ„bendas conferendi Ecclesiæ consensus „accessisset, quod dubium, quod illi„citum reputabat Pontifex, de potesta„tis plenitudine concedebat, ac licitum „faciebat? quid enim litigamus, inquit, „volumus, ut Rex faciat licite, quod „facit illicite: volumus super hoc sibi „facere gratiam omnem, quam poteri„mus. Sic quem nondum solvere ex „Pontificis sensu, antiqua momenta, „juraque non poterant, Apostolicæ po„testatis gladio amputabat; atque id „Bonifacius VIII. tot inter simultates „conferre ultro voluit in Philippum: „quanta Innocentius XI. Benevolentis„simus, & propensissimus in Ludovi„cum Magnum.

„Ne-

Sæc. XVII. A.C. 1681.

„Neque vero ambiguum, quid or„bis Christianus expectet, si Pontifici „Pontificem, Regem denique Regi com„ponamus, id tantum postulamus, ne „plus æquo audiantur, qui in jure Co„ronæ novas hæreses fingunt, nimis„que intelligendo faciunt, nihil ut in„telligant præposteri homines, qui quem „exsufflant pulverem, ut præclare S. „Augustinus, in suos, aliorumque ex„cutiunt oculos. Vestra vere sanctitas „hæc omnia supergressa, Christianique „orbis intenta commodis, tantas con„tentiones ex tenui ortas, sed in gra„vissima mala, nisi Deus avertat, ali„quando erepturas, Apostolica Aucto„ritate componat: pacem expetimus, „pacem flagitamus, pacem, quæ Ve„strum nomen tanta pietatis, ac San„ctitatis laude omnibus gentibus, ipsis„que adeo Ecclesiæ hostibus clarum ve„nerandumque immortalitati consecra„tura sit. Satis jam, superque Parens „optimus, devotissimusque filius re„pugnante animo altercantur. Nos qui„dem, Beatissime Pater, ut gratias agi„mus, quas possumus maximas, quod „jura quarumdam Ecclesiarum, quæ „nobis omnibus communia facit ipsa „Fraternitas, sarta, tectaque esse vul„tis, ita nostra caussa concuti orbem, Pa„cemque Christianam conturbari nolu„mus:

Sæc. XVII. A. C. 1681.

„mus: quare eo quoque, quidquid in„erat, jure deceſſimus: id in Regem „optimum, atque beneficentiſſimum ul„tro contulimus (x). *Et ſi forte propter Canonum rigorem minus licebat, factum eſt tamen, quia Eccleſiaſticæ paci ſic expediebat; cum enim plenitudo legis ſit Charitas, in hoc legibus obtemperatum eſſe credimus, in quo Charitatis opus impletum eſſe cognovimus.*

„Quæ a nobis acta, ſi Veſtra Sancti„tas dignetur inſpicere, probaturam eſſe „pro ſua æquitate confidimus. Sane ſum„ma conſenſione, pronaque omnium „noſtrorum voluntate geſta eſſe teſta„mur; cum præſertim nemo ſit, qui „rebus noſtris intellectis, ac perpenſis om„nibus, quæ recens nobis ſupplicanti„bus a Rege Maximo ſtatuta ſunt, non „ultro fateatur, plura & ampliora con„ceſſa, quam dimiſſa, atque Eccleſiæ „cauſſam Regia æquitate, ac liberalitate, „meliore nunc omnino conditione eſſe: „quamobrem obſecramus, ut quæ a „noſtra humilitate, non modo publicæ „pacis intuitu, ſed maximo Eccleſiæ „emolumento geſta ſunt, quæque Rex „Maximus, tanto Religionis ſtudio, „tantaque omnium noſtrorum obteſta„tione conceſſit, Regiis Magiſtratibus „ne-

(x) Ivo Carnot. Epiſſ. 190.

„nequicquam reclamantibus, ſic Veſtra „Sanctitas complectatur, ut Sacerdo- „tii, Regnique concordiam æternum „firmet, & ſanciat.„ Sæc. XVII. A.C. 1681.

„Quid enim luctuoſius quam ſub „tanto Pontifice, ac tanto Rege, quo- „rum conſenſione tot in Eccleſiam bona „redundatura ſint, per inviſa, & im- „portuna diſſidia eludi expectationem „orbis, & publica commoda retardari? „Sane ex quo Eccleſia eſt, ſede Apo- „ſtolica, Regnoque Francorum nihil „conjunctius fuiſſe, & maximo honori „ducimus, & Veſtri Anteceſſores liben- „tiſſime prædicant; hanc vero perpe- „tuam conjunctionem animorum noſtris „quoque temporibus auctam oportuit. „Quid enim videt orbis Magno Ludo- „vico majus? Quem Turcæ ſævientes „graviorem hoſtem? quam expeditio- „rem manum? quem animum promptio- „rem? Quem idoneum magis, quocum „ea, quæ Vos aſſidue pulſant, coercendi „hoſtis, atque amplificandæ Eccleſiæ, „communicare Conſilia? quem ad ar- „dua quæque jam ſponte currentem in- „citare poſſitis? Ne vero prohibeat Ve- „ſtram Sanctitatem Eccleſiarum aliqua- „rum haud tantis ſane motibus digna „libertas: ſolet Eccleſia Chriſti quædam „omittere, ut alia, eaque potiora ſer- „vet, multa quoque in melius ferendo „com-

Sæc. XVII. A. C. 1681.

„commutare. Ipsa Regalia, quantum „imminuta est, cum pii Principes a po„tiundis fructibus jam abstinuerint, & „gravissima onera alendorum militum, „ac procurationum sponte remiserint, „ut jam illi a nobis, si necesse sit, me„morem animum suo quodam jure re„poscere videantur? Quid attinet com„memorare in Episcopis, atque Abba„tibus eligendis, investituris, in jussio„nibus, permissionibus, assensionibus „Regiis, in Episcopatuum, & Abbatia„rum concessione, & dono, in Homa„giis quoque, & Sacramentis fidelita„tis, quam multa primum censuris gra„vissimis reprobata mox ultro concessa „sint? Ipsa Apostolica Sedes, arx Ec„clesiasticæ libertatis, quam multa Prin„cipum in seipsam quoque jura tolera„rit, imo aliquando concesserit, ipsa „temporum mora excussa Cervicibus, „& in optimum statum sponte restituta? „An ergo Ecclesia *levitate usa est? fuit„que in illa est, & non* (y) absit, sed sa„tis sibi conscia æternitatis suæ, ipsi„que veritati semper immobili animo „adhærescens, aliqua sui parte huma„nis se rebus utcunque accommodat, „nec tam temporibus, quam animarum „saluti servit. *Hæc dicendo doctam Pa-*

*terni-*

(y) Ad Corinth. cap. 1. v. 17.

„ternitatem Vestram non docemus, sed eandem consulendo & rogando monemus, ut „ibi consiliis, & pietatis studeatis visceribus abundare, ubi fas non est, fortitudinem exercere (z). Sæc. XVII. A. C. 1681.

„Quare, Beatissime Pater, ad Sacros Vestros pedes rite provoluti, atque Apostolicam Benedictionem exspectantes, summum illum Ecclesiæ, „vestrique unici primatus Auctorem „oramus, obsecramus, uti mentem Vestram ad pacis consilia inflectat, & „quæ pacis studio, exemplo Majorum, „Sanctitas Vestra gesserit, ea in Vestram „gloriam, quam in Christo habetis, totique Ecclesiæ utilitati vertat.

*Obsequentissimi & devotissimi Filii ac Servi vestri,*

Archiepiscopi, Episcopi, aliique Ecclesiastici Viri in comitiis Generalibus Cleri Gallicani Parisiis congregati,

*FRANCISCUS,*
*Archiepiscopus Parisiensis, Præses.*

(z) Ivo Carnot. Epist. 190.

# INDEX
## TOMI LXIV.


A.

*Abaffius* Tranſylvaniæ Princeps in Hungaria quasdam urbes intercipit, 616. Hungariam invadit, 619.

*Abbas* Germaniæ perſonatus Editionem Benedictinam operum S. Auguſtini impugnat, 548. 563. ejus libellus Romæ damnatur, 569. ejus objectiones refelluntur, 572.

*Acudius* Ludovicus Maria, ejus opera & obitus, 452.

*Adelhaidis* Henrietta Bavariæ Electoris Conjux, moritur, ejus elogium, 132.

*Albritius* a Clemente XI. Papa Cardinalis creatur, 37.

*Alexandre* Nicolaus Benedictinus, ejus obitus & ſcripta, 350.

*Alexandrina* Haſſiæ Landgravia ad fidem Catholicam revertitur, 152.

*Alixius* Petrus Calviniſta realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia impugnat, 486. a quodam Sorbonæ Doctore refellitur, 487.

*Altierius* Palutius Cardinalis, Principum Oratores offendit, 36.
*Altingius* Jacobus, ejus opera & fata, 453.
*Amadæi* Guimenii liber a Jesuitis propugnatur edita apologia, 473. 477. a Pontifice damnatur, 474.
*Andegavenſis* Univerſitas ſeditioſas Patris Lamy propoſitiones perſtringit, 17. alias propoſitiones contra Principum poteſtatem damnat, 67.
*Angli* Regi ſuo inſidias parant, 47. Catholicos inſectantur, 49. Jacobum Regis Filium ob fidem Catholicam a Regni ſucceſſione excludere moliuntur, 155. falſis accuſatoribus de Catholicorum conjuratione faciles aures præbent, 160. confictæ hujus conjurationis capita, 161. ea ſe credere ſimulant, 311. nequiſſimos accuſatores perbenigne habent, 312. plurium falſam accuſationem libenter excipiunt, 313. Catholicos tanquam conjurationis reos declarant, 317. crudeliſſimis ſuppliciis Catholicos divexant, 320. Colemanum Eboracenſis Ducis Secretarium & Jeſuitas innoxios extremo ſupplicio afficiunt, 320. 321. accuſatoribus præmia conſtituunt, 322. alios Catholicos crudeliter trucidant, 323. 324. Eboracenſem Ducem a ſucceſſionis jure excludi petunt, 432. inhumanas leges contra eum ſanciunt, 435. alii eum tuentur, 436. 456. varias artes & mendacia exco-

excogitant, 437. conjurationem confingunt, 438.
*Antonius* a SpirituSancto Carmelita Excalceatus, ejus opera, & obitus, 216.
*Apamienſes Canonici* vid. *Monpezat.*
*Ariana* hæreſis a Lutherano quodam reſuſcitatur, 328.
*Arnaldus* Henricus Andegavenſis Epiſcopus ſub cenſura prohibet, ne quis ſimpliciter juramentum formulæ exigat, 60. ejus edictum Regis juſſu irritum declaratur, 63. apud Papam queritur de corrupta morum doctrina, & quod tanquam janſeniſta traducatur, 166. 245. contra Univerſitatem queritur, 245. ejus liber de frequenti communione, 352. a Regno aufugit, 422.
*Arniſæus* Henningius ejus opera & obitus, 56.
*Arnoldus* Nicolaus moritur editis quibusdam ſcriptis, 605.
*Arragonia* Paſchalis Cardinalis, moritur, ejus elogium, 211.
*Auguſtinus* S. ejus opera recens eduntur a Benedictinis, vid. *Editio.*
*Auguſtini* Stephanus ab Innocentio XI. Purpuratorum Collegio adſcribitur, 609.
*Aurivillius* Petrus, ejus ſcripta & obitus, 218.

B.

*Badenſis* Marchio Carolus Fridericus Catholicus moritur, 133. *Bapti-*

*Baptista* Joannes, ejus scripta & obitus, 54.
*Barberinus* Franciscus Cardinalis, ejus gesta & decessus, 440.
*Bartolinus* Thomas, editis quibusdam scriptis decedit, 606.
*Benedictini San-Mauriani* vid. *Editio.*
*Beringus* Vitus moritur, quænam scripserit, 56.
*Bernardus* Gustavus Badensis Marchio Ord. S. Benedicti Princeps Campidunensis & Cardinalis moritur, 107. ejus elogium, 108.
*Bevilaqua* Apostolicus Papæ Nuntius pacem conciliare jubetur, 112. contra Noviomagiensem pacem protestatur, 334.
*Bibenberg* Ferdinandus Pragensis Archiepiscopus moritur, 45.
*Bisselius* Joannes S. J. moritur, quænam scripserit, 216.
*Blampinus* Thomas Benedictinus Congregationis S. Mauri novam editionem operum S. Augustini adornat, 543. Jansenismi accusatur, 545. se vindicat, 546. exauctoratur, 547.
*Boileau* Jacobus Sorbonæ Doctor cum quodam Calvinista de reali Christi præsentia disputat, 486. eum refellit, 487.
*Boissardus* Generalis Abbas Congregationis S. Mauri libellos contra impugnatores novæ editionis operum S. Augustini divulgari vetat, 568. concordiam suorum

cum Jesuitis restituit, 569. a Papa Clemente XI. commendatur, 696.

*Bonacursius* a Bonacursiis Cardinalis, quænam gesserit, & quando mortuus fuerit, 345.

*Bonellus* Carolus Cardinalis, ejus elogium & obitus, 127.

*Bonvisius* Franciscus ab Innocentio XI. Purpuratorum Collegio adscribitur, 609.

*Bonzius* Petrus Cardinalis Narbonensis Archiepiscopus, ejus patrocinium in caussa Regaliæ frustra imploratur, 9. ab Alectensi Episcopo suæ oppositionis caussam percipit, 79. ejus decretum irritum declarat, 196.

*Borromæus* Gibertus Cardinalis, ejus obitus & elogium, 441.

*Bosquet* Franciscus Montpessulanus Episcopus, ejus scripta & decessus, 134.

*Bossuetius* Benignus Condomiensis Episcopus cum Claudio Prædicante disputat, 303. eum elinquem reddit, 304. novos Editores operum S. Augustini protegit, 551. quædam in ea corrigi petit, 594.

*Brancatius* Franciscus Maria Cardinalis, ejus elogium & obitus, 38.

*Brancatius* Stephanus ab Innocentio XI. Purpuratorum Collegio adscribitur, 609.

*Brancatus* de Laurea Laurentius Ord. FF. Minorum ab Innocentio XI. Cardinalis creatur, 610.

*Brau* Petrus Sacerdos Gallus, ab Apamienſi Epiſcopo anathemate percellitur, 504.
*Bulæus* Chriſtophorus, quædam ſcripſerit, moritur, 217.
*Burignonia* Antonia, fanatica ejus deliria, 477. & obitus, 479.
*Burmannus* Franciſcus, ejus opera & fata, 453.

C.

*Calendarium* Gregorianum, a Proteſtantibus recipitur, 426.
*Calviniſtæ* eorum cavillationes contra Catholicorum diſputandi modum, 305. in Hungaria rebellionem concitant, 20. vid. *Hungari*. In Galliis reprimuntur, 621.
*Campis* Petrus Jeſuita, ejus ſcripta & obitus, 55.
*Capizucchius* Raymundus Ord. FF. Prædicatorum Romana Purpura decoratur, 610.
*Carafa* Carolus Cardinalis, ejus geſta & deceſſus, 481.
*Cardinales* ab Innocentio XI. creantur, 607.
*Carlatus* Apamienſis Capituli Syndicus a Regaliſtis dire vexatur, 535.
*Carmeli* Auguſtinus Ord. S. Auguſtini moritur, quænam typis vulgarit, 215.
*Carmelitæ* Dantiſci a Lutheranis dire vexantur, 222.
*Carolus II.* Angliæ Rex pacem conciliare nititur in Germania, 25. 112. de conjuratione admonetur, 307. ejus falſitatem

subodoratur, 308. accusatorum causam Parlamento relinquit, 316. ex metu Catholicos vexat, 310. fratris sui successionem restringere cogitur, 432. Fratrem suum a successionis spe excludi, non permittit, 435.

*Carolus* Emanuel Sabaudiæ Dux moritur, 44.

*Carolus II.* Hispaniæ Rex Regni formam emendat, 40. 129. Mauros & Turcas profligat, 41. 179. Mariam Ludovicam Aurelianensem ducit, 450.

*Carolus IV.* Lotharingiæ Dux, ejus fata & obitus, 42.

*Carolus* Ludovicus Palatini Elector moritur, 598.

*Carolus* Sueciæ Rex a Danis profligatur, 176.

*Caronenses* Moniales ob recusatam Regaliam dire vexantur, 505. a summo Pontifice proteguntur, 507.

*Cartesii* doctrina in Galliis damnatur, 57. Patribus Oratorii prohibetur, 227.

*Caulet* Franciscus Stephanus Apamiensis Episcopus Regaliæ extensioni sese opponit, 3. Regalistas excommunicat, 182. suam innocentiam coram Rege vindicat, 184. a sententia Tolosani Archiepiscopi appellat, & cur? 189. omnibus suæ Ecclesiæ proventibus spoliatur, 253. hac de re ad Papam scribit, 254. cur Regalia sit reprobanda, edocet, 265. cur citatus

tatus coram Senatu non comparuerit, Aquitanniæ Præfecto indicat, 270. Papæ opem implorat contra vexationes, 284. graviter vexatur, 366. desuper apud Regem queritur, 371. Parisiensem Archiepiscopum a Regalistarum patrocinio absterrere molitur, 379. a Papa ad constantiam admonetur, 401. coram Parlamento comparere jubetur, 403. suam oppositionem excusat, 404. a Papa protegitur, 409. Regalistas excommunicat, 496. Dei opem implorat, & suos ad publicas preces hortatur, 499. duos Sacerdotes anathemate percellit, 504. rursus Regalistarum fautores excommunicat, 512. apud Tolosanum Archiepiscopum se vindicat, 523. a Papa solatium accipit, 529. moritur, 532. etiam post mortem proscinditur, 533. ejus elogium, 533. ejus Canonici dire vexantur, 533.

*Cerles* Joannes Vicarius Apamiensis, male habetur, 640. apud Papam queritur, 641. suum jus vendicat, 653. ejus effigies patibulo affigitur, 676.

*Chaise* de la Jesuita Regis Franciæ Confessarius Regalistis favet, 366. ab Apamiensi Episcopo reprehenditur, 383. contra Papam Franciæ Episcopos incitat, 419. Jansenistas insectatur, 422. ad dehortandum Regem incassum instigatur, 485. cum Benedictinis colliditur, 552.

*Chatellatus* Hyppolitus apoſtata Anglus Patri Santgermano & Catholicis laqueos ſtruit, 49. miſere perit, 53.
*Chiſius* Sigismundus Cardinalis, ejus obitus & elogium, 344.
*Choiſellius* Gilbertus Tornacenſis Epiſcopus Janſenismi calumniam a ſe amolitur, 245. Synodum celebrat, 339.
*Claſſenius* Daniel, editis quibusdam libris moritur, 351.
*Claudius* Joannes Charentonianus Præco Genevenſes Calviniſtas ob novos articulos objurgat, 15. cum Boſſuetio diſputat, 303. devincitur, 304.
*Clemens X.* Papa jubilæum Romæ celebrat, 29. pro peregrinantibus Noſocomium erigit, 29. Gorcomienſes Martyres beatis adſcribit, 30. B. Joannem a Cruce, & Franciſcum Solanum Beatis adſcribit, 32. varias edit Conſtitutiones, 33. novos Cardinales creat, 37. pacem in Germania revocare nititur, 112. moritur, 114. ejus geſta in Pontificatu, 115. Innocentius XI. ſuccedit, 117. Pacem a Clemente IX. redditam perturbari, queruntur Franciæ Præſules, 245.
*Clemens XI.* Benedictinos Congregationis S. Mauri ob novas editiones operum SS. Patrum commendat, 596.
*Cointe* Le Carolus Oratorii Sacerdos, ejus opera & deceſſus, 707.

*Colemanus* Sectarius falso conjurationis in Anglia accusatur, 320. mortis supplicio afficitur, 321.

*Colonitsius* Episcopus Hungaricæ Curiæ Præses pacis amore ultro suo officio cedit, 618.

*Combefisius* Franciscus Ord. FF. Præd. ejus opera & elogium, 452.

*Conceptio* B. V. officium spurium recitari prohibetur, 230.

*Concilium* Monasterienſe, 45. Tornacense, 212. Trevirense, 338. Tornacense, 339. Monasterienſe, 340. Tornacense, 449. Antverpianum, 601. Tornacense, 602. Tornacense, 634.

*Congregationes* Sacræ, variæ earum decisiones, 34. 129. 213. 342. Indicis quosdam libros proscribit, 360. varia edunt decreta, 447. 600. 630.

*Congressus*, illius indecens consuetudo in Galliis abrogatur, 153.

*Conjuratio* in Angliæ Regem falso Catholicis imputatur, 157.

*Contarenus* Dominicus Venetæ Reipublicæ Dux decedit, 44.

*Contarenus* Ludovicus in Venetæ Reipublicæ Ducem eligitur, 134.

*Coringius* Hermanus, quænam scripserit, 710. moritur, 710.

*Corona* Matthias Carmelita, ejus obitus & scripta, 140.

*Corsinus* Nerius Cardinalis, ejus elogium & deceſſus, 346.
*Crauſer* Georgius editis quibusdam ſcriptis decedit, 606.
*Creſcentius* Alexander a Clemente X. Romana Purpura decoratur, 37.
*Criſpo* Aſcanius, editis quibusdam libris moritur, 350.
*Cyprianus* a Nativitate Carmelita Diſcalceatus, ejus mors & ſcripta, 605.

D.

*Dantiſcani* Lutherani Carmelitarum ædes ac Templum deprædantur, 222. puniuntur, 224.
*Daubredus* ab Apamienſibus Canoniciis in Vicarium Generalem eligitur, 534. Archiepiſcopo Toloſano ſuam electionem ſignificat, 534. a Regaliſtis vexatur, 534. in exilium detruditur, 534.
*Davenport* Chriſtophorus Franciſcanus editis quibusdam ſcriptis moritur, 604.
*David* ejus liber *de Judiciis Epiſcoporum* rejicitur, 421. quod Papa Gallos in prima inſtantia judicare nequeat, declarare jubetur, 699.
*Delſavius* Franciſcus ex Congregatione S. Mauri, ejus opera, 134. ex naufragio perit, 135. novæ editioni operum S. Auguſtini operam ſuam confert, 543.
*Dorothea* Hedwigis Holſatiæ Duciſſa fidem Catholicam amplectitur, 153.

*Dürius*

*Dürius* Joannes Conradus, editis quibusdam libris decedit, 218.
*Durasia* Turrenii Mareſcalli Neptis ad fidem Catholicam revertitur, 304.
*Duræus* Joannes, ejus mors & opera, atque in conciliandis ſectis conatus, 56.

E.

*Editio* nova Operum S. Auguſtini a Benedictinis Congregationis S. Mauri adornatur, 542. ad hunc laborem ab Archiepiſcopo Pariſienſi aliisque incitantur, 543. plures hanc editionem impugnant, 545. perperam Janſenismi ſuſpecta habetur, 545. vindicatur, 546. pluribus erroribus ſcatere dicitur, 548. rurſus a quodam fictitio Abbate impugnatur, 563. a variis hic libellus reſellitur & propugnatur, 566. plures ſparguntur libelli contra hanc editionem, 571. a P. Renato Maſſueto defenditur, 572. ſicut etiam a Mabillonio, 579. vindicatur, 590. ſilentium imponitur, 591.
*Eleonora* Neoburgica Leopoldo Cæſari nubit, 132.
*Eliſabetha* Friderici V. Palatini Filia moritur, ejus elogium, 597.
*Ericus* Petrus, ejus fata & opera, 454.
*Erneſtus* Saxoniæ Dux, quænam ſcripſerit, moritur, 56.
*Eſparſa* Martinus Jeſuita moritur, ejus ſcripta, 139.

*Eſterhaſius* Paulus in Hungariæ Palatinum eligitur, 613.
*Eſtræus* Cardinalis, a Papa Regem a ſuo propoſito amovere rogatur, 488. nimiam ſeveritatem in eo redarguit, 491. Regem ſummis laudibus extollit, 492. ſuam operam impendere recuſat, 493. de conſtanti Regis propoſito, Papam certiorem reddit, 702.

F.

*Fatonus* Sebaſtianus Carmelita, editis quibusdam libris moritur, 350.
*Felbinger* Joannes ejus opera & deceſſus, 709.
*Felicitas* Claudia Leopoldi Cæſaris Conjux, quo fato obierit, 131.
*Ferdinandus Maria* Bavariæ Elector repentina morte eripitur, 449. ejus elogium, 450.
*Ferro* Marcus, ejus ſcripta & obitus, 54.
*Feſſelius* Daniel, ejus obitus & lucubrationes, 141.
*Fontana* Vincentius Ord. FF. Præd. ejus ſcripta & obitus, 54.
*Franciſcus* Bonæſpei Carmelita, moritur, quædam ſcripta poſteris relinquit, 216.
*Franciſcus* a Jeſu Maria Carmelita Excalceatus, quædam ſcripta poſteris relinquit, moritur, 216.
*Fridericus* Carolus Wirtenbergæ Dux ob concordiæ librum indicit Jubilæum, 598.

*Fromme* Valentinus, ejus ſcripta & fata, 454.
*Fürſtenbergius* Egon pro fratre ſuo ſpondet, 27.
*Fürſtenbergius* Guilielmus Princeps, Galli eum liberari petunt, 25. ejus frater rem componit, 27. de ejus liberatione agitur, 112. 177.
*Fürſtenbergius* Ferdinandus in Monaſterienſi Epiſcopatu ſuccedit, 337. bello parta reſtituit, 337.

G.

*Gabrielius* Julius Cardinalis, ejus obitus & elogium, 109.
*Gaffarellus* Jacobus, ejus opera & deceſſus, 706. libri ſui fatum, 707.
*Gallen* Bernardus Chriſtophorus Monaſterienſis Epiſcopus, ejus geſta & obitus, 336. ſuccedit Ferdinandus Fürſtenbergius, 337. bello parta reſtituit, 337.
*Galli* incendiis Alſatiam & Belgium devaſtant, 176. pacem variis cavillis eludunt, 177. feſtum Cathedræ S. Petri abrogare moliuntur, 242. Patriarcham Pontifici ſubrogare meditantur, 680. Clerus Gallicanus habito Conventu controverſiam de Regaliis componendi media Regi proponunt, 679.
*Gallius* Marcus ab Innocentio XI. Papa Purpuratorum Collegio adſcribitur, 610.
*Gallicani Cleri* comitia, ad ea Alectenſis Epiſcopus in Regaliæ cauſſa ſuas querelas

las defert, 4. non auditur, 8. Gerbaſii librum *de cauſſis Majoribus* ſummis laudibus extollunt, 420. illum emendari jubent, 421. Regem adverſus Papam ob ejus epiſtolas incitant, 526. hanc in rem literas ad Regem dant, 527. Regaliæ controverſiam componendi medium Regi proponunt, 697. 699. ſuum Conventum proſequuntur, 711. de ſuo temperamento contra Regaliæ abuſum gloriantur, 712. deſuper literas ad ſummum Pontificem dant, 712.

*Garnierus* Joannes S. J. ejus opera & obitus, 708.

*Genevenſes* Calviniſtæ novos articulos procudunt, 15.

*Genoveſani* Canonici Regulares Carteſii & Janſenii doctrinas ſequi prohibentur, 228.

*Georgius* Haſſiæ Landgravius ſectam ſuam ejurat, 152.

*Gerbaſius* Joannes Sorbonæ Doctor in Regaliæ favorem librum edit, 420. illum emendat, 421. ejus liber in Cleri comitiis commendatur, 699.

*Gerberon* Gabriel Benedictinus, ejus liber tanquam de Janſenismo ſuſpectus damnatur, 300. ſuam innocentiam vindicat, 301.

*Ginettus* Joannes Franciſcus ab Innocentio XI. Papa Romana Purpura decoratur, 610.

*Glauch* Andreas, editis quibusdam opuſculis decedit, 710.

*Gode-*

*Godefroy* Anglus Judex, falsas accusationes contra Catholicos excipere tergiversatur, 312. trucidatur, 314.
*Godoy* Petrus moritur, quænam typis vulgarit, 215.
*Gondius* Joannes Franciscus Cardinalis, ejus fata, mors & elogium, 442.
*Gonet* Joannes Baptista Ord. FF. Prædicat. celebris Scriptor moritur, 709.
*Gorcomienses* Martyres a Clemente X. Papa Beatis adscribuntur, 30.
*Granatæus* Joannes Barienſis Archiepiscopus, ejus obitus & scripta, 134.
*Gratia* sufficiens, an Benedictini in sua nova editione operum S. Augustini illam rejecerint, 550.
*Guerinus* Sacerdos Gallus, ob Regaliam ab Apamiensi Episcopo anathemate percellitur, 504.

H.

*Haberkorn* Petrus, ejus obitus & scripta, 141.
*Harlæus* Franciscus Parisiensis Archiepiscopus querelas Alectensis Episcopi in causſa Regaliæ excipit, 8. ab Apamiensi Episcopo redarguitur, 379. contra Papam Franciæ Episcopos incitat, 419. Jansenistas insectatur, 422. Benedictinos ad novam editionem operum S. Augustini sollicitat, 543. eos contra calumnias protegit, 549. Jesuitis prohibet, ne hanc editionem examinent, 562.

*Hart-*

*Hartmanus* Joannes, ejus ſcripta & mors, 605.
*Heidenus* Abraham, editis quibusdam libris moritur, 350.
*Hipſtad* Joannes, quænam ſcripſerit, fatisfungitur, 710.
*Hobbeſius* Thomas, ejus fata & opera, 453.
*Hölzlin* Bonifacius editis quibusdam libris moritur, 218.
*Holzhauſer* Bartholomæus Venerabilis, ejus inſtitutum a Papa approbatur, 599.
*Howart* Thomas Dux Ord. FF. Præd. a Clemente X. Purpura honoratur, 38.
*Hugonotæ* vid. *Calviniſtæ.*
*Hungari* Proteſtantes, rebellionis ope ſuam ſectam propugnant, 20. Emericum Töckelium ſibi ductorem eligunt, 21. profligantur, 21. Hungariam devaſtant, 148. Cæſareos cædunt, 151, armis ſuam ſectam propugnant, 329. crudeliter ſæviunt, 330. cæduntur, 331. pacis conditiones reſpuunt, 332. alias Cæſari præſcribunt, 471. Tyrnaviæ & Sopronii comitia agunt, 611. fruſtra a ſeditione avertuntur, 612. iniqua petunt, 612. 617.

I.

*Jacobi* Ludovicus, ejus opera & deceſſus, 218.
*Jacobus* Eboracenſis Dux Angliæ Regis Filius, eum Angli a Regni ſucceſſione excludere moliuntur, 154. ejus Filia Guilielmo

lielmo Arauſionenſi Duci infauſto connubio jungitur, 155. cum ſua Conjuge aufugere compellitur, 156. in eum a Catholicis conjuratio fingitur, 158. ipſe conjurationis Author dicitur, 159. obreligionem Catholicam a Regni ſucceſſione excluditur, 431. Bruxellas ſecedere cogitur, 432. a Regni ſucceſſione excluditur, 435. 456.

*Janſenius*, ejus doctrinam ſequi, prohibentur Patres Oratorii & Canonici Regulares, 226. 218. Janſeniſtæ ex ſuo nido expelluntur, 422.

*Jaſſenet* Joannes, editis quibusdam ſcriptis moritur, 604.

*Jeſuitæ* conjurationis Anglicæ falſo inſimulantur, 158. 308. quidam a Miſſionibus Romam evocantur, 341. Papam tuentur, 464. Amadæi Guimenii librum propugnant, 473. perperam editionem Benedictinam operum S. Auguſtini impugnaſſe dicuntur, 549. propterea cum Benedictinis colliduntur, 552. hanc editionem examinant, 554. quædam carpunt, 555. refelluntur, 556. ab hoc examine deſiſtere jubentur, 562. cum Benedictinis conciliantur, 593. Papæ Bullas promulgare prohibentur, 639.

*Imhoff* de Joannes Hieronymus Patritius Norimbergenſis ejurato Luthero ad fidem Catholicam revertitur, 469.

*Indul-*

*Indulgentiæ*, earum abusum Innocentius XI. Papa tollit, 231. indulgentiæ Confraternitatibus concessæ in suo vigore manent, 239.

*Innocentius XI.* Papa creatur, 117. obluctatur, 118. morum reformationem Cardinalibus proponit, 119. a Principibus salutatur, 120. quænam ante Pontificatum gesserit, 122. a Protestantibus carpitur, 123. ejus virtutes, 124. varias Constitutiones edit, 129. Nepotismum eliminat, 143. Clericorum mores reformat, 144. fœminarum indecentem vestitum severe prohibet, 145. 230. 438. 608. Principum Oratoribus in suis Palatiis asyli jus adimit, 146. 230. a quodam Episcopo Armeno de Persarum prona voluntate erga fidem Catholicam edocetur, 148. 151. querelas Andegavensis Episcopi contra depravatam morum doctrinam excipit, 167. miserum Franciæ statum ab Alectensi percipit, 191. literis hunc Præsulem solatur, 195. varias edit Constitutiones, 213. Clericos a luxu, aliisque vitiis arcet, 231. 445. indulgentiarum abusus tollit, 231. spurium officium de immaculata Conceptione B. V. recitare prohibet, 240. ab Orientalibus salutatur, 242. varia diffidia componit, 242. literas accipit a Galliæ Præsulibus, qui Jansenismi calumniam a se amoliuntur, 245. ab Apamiensi Episcopo de inju-

injuriis ſibi illatis edocetur, 253. Franciæ Regem ab extendenda Regalia dimovere ſatagit, 273. Regaliam non eſſe jus coronæ inſitum, Franciæ Regi demonſtrat, 281. ejus auxilium ab Apamienſi Epiſcopo imploratur, 285. contra pacem Noviomagenſem reclamat, 334. plures Conſtitutiones edit, 341. circa frequentem communionem decretum promulgat, 352. quosdam libros & propoſitiones damnat, 360. morum corruptelas eliminare ſtudet, 362. laxas morum opiniones proſcribit, 363. Toloſano Archiepiſcopo crudelitatem in Moniales exprobrat, 367. deſuper Franciæ Regem admonet, 391. Apamienſem Epiſcopum in ſua calamitate ſolatur, 401. 409. Franciæ Regem ab opprimendo hoc Epiſcopo adſterret, 411. Principes Catholicos ad bellum in Turcas concitat, 438. Turibium Limæ Archiepiſcopum Beatis adſcribit, 439. plura condit decreta, 445. cum Principum Oratoribus ob ademptum jus aſyli colliditur, 484. Cardinales creare recuſat, 485. legem de abrogato jure aſyli tuetur, 485. Congregationem de Divina Miſericordia inſtituit, 486. Eſtræum Cardinalem rogat, ut Franciæ Regem ab urgenda Regalia dehortaretur, 488. reſponſum minus gratum ab eo recipit, 491. a Franciæ Præſulibus Regi exoſus redditur, 526. ab Apamienſi Epiſcopo de omnibus hiſce motibus edo-

cetur, 529. hunc Episcopum solatur, 530. Apamienses Canonicos ad constantiam hortatur, 535. Archiepiscopum Tolosanum a vexandis hisce Canonicis dehortatur. 538. Clericos & populum monet, ne intrusis Vicariis parerent, 539. varias edit Constitutiones, 599. Regaliæ causam discutit, 607. de Gallis queritur ob Richerii Historiam, 607. sexdecim creat Cardinales, 608. Anglis Catholicis subsidia mittit, 608. ob Cardinales creatos Regis indignationem incurrisse, falso dicitur, 610. plures promulgat Constitutiones, 629. Inquisitionis rigorem temperat, 630. intrusos Apamienses Vicarios insectatur, 635. diras Apamiensium vexationes edocetur, 641. 657. de infamia Cerli Vicario irrogata certior redditur, 676. Regem a persequendo Regalium jure dehortatur, 700. a Franciæ Clero Regaliæ extensioni cedere rogatur, 712.

*Joannes* Fridericus Princeps Hanoveranus Catholicus moritur, 451. ejus frater Catholicos e sua ditione ejicit, 451.

*Joachimus* Holsatiæ Princeps ad fidem Catholicam revertitur, 153.

*Joannes* Austriæ Dux Hispaniæ Regnum ad meliorem formam reducit, 181. moritur, ejus elogium, 450.

*Joannes* a Cruce Carmelitarum Excalceatorum Parens a Clemente X. Papa Beatis annumeratur, 31.

*Joan-*

*Joannes* Georgius Saxoniæ Elector moritur, 598.
*Joannes* Paulus ab Epiphania Carmelita Excalceatus, ejus obitus & opera, 140.
*Joſephus I.* Leopoldi Cæſaris Filius naſcitur, 329.
*Jubilæum* Romæ promulgatur, 29. 439.
*Jumilac* Petrus Benedictinus Congreg. S. Mauri, ejus opera & elogium, 452.

K.

*Kipping* Henricus, editis quibusdam libris moritur, 352.
*Koialowitz* Albertus S. J. quænam ediderit, moritur, 216.
*Kragelmund* Petrus, ejus libri & deceſſus, 710.
*Kyrherus* Athanaſius S. J. ejus vita, opera & obitus, 604.

L.

*Lambecius* Petrus ſectam ejurat, 603. moritur, editis quibusdam ſcriptis, 603.
*Lamy* Bernardus Congregationis Patrum Oratorii ſeditioſas defendit propoſitiones, 17.
*Lamy* Franciſcus Benedictinus Congregationis S. Mauri novam editionem operum S. Auguſtini vindicat, 569.
*Lao* Andreas Carmelita, ejus ſcripta & deceſſus, 54.
*Laryſſæus* Patriarcha Conſtantinopolitanus ſua Sede deturbatur, 301. ſe rurſus intrudit, 302.
*Lannoyus* Joannes, ejus ſcripta, & indoles, 348.

*Layen* Caſparus Trevirenſis Archiepiſcopus atque Elector decedit, 133.
*Layen* Damianus Moguntinus Archiepiſcopus & Elector, ejus geſta & obitus, 337.
*Layen* Joannes Herbipolenſis Epiſcopus moritur, 45.
*Leopoldus I.* Romanorum Imperator Gallos fundit & Crequium Franciæ Mareſcallum capit, 24. Gallos profligat, 110. pacem reddere nititur, 112. ſua Conjuge orbatur, 131. Lutheranam ducere reſpuit, 132. rebelles Hungaros variis modis ad obſequium revocare nititur, 148. pacis conditiones proponit, 176. denuo illos ad pacis conſilia inclinare molitur, 470. Hungaros fruſtra ad pacem reducere ſatagit, 612. eis ſectæ ſuæ exercitium indulget, 615. eos ob pertinaciam ſuis privilegiis ſpoliat, 620.
*Ligfed* Joannes, moritur, quænam typis ediderit, 56.
*Londres* Franciſcus, ejus ſcripta & obitus, 54.
*Lucca* Joannes Baptiſta ab Innocentio XI. Romana Purpura decoratur, 610.
*Lucius* Guilielmus relictis quibusdam ſcriptis moritur, 218.
*Ludeman* Daniel moritur, quædam ſcripta poſteris relinquerit, 217.
*Ludovicus XIV.* Franciæ Rex, edicto jus Regaliæ ad omnes Eccleſias extendit, 1. in Belgium irrumpit, 23. vario Marte pugnat, 23. ſeditionem in Galliis compeſcit, 28. Carteſii doctrinam eliminat, 57. Ande-

Andegavensis Episcopi edictum contra juramenti formulam irritum declarat, 63. ab Alectensi Episcopo de causis suæ oppositionis edocetur, 91. 105. varias urbes invadit & occupat, 110. ejus copiæ profligantur, 111. rebelles Hungaros protegit, 148. a Regaliæ extensione desistere, a Papa rogatur, 273. id sibi de jure competere, asserit, 280. contrarium ipsi a Papa demonstratur, 281. vario marte pugnat, 333. Episcopum Tullensem nominandi jus Innocentio XI. Pontifici cedit, 334. de inhumanitate in Moniales Urbanistas exercita a Papa admonetur, 391. datis ad Papam literis Regaliæ jus sibi vendicat, 419. Calvinistas infectatur, 433. bellum parat, 438. Hugonotas ad fidem catholicam reducere nititur, 469. rebelles Hungaros fovet, 471. controversiæ contra novam editionem operum S. Augustini finem imponit, 591. Hugonotas reprimit, 621. varias urbes occupat, 621. religionem Catholicam revocare nititur, 622. pro componendo Regalium dissidio comitia Cleri Gallicani haberi vult, 698. a persequendo hoc jure desistere, rogatur a Papa, 700. propositum a Clero temperamentum approbat, 699.

*Ludovicus* Hassiæ Landgravius moritur, 338.

*Lupus* Christianus Ord. S. Aug. quænam ediderit, 707.

*Lyserus* Joannes Lutheranus, polygamiæ

monſtrum reſuſcitat, 424. plectitur, 425.

M.

*Mabillonius* Joannes Abbas Congregationis Benedict. S. Mauri objectiones contra eum allatas refellit, 379. ejus præfatio ſuggillatur, 595.

*Magdalena* Thereſia Cæſaris Conjux in Hungariæ Reginam inauguratur, 621.

*Maimburgus* Ludovicus Jeſuita Regaliæ jus defendit, 511.

*Mareſcottus* Galeatius a Clemente X. Purpura decoratur, 37.

*Mareſius* Samuel, ejus vitia, opera & obitus, 55.

*Margarinus* Cornelius, quænam ſcripſerit, 706. moritur.

*Marletta* Gabriel Ord. FF. Præd. editis quibusdam libris decedit, 350.

*Maſſuetus* Renatus Benedictinus Congregationis S. Mauri, objectiones contra novam editionem operum S. Auguſtini refellit, 572.

*Mauritius* Caſparus, moritur, quænam ſcripſerit, 57.

*Melini* Savus ab Innocentio XI. Purpuratorum Collegio annumeratur, 609.

*Menzerus* Balthaſar, ejus opera & fata, 453.

*Metternich* Lotharius Moguntinus Archiepiſcopus moritur, 45.

*Michaelowitz* Alexius Moſcoviæ Dux moritur, 133.

*Mon-*

*Momma* Guilielmus, ejus opera & fata, 143. 219.

*Moncada* Ludovicus Guilielmus Cardinalis, ejus vita & obitus, 128.

*Monpezat* Joſephus Toloſanus Archiepiſcopus Regaliæ extenſioni favet, 4. Alectenſem Epiſcopum redarguit, 72. Apamienſis Epiſcopi decretum contra Regaliſtas irritum declarat, 184. ejus edictum ab Apamienſi confutatur, 189. ob vexatas Moniales Urbaniſtas a Papa redarguitur, 367. Vicarios Generales ab Apamienſibus Canonicis electos inſectatur, 534. ab Innocentio Papa deſiſtere monetur, 538. Cerlem Vicarium divexat, 640. alium Vicarium eligit, 656. contra Cerlem Toloſanum Parlamentum concitare nititur, 657. denuo illud ad condemnandum Vicarium urget, 675. Apamienſes Canonicos acriter inſectatur, 697.

*Montfauconius* Benedictinus ex Congregatione S. Mauri, perſonati cujusdam Abbatis objectiones contra novam editionem operum S. Auguſtini refellit, 569. ejus vindiciæ cum applauſu Romæ recipiuntur, 569. calumniis appetitur, 570. ab aliis laude cumulatur, 570.

*Müllerus* Henricus, & Erneſtus eorum ſcripta & obitus, 57. 710.

*Muſæus* Joannes, editis quibusdam ſcriptis moritur, 709.

N.

*Nani* Joannes Baptiſta moritur, ejus ſcripta, 349.
*Neomagienſis* Pax, 112. 176. Angliæ Regis opera conficitur, 332. contra eam multi reclamant, 334.
*Neumarch* Georgius editis quibusdam opuſculis moritur, 710.
*Nicoleus* Janſeniſta e Regno aufugit, 422.
*Nicolis* Adamus, editis quibusdam libris moritur, 352.
*Nidardus* Joannes Everhardus Cardinalis, ejus fata & obitus, 624.
*Ninnius* Jacobus Philippus Cardinalis, ejus geſta & obitus, 483.

O.

*Oates* Titus ob ſua ſcelera a Prædicantium munere amovetur, 157. ſe Catholicum fingit, 158. cum Jeſuitis familiaritatem malo ex fine contrahit, 158. cum Tongio conjurationem Catholicorum contra Regem confingit, 159. Jeſuitas aliosque Catholicos falſo accuſat, 161. confictæ conjurationis relationem Regi Angliæ offert, 307. in ſuo teſtimonio ſibi repugnat, 308. multa evidenter falſa profert, 308. mentitur, 309. falſitatis arguitur, 310. Jeſuitas accuſat, quod Judicem trucidarint, 313. falſitatis convincitur, 315. 485. plurimos extremo ſupplicio affici procurat, 318. & ſeqq. animam evomit, 468.
*Odeſcalchus* Benedictus, vid. *Innocentius XI.*
*Oelha-*

*Oelhafius* Nicolaus quænam scripserit, moritur, 56.
*Oliva* Paulus Societatis Generalis Jesuitas Regis patrocinio tutos coercere nequit, 485. Papæ Bullas promulgare jubetur, 639. ejus opera & decessus, 709.
*Oratorii* Patres Perulliani contra Jansenii & Cartesii doctrinas decretum edunt, 225. nonnulli obsistunt, 229.
*Ortloob* Carolus, editis quibusdam libris moritur, 351.

P.

*Pajonius* Claudius novam hæresin procudit, 219. in pluribus Calvinistarum Synodis impugnatur, 221.
*Pallavicinus* Lazarus Cardinalis, ejus gesta & obitus, 480.
*Palumbaria* Joannes moritur, quænam scripserit, 214.
*Pamphilius* Benedictus ab Innocentio XI. Romana Purpura decoratur, 610.
*Parisiense* Parlamentum Regaliæ jus Regi asserit, 2. Facultas Theologica Anglorum juramentum approbat, 459. ab aliis impugnatur, 463. quemdam Doctorem ob jansenismum e suo gremio ejicit, 632. Papæ Bullam supprimit, 639.
*Passarinus* Petrus Maria, quænam ediderit, & quando mortuus fuerit, 215.
*Passovius* Joachimus ejus opera & decessus, 707.
*Patinus* Carolus editis quibusdam scriptis moritur, 606.

*Pavillonius* Nicolaus Alectenſis Epiſcopus invehendæ Regaliæ obſiſtit, 3. propter duorum Regaliſtarum invaſionem apud Cleri Gallicani comitia queritur, 4 hanc in rem ad Archiepiſcopum Pariſienſem ſcribit, 8. fruſtra patrocinium Narbonenſis Archiepiſcopi implorat, 9. in Regaliſtas ſuſpenſionis & excommunicationis pœnam intentat, 11. ſuam agendi rationem contra Toloſanum Archiepiſcopum tuetur, 72. Bonzio Cardinali Archiepiſcopo Narbonenſi ſuæ oppoſitionis rationes detegit, 79. coram Rege ſe vindicat, 91. Gaſtoni Foxio Regaliſtæ excommunicationis pœnam intentat, 103. ſuæ ſeveritatis cauſſam Regi exponit, 105. ſuam oppoſitionem ad acta referri petit, 191. Papam de miſero Eccleſiæ Gallicanæ ſtatu edocet, 192. reſponſum ab eodem recipit, 195. Narbonenſis Archiepiſcopi decretum impugnat, 197. ad Papam appellat, 199. Innocentii XI. Papæ & Franciæ Regis opem implorat, 200. dire vexatur, 205. moritur, 206. ejus elogium, 206.

*Peregrinus* Martinus, ejus ſcripta & obitus, 55.

*Peſina* Joannes Thomas Epiſcopus moritur, quænam poſteris reliquerit ſcripta, 603.

*Petrus* ab Anglis Carmelita Excalceatus, ejus opera, mors, & elogium, 453.

*Piccolominæus* Cælius Cardinalis, ejus obitus & encomium, 625.

*Pigna-*

*Pignatelius* Antonius, Purpuratorum Collegio ab Innocentio XI. adscribitur, 609.
*Plancheta* Bernardus Benedictinus Congr. S. Mauri, editis quibusdam libris moritur, 604.
*Polygamia* a quodam Lutherano innovatur, 424.
*Portocarerus* Emanuel Cardinalis, nomine Hispani Regis Pontifici filiale obsequium, defert, 242.
*Protestantes* Hungari. vid. *Hungari*, quidam Principes ad fidem Catholicam revertuntur, 152.
*Punckel* Oliverius Catholicus Hiberniæ Primas innocens ab Anglis extremo supplicio afficitur, 468.
*Puritani* Catholicis falso conjurationem imputant, 307. 326. seditionem in Scotia concitant, 438. iniquas querelas contra Catholicos proponunt, 455. Proceres Catholicos infectantur, 455.

R.

*Rasponius* Cæsar Cardinalis ejus elogium & obitus, 39.
*Ravius* Christianus, ejus opera & decessus, 218.
*Razivilius* Poloniæ Legatus Romam venire prohibetur, 439. moritur, *ibid.*
*Rech* ab Apamiensibus Canonicis in Vicarium Generalem eligitur, 534. a Regalistis vexatur & in carcerem detruditur, 534.
*Regaliæ jus* Parlamentum, & quidam Episcopi Franciæ Regi afferunt, 2. alii obsistunt, 3.

*Regi-*

*Reginaldus* Antonius Ord. FF. Præd. ejus opera & obitus, 136.
*Ricci* Michael Angelus ab Innocentio XI. Papa Purpuratorum Collegio adſcribitur, 610.
*Riccius* Victorius Ord. FF. Prædicatorum moritur, 136. ſtatum Miſſionum in Indiis deſcribit, 137.
*Rocci* Bernardinus a Clemente X. Romana Purpura honoratur, 38. ejus elogium & obitus, 482.
*Rohanius* Princeps in Francia ſeditionem concitat, 28. plectitur, 28.
*Roſetus* Carolus Cardinalis, ejus fata apud Anglos, 628. moritur, 628.
*Rudbeckius* Nicolaus, ejus ſcripta & obitus, 142.

S.

*Sacchetus* Urbanus ab Innocentio XI. Pontifice Purpuratorum Collegio adſcribitur, 610.
*Sagredo* Nicolaus eligitur Venetæ Reipublicæ Dux, 45. moritur, 133.
*Saint-Beveus* Jacobus, ejus ſcripta & deceſſus, 214.
*Sandius* Chriſtophorus Lutheranus, hæreſin Arianam reſuſcitat, 327. refellitur, 328.
*Sanmarthanus* Benedictinus Congregationis S. Mauri, propter editionem operum S. Auguſtini cum Jeſuitis colliditur, 543-552.
*Sauſſaii* Andreas moritur, quænam typis ediderit, 53.

*Scele-*

*Scelepcſenius* Georgius Strigonienſis Archiepiſcopus moritur, pro evertendis hæreticis omnia ſua bona Cæſari relinquit, 599.

*Schaffburius* Angliæ Cancellarius, juratus Catholicorum hoſtis eos tanquam conjurationis reos denuntiat, 317. teſtes corrumpit, 318.

*Schaller* Jacobus, quædam ſcripta poſteris reliquerit, moritur, 142.

*Sold* Joannes, moritur, quænam ediderit, 141.

*Sfortia* Fridericus Cardinalis, ejus obitus & elogium, 126.

*Solanus* Franciſcus a Clemente X. Papa beatorum albo inſcribitur, 31.

*Soreſinus* Joſephus, ejus obitus & ſcripta, 135.

*Spada* a Clemente X. Purpura decoratur, 37.

*Spinola* Joannes Baptiſta ab Innocentio XI. Purpuratorum Collegio adſcribitur, 609.

*Staſordiæ* Comes Catholicus falſo ab Oate Anglo conjurationis accuſatur, 324. extremo ſupplicio innocens afficitur, 324. capite plectitur, 464

*Stegman* Joachimus, editis quibusdam libris moritur, 352.

*Stuarta* Maria Guilielmo Naſſovio Arauſionenſi Principi nubit, 155.

T.

*Taya* Flaminius ab Innocentio XI. Papa Purpuratorum Collegio adſcribitur, 610.

*Tellier* Rhemenſis Archiepiſcopus in Cleri comitiis perorans Regaliæ favet, 698. Concilium haberi ſuadet, 699.
*Theillius* Joannes, ejus fata & opera, 454.
*Tholoſanus* Senatus ab Archiepiſcopo incaſſum ad vexandum Vicarium incitatur, 657. denuo incuſſo metu ſollicitatur, 675. ejus effigiem patibulo affigi jubet, 676.
*Thomaſius* Carolus Clericus Regularis, ejus ſcripta & obitus, 54.
*Thuribius* Limæ Archiepiſcopus ab Innocentio XI. Beatorum faſtis adſcribitur, 439.
*Töckelius* Emericus rebellium Proteſtantium in Hungaria ductor, 20. profligatur a Cæſareis, 21. Hungariam ferro flammaque devaſtat, 330. pacem ſimulat, 470. ad proſequendum bellum a Gallis incitatur, 471. bellum parat, 472. Ragotſiam ducere, fruſtra petit, 612. Hungariam devaſtat, 612. iniqua a Cæſare petit, 615. incaſſum a ſeditione abſtinere rogatur, 670. Turcarum obſequio ſe devovet, 670.
*Tombas* Joannes, ejus ſcripta & obitus, 141.
*Tongius* Anglus cum Oate nequiſſimo Catholicis conjurationem affingit, 158. confictæ conjurationis relationem Regi offert, 307. moritur, 468.
*Tully* Thomas, moritur, quænam ſcripſerit, 142.
*Turrenius* Franciæ Mareſcallus belli tormento trucidatur, 22.

U. *Ve-*

U.

*Veneti* circa beneficiorum collationem cum Papa contendunt, 243.
*Vicecomes* Fridericus ab Innocentio XI. Purpuratorum Collegio adscribitur, 609.
*Vidonus* Petrus Cardinalis, ejus obitus & elogium, 627.
*Vieuville* Natalis ob Jansenismi suspicionem a Sorbona excluditur, 032.
*Voetius* Gisbertus, ejus vita, obitus & scripta, 140.
*Vorstius* Joannes, moritur, quænam scripserit, 142.
*Urbanistæ* Moniales ab Archiepiscopo Tolosano acerbe vexantur, 367. a Papa proteguntur, 368. 391,
*Ursatus* Sertorius, relictis quibusdam libris moritur, 349.

W.

*Weselenius* rebellium Hungarorum Ductor Regnum ad communem seditionem incitat, 149.
*Woodhead* Abraham, editis quibusdam libris moritur, 351.
*Woowardt* Ezechiel, ejus scripta & obitus, 57.

# ERRATA *sic corrige*:

| | | |
|---|---|---|
| Pag. 93. | inveſturis | inveſtituris |
| 117. | XL IV. | XLIV. |
| 239. | rectantibus | recitantibus |
| 332. | Templo | Templa |
| 486. | Conſentino | Conſentio |
| 491. | neum | meum |
| 530. | morali | mortali |
| 532. | graviſſimus | graviſſimas |
| 534. | & | ut |
| 544. | modo | nodo |
| 548. | feciſſe | fuiſſe |
| 555. | facto | facta |
| 556. | hanc lenum | hunc textum |
| 561. | ipſus | ipſa |
| 563. | Sanmaurionam | Sanmaurianam |
| 565. | Doctori | Doctoris |
| 565. | Graſia | Gratia |
| 565. | cum | cur |
| 566. | Goteſcalhus | Goteſcalcus |
| 566. | imputabatur | impetebatur |
| 567. | quisquitias | quisquilias |
| 568. | Abbatie | Abbatis |
| 570. | reſerende | reverende |
| 571. | potuiſſes | potuiſſet |
| 571. | Patavii | Petavii |
| 572. | quod, & | quod, ut |
| 672. | Benedictino | Benedictinos |
| 574. | eripuerit | arripuerit |
| 574. | aſiecuti | aſſecuti |
| 574. | quia | niſi quia |
| 574. | & | ut |
| 575. | Prosquer | Proſper |
| 589. | Hæc | Hæ |

Cetera levioris momenti menda, quæ ob Auctoris abſentiam irrepſerunt, benevolus Lector pro ſua humanitate excuſabit, ac corriget.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

FLEURY
HISTORIA
ECCLESIASTICA.
TOM. LXIV.

Th 64
5178